SET

I 24 plates

II 8 plates
husband in part I

Ribel 6557
6558

7013

Clarior è tenebris.

Vera Herba BRITANNICA

Reperta & Demonstrata ab

ABRAHAMO MUNTINGIO.

Patriæ vivet Herba Salutis.

AMSTELODAMI,
Apud Hieronymum Sweerts.

De

VERA ANTIQUORUM HERBA BRITANNICA,

Ejuſdemque efficacia contra

Stomacaccen, ſeu Scelotyrben,

Friſiis & Batavis

DE SCHEURBUYCK.

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA.

AUTORE

ABRAHAMO MUNTINGIO

GRONINGA-FRISIO

Medicinæ Doctore, atque in Patria Groningæ & Omlandiæ Academia Botanices Profeſſore.

AMSTELODAMI,

Apud HIERONYMUM SWEERTS. 1681.

HENRICUS CASIMIRUS,
Princeps Nassoviæ, &c. &c.

Illustrissimo Heroi ac Domino

HENRICO CASIMIRO

Principi Nassaviæ, Comiti Cattimelliboci, Viandæ, Diezæ, Spiegelbergæ; &c. Domino Bielsteniæ, Baroni Liesveldiæ, Gubernatori Hæreditario Frisiæ, Gubernatori & Capitaneo Generali Groningæ, Omlandiæ, & Drenthiæ, Colonello, &c.

UT ET

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, POTENTISSIMIS VIRIS.

Do. BINNERDO HERINGA van Grovestins, Grietmanno in Ferwerderadeel.

Do. ERNESTO ab AYLUA, Grietmanno in Westerdongerdeel.

Do. DOMINICO à SIXMA, Grietmanno in Barradeel.

Do. GELLIO WYBRANDO à JONGESTAT, Grietmanno in Hemelumer-Oldephaert, & Noord-Wolde.

Do. TINCONI ab ANDRIGA, Grietmanno in Lemsterland.

Do. LUBBERTO ab ANDRINGA, Grietmanno in Vtingeradeel.

Do. ABRAHAMO de SCHEPPER, Consuli Leovardiensi.

Do. PETRO DIONYSIO LOMARS, Consuli Franekerano.

Do. FREDERICO ALEMA, Consuli Bolswardiano.

ILLUSTRIUM ac PRÆPOTENTUM FRISIÆ ORDINUM

Deputatis Novemviris.

NEC NON

Ampliſsimo Doctiſsimo, Conſultiſsimoque Viro

Do. HENRICO à WYCKEL. I.V.D. Iiſdemque DD. DEPUTATIS à SECRETIS.

UT ET

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Spectatiſsimis Viris

Do. ERNESTO ab HARINXMA toe SLOOTEN, Grietmanno in Barderadeel.
Do. JOANNI HIXENIO.
Do. JOANNI de CRACK à Bouritio, Grietmanno in Aengwirden.
Do. JELTO PETRI BRUNINGA, Conſuli Worchumano.

Rationum Cameræ in Friſia Præfectis.

NEC NON

Ampliſsimo, Doctiſsimo, Conſultiſsimo Viro

Do. HECTORI à GLINSTRA, Iiſdem Do. Præfectis à Secretis.

ILLU-

ILLVSTRISSIME PRINCEPS.
NOBILISSIMI, & POTENTISSIMI DOMINI.

QUantum commodi pondus generi humano attulerit exacta Plantarum cognitio, antiquiſſima Hiſtoriarum monumenta poſteritati tradidêre; huic enim orbis univerſi Sapientiſſimi non tantum, verum etiam Principes, Regeſque Potentiſſimi intenſiſſimâ curâ invigilarunt. Illius notitiæ Splendorem ac ſingularem utilitatem intuentes, multum otii ac laboris huic acquirendæ atque illuſtrandæ impenderunt, eorumque plurimi haud contemnenda elucubrarunt volumina, ut propriæ non ſolum, verum etiam aliorum mortalium neceſſitati ac commodo conſulerent.

Nonnulli etſi rebus togæ ſagique beneficio præclarè geſtis orbi ſe Illuſtres exhibuiſſent, Illuſtriorés tamen ſe fore arbitrabantur, ſi facultatem Stirpium clariſſimam ſuo quoque ſtudio proſecuti fuiſſent, inde è Regionibus Terrarum remotiſſimis omnis generis Plantas ingentibus ſumptibus ac ineffabili ſolicitudine conquiſitas, ad ſe deferri curarunt, ut veram earum contexerent Hiſtoriam, vireſque à ſe inventas mundo proponerent.

Neque enim illos latuit, nomina illorum omnibus ſeculis fuiſſe commendata, qui egregiam huic facultati operam navantes inauditum quid inveniſſent, ſcriptiſque poſteritati tradidiſſent: Herbæ enim quotannis reviviſcentes, illarum Inventores, vel Hiſtoriæ, ipſarumque virium Præcones in hominum memoriam feliciter revocabant.

Gentianam enim Herbam ubique à Scriptoribus tam frequenter decantatam, à GENTIO Illyriorum Rege inventam, ac denominatam fuiſſe, indeque Principi tanto non parum

rum Splendoris ad Famæ immortalitatem acceſſiſſe, plures affirmant Autores. Similiter Lyſimachiam à ſe denominatam Macedoniæ Rex LYSIMACHVS, Summis ideo in cœlum laudibus extollendus, invenit. Ob Scordii inventionem nominis æterni præmium conſecutus bellicoſiſſimus Ponti Rex MITHRIDATES, qui ex Herbarum cognitione varia invenit antidoti genera, ex quibus ſæpiùs compoſuit unum, quod ad hæc uſque Tempora ejus adhuc inviolabile nomen retinuit: Frequenti illius uſu corpus adverſus venena adeo firmaverat Rex ille Sereniſſimus, ut cùm ſemet ipſum vitâ potiùs privare, quàm Romanorum ſubire ſervitutem mallet, veneno ſæpiùs id tentaverit fruſtra.

Herba præterea Clymenon Regi CLYMENO Inventori ſuo; JVBÆ Mauritanorum Euphorbium; TELEPHO Miſiæ Regi Telephium; Echium, atque Anchuſa Duci Athenienſium ALCIBIADI, Famam conciliavere æternam. Præterhos ATTALUS Pergami, nec non EVAX Arabum claruêre Reges: Hic enim de Simplicium medicamentorum viribus ad Neronem ſcripſit plurima. His accedunt ARCHELAVS Cappadociæ, MASSINISSA Numidiæ, atque AGAMEMNON Argivorum Rex, quorum nomina vetuſtate penitus nullâ extingui potuerunt, quoniam Summam in cognoſcendis, prodendiſque Stirpibus curam, ac diligentiam adhibuerunt. PHILOMETERVM, HIERONEM, alioſque magni nominis Reges prætereo, ne ſolitò verboſiùs rem proſequi videar, qui, quòd rei Herbariæ ſtudioſi extiterint indefeſſi, immortalem gloriam retulerunt,

Poſt hos & Mulieres quoque Herbarum gloriam aſſecutas fuiſſe, ut quæ curæ multum, ſtudiique viribus earum inveſtigandis impenderint, Poëtæ & Hiſtorici unanimi conſenſu tradunt. CIRCES enim, à quâ Circea Herba denominationem mutuata cernitur, tantam Herbarum notitiam adepta eſt, ut mirabilia ſeculis illis palam patrata pro Numine potiùs,

potiùs, quàm è numero hominum fuerit habita. ARTEMISIA quoque MAUSOLI Cariæ Regis uxor, præclariſſimi alioqui nominis mulier, ex hoc memorabilis, atque immortalis gloriæ extitit particeps, quoniam nomen Herbæ inditum reliquit.

Illud inſuper veritate non carere videmus, tantum in ſe utilitatis hoc habere ſtudium, ut & animalia quoque irrationalia, mirando Naturæ inſtinctu edocta, plurimarum Plantarum vires cognoviſſe, eaſque mortalibus indicaſſe Cervi enim Dictamnum Herbam, quoniam paſſu illius venatorium telum vulnerati ejecerant, ſagit tarum vulneribus mederi oſtenderunt. Rutam Similiter Muſtelæ, Accipitres Hieratium, Columbæ Verbenacam, Hirundines Chelidonium, Ciconiæ Origanum, aliaque animalia Herbas invenêre innumeras,

Quapropter ſi mentem homines ad prædicta convertant, ſi materiæ medicæ primordia ſpectent, nullum mihi dubium eſt, hanc facultatem antiquitatis nobilitate, ac utilitate cæteras antecellere ad unum omnes ſublatis vocibus fateantur. Neque propterea huic tantum laudis, admirationis, ac gloriæ debetur ob cognitionem jucundam, & delectabilem, verum etiam ob ſummam utilitatem, & abſolutam neceſſitatem. Ea namque omnium ſanitatem, quâ homini nihil charius eſſe poteſt, tuetur, atque varia, & innumera morborum examina fugat, ferarum virus evincit, nec non lethalium venenorum vim demolitur: Hominum etiam vitam ulteriùs prorogat, ac deploratos ſæpè, quorum ſcilicet ſpes nulla ſit ſalutis reliqua, priſtinis viribus reſtituit.

Hæc Romanorum Imperatores non pauci jure merito conſiderantes, in Rcpublica adminiſtranda, Provinciiſque gubernandis, iiſve tuendis occupati licet eſſent plurimum, colendæ tamen atque illuſtrandæ rei Botanicæ nunquam defuêre, ut inde, immortalitatem beneficio ſemper demereri ſtudentes, utilitatis non minus, quàm gloriæ referrent. Majorum enim

memorabili ducebantur exemplo, qui glorioſis provocati exemplis, Regum non ſolum feſtis triumphalibus exhiberi exuvias, verum & ipſos Reges virtute bellicâ devictos, ac exoticas inſuper, redolentes, nec non agreſtes Plantas, in quibus naturalium virtutum deprehendebantur miracula, ante ſe duci curabant, nec ſe laudem exillis, gloriamve minorem, quàm ex Trophœis, Simulachris, atque Arcubus adeptos exiſtimabant, quæ in perpetuam Perſonarum, ac rerum geſtarum memoriam erigi curabat Senatus, Populuſque Romanus.

Quæ cùm animo attentiùs volverem, tibi Sereniſſime PRINCEPS, vobiſque Illuſtres, Potentes, Magnifici & Ampliſſimi Domini Herbam BRITANNICAM, omnibus Belgii incolit, nec non militibus caſtra ſequentibus, ad ſanitatem tuendam quàm maximè neceſſariam, dicare non erubui; non quod Celſitudini Tuæ, ac Veſtris Amplitudinibus ullum me operæ-precium hoc munuſculo meo facturum autumem, id enim mihi de meo tàm exiguo ingeniolo ne per ſomnium quidem ſperare licet, ſed quod vigiliis meis ob tantorum Nominum inſcriptionem, quæ jure optimo Literati omnes colunt, venerantur & ſuſpiciunt, gratiam aliquam, ponduſque & autoritatem captem: Eâ inſuper fiduciâ infallibili motus, ut Veſtrâ Autoritate, Veſtroque gloriæ ſplendore hæc mea BRITANNICA ab iniquorum non ſolum Sycophantarum morſibus virulentiſque invidorum dentibus tutior, verum etiem redderetur illuſtrior. Unde enim gentium majorem nanciſci poterit autoritatem, unde lumen quæſo ſplendidius mutuari, quàm ab iis, qui ampliſſimo virtutum faſtigio inter mortales veluti inter ignes Luna minores, excellunt.

In hâc enim Herbâ, licet à tot retro ſeculis ſpreta, DEI nihilominus Omnipotentis clementiâ ingenti ſolatio perfundentur omnes, qui hujus medicamenti auxília ſemper manui ac oculis præſentia deprehendent, quorum cauſa, ne in afflictionibus, quæ atrociſſimis in morbis proveniunt, deſperent,

à DEO

à DEO Pluribus in Belgii locis ſolo emergens cernitur.

Suſcipe igitur hanc Celſiſſime PRINCEPS, Suſcipite & vos Potentes Domini fronte ſerenà, quam hic lubens affero, propono, reddove, donare nequeo: Vobis enim id, quod Patriæ ultrò innaſcens conſpicitur, doni loco offerri nequit. Huc accedit immenſa veſtra erga omnes clementia, atque humana benignitas, quâ eos perpetuò promovetis, juvatis, atque fouetis, quos de Republica benemeritos eſſe cognoſcitis, præcipuè verò Medicos, utpote qui divinam potiùs, quàm humanam excolunt facultatem. Id quod apud Hebræos Sapientiſſimus Syrach teſtatum reliquit

Non mirum proinde Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum hiſce in Terris mortali ſpecie degentem, non Imperatoris, non Ducis, neque Senatoris; Verum unius Medici nomen aſſumpſiſſe, medendique juſtam gloriam non rejeciſſe, Lucamque Euangeliſtam Antiochenâ in urbe medicum egiſſe.

Quæ cum ita ſe habeant, plura hic addenda non exiſtimo, ne adulatoris munere fungi me velle videar.

DEUM tandem ter Optimum Maximum precor ſupplex, ut Te PRINCEPS Illuſtriſſime & Vos Potentes Domini, Neſtoreæ vitæ numeroſa felicitate ſemper læta & proſperi regiminis ſucceſſibus clementer beare dignetur. Vale iterum felix PRINCEPS Celſiſſime, Voſque ILLUSTRES Domini Valete, diuque vivite. Dabam ex muſæo, Botanicaque officina ædium mearum Groningenſium, Anno Salutis Milleſimo ſexcenteſimo Octogeſimo. Die vigeſimo Menſis Auguſti.

Tuæ Celſitudinis, nec non Amplitudinum Veſtrarum

Humillimus Servus

ARBAHAMUS MUNTING.

AD LECTOREM.

DUbio procul non deerunt, BENIGNE LECTOR, qui OPUS hoc noſtrum perlegentes vitiligent, & paſſim damnent, acriter reprehendant, atque amarulentius ſubſannent: Utpote qui poſt PEDACIUM DIOSCORIDEM, PAULUM ÆGINETAM, ORIBASIUM, ÆTIUM, cæteroſque tàm GRÆCOS, quàm LATINOS omnes, quorum non minor extat numerus, qui de BRITANNICA quædam, licet non multa ſcriptis promulgarunt: Ut propterea has meas quantulaſcunque nugas publicè edere non veritus, tanquam ſupervacaneas, parumque neceſſarias, uti urbaniùs, idque etiam cum majori modeſtiâ, PRISCIS illis tot tantiſque AUTORIBUS morem meo ſilentio geſſiſſe debuerim. Verum & illud mihi Satyricum impingent acerbius: *Tenet inſanabile multos ſcribendi cacoëthes.*

Quamobrem anceps atque incertus conſilii ipſe diu mihi reluctatus, utrum id, quod jam animo conceperam, auderem, conſtans tamen & ſui tenax propoſiti tandem triumphavit audacia.

Nihil enim ab illis tam affabrè ſcriptum fuiſſe exiſtimo, quod non emendando, expoliendo vel ornando aut illuſtraretur perfectiùs vel rederetur limatiùs: Ut locus non fuerit ſequentibus: Nec ſcientiæ, artiſve ulla unquam extitit pars, quæ oſtentatores ſui plures non habuerit. Neque ad unum omnes illi animo tam malevolo atque arroganti fuêre, ut rem à ſe tractatam, relinqui ab aliis intactam nollent: Atque ita ut plurimi illorum viam aperuerint, quam ab aliis lapillis & obice expurgari, nec non ex obſcurâ & ſalebroſâ faciliorem latioremve fieri vellent. Ut mihi præterea ſit vitio minimè dandum, ſi poſt tot AUTORES atque expertos MEDICOS, de hâc VETERUM BRITANNICA diſſeram. Non ut cum iis decertem, quod nobiſcum fortaſſè Poſteri facient, Verum ut ex omnium tabulis (abſit ut naufragium dicam) navim ædificem, è quorum dictis hæc noſtra conſarcinemus, perque illorum fortunata deambulans nemora, quicquid pretioſum lectuque ſit dulciſſimum, colligam, ut hæc mea ex illis adornem. Eo certè judicio & curâ quâ potui, ut quicquid ad BRITANNICÆ hujus hiſtoriam commodiſſimè, excellentiſſimèque adductis illorum ſententiis, faceret, in medium protuli. Non ut laureatis PRI-

SCO-

Ad Lectorem.

SCORUM laudibus inviderem, dum horum Scriptis fortè non meliora, utinam æquè bona litterato Medicorum orbi propono; Sed ut potius doctis ex illorum monumentis quàm ex elucubrationibus meis lucis ac gloriæ radicem in me derivem: Non aliâ ductus ratione, quàm ut ANTIQUORUM hanc BRITANNICAM, ad hoc præsens Tempus sopitam, neglectui habitam, nec non planè deperditam, veram ac indubitatam præsentibus redderem, atque è spissimis ignorantiæ tenebris in veritatis lucem protraherem.

Illorum insuper consilio motus, qui paulo ante ætatem nostram, nostraque etiamnum tempestate artes ad unum omnes ferè extinctas vel langueſcentes, ac evaneſcentes, ut reviviſcerent rursum, atque florerent, suis effecêre vigiliis. Inter quas hæc BRITANNICA nostra totius MEDICINÆ potissimum & fulcrum & ornamentum hactenus jacuit, quæ tamen DEI omnipotentis clementiâ suos jam nativos & Flores & Fructus, pristinumque nitorem recuperavit. Ægerrimè enim ferre potui, HERBAM hanc NOBILISSIMAM hominum incuriâ tam diu jacuisse; Ut ab omnibus non sine injuriâ pro derelictâ haberetur: Res inquam vitæ humanæ quàm maximè necessaria. A quâ, antequam invenissem, manus non abstinui; quam prudentissimi nostri MAIORES plurimi magnique semper fecerunt, quæque sese ultrò cuique, non negligendam, offerebat: Ut ad Viri boni Naturæque studiosi officium planè pertineret, hanc ab interitu quodammodo vindicare.

Cujus munere si non planè & ex quàlibet illius parte exactè satis fungar, saltem id, quod potui, præstare volui. Fuit præterea in hâc eruendâ tàm ardens & pertinax studium diligentiaque pœnè incredibilis, ut multa parvo tempore didicerim, & in hâc expertus fuerim, quæ hactenus Medicos latuêre plurimos. Non ut Pamphilius, quem CLAUDIUS reprehendit GALENUS, qui cùm non conspexerit, nedum per somnium viderit, de his tamen scripsêrit. Ex quibus omnibus non desperarem plurimis MEDICINÆ Studiosis saltem in multis, si non in omnibus, placuisse. Ut mihi hâc ratione ampliſſimè & magnificè satisfactum iri arbitrarer.

Quod ultimum præstare nunquam speravi. Hoc enim impossibile fore novi, id alicui ob virium infirmitatem unquam contigisse. Quod si sine prævièe acquisitâ eloquentiâ, sine ingenii judiciique miraculo illis non fatisfecero, saltem curæ nostræ testimonium ostendisse sufficiat: Sin verò aliis arriserint, quæ tanto studio perfecimus, neque nos, neque

 nostræ

noſtræ induſtriæ alios penitabit. Damus autem ſi non omnia, quæ potuimus, tamen, propter quæ reprehenſioni locus erit, nequaquam: Egregii & exquiſitiſſimi venatoris inſtar, qui ſi nonnullas in ſylva feras etſi non omnes ceperit, ejus minimè tribuendum culpæ cenſebitur: Cum propter rei difficultatem, tùm quod ex venatione ſuâ alteri, ſibique ſat placuiſſe exiſtimet.

De me autem nihil omninò prædicare poſſum, niſi quod hanc meam quantulancunque operam non paſſim neque ab omnibus reprobatum iri confidam. Si enim LECTORIS probi deſiderium in pluribus non explevero, ſaltem illi in paucis placuiſſè confido, dum à benè malève dictis, aut excogitatis in nihilo affligetur.

Interim adverſus malos, qui me calumniis clam proſequuntur, neque niſi oculis ignominioſâ rubedine undique obſitis me aſpiciunt, velut clypei munimine me tuebor.

Eſt, ut eleganter PLINIUS inquit, *quoddam prodire tenus, ſi non datur ultra*, etiam non aſſecutis, voluiſſe, pulchrum eſt atque magnificum, ut ſaltem audaciæ meæ ære repercutere valeam. Præſertim verò quùm haud quaquam ex eorum ſum numero, qui vel poſſim, vel æmulis carere velim. Verum ut faciliorem ab his veniam impetrem, ingenuè dico laborem hunc meum, non gloriæ ambitu ſuperbire, verum arcis vice adverſus invidos eminus & cominus apparere.

Interim tamen ab hoc vel illo acriter fortè reprehendar, ſtylum ſibi omninò diſparem videri, his inquam ſuggeram nos ſæpiùs invitâ MINERUA nunc alacriores, nunc triſtiores, nunc meditabundos calamum arripuiſſe. Neque enim continuò, ſed interciſim, negotiis cùm publicis, tùm privatis diſtrictos, maximâ temporis anguſtiâ ad momenta hæc, qualiacunque, exaraſſe: Nobiſque labore nimio planè confectis, penſum tamen quoque modo abſolvendum fuiſſe.

Proinde non mirum ſi turbidior ac prolixior quandoque fluat oratio, & abortivum etiam canis feſtinantis more pariam. Quare quæ deſunt alii quæſo ſuppleant, hic cognitionem, alter eloquentiam, & artificium, aliique alia hujuſmodi plura: Quod ſi facere dignentur, maximas illis aliquando gratias habituri ſumus: Quùm non parum cognoviſſe, ſed in cognitione parum, ſtultè atque diu perſeveraſſe turpe ſit, atque ignominioſum. Propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum verò ſingulari uniuſcujuſque vitio ſit attributum.

Nobis ſolis negocium ſcioli faceſſènt quidem, nihil rectè factum calumniantes. Qui etſi nihil unquam boni ediderint, vel edituri ſint, nihilo-

hilominus tamen faſtidiunt omnia: Et quùm ad hanc immortalitatis atque gloriæ ſpem, ob ingeniorum imbecillitatem, laborumque moleſtias exhauriendas aſpirare nunquam poſſint; veluti apum fuci, & improbiſſimi ſycophantæ, nec non vani rerum oſtentatores, ſolitâ ſeſe efferentes inſolentiâ, ad quodlibet carpendum proni, ingenioſi, umbratici, tenebriones, atque alienarum vigiliarum arroſores, ex alieni nominis detractione cujuſdam ſcientiæ Famam ac Laudem inter ſui ſimiles, atque ignaros aucupantur. Quorum indies creſcens invidia cæterorum præconiis miſerrimè torquetur.

Quos tamen non moramur, utque hoc òccultarum reprehenſionum pabulo ſuam alant malevolentiam, facilè patimur.

Neque etiam hos, qui tametſi ſunt tolerandi mitiùs, qui nullâ aliâ mercede, præterquam reprehendendi oblectatione omnem diligentiam, ſtudiumque alienis ad exactiſſimam amuſſim examinandis impendunt: Ut quod ipſi aliter præſtare non poſſunt, nihilominus obtrectationis amore aſſequantur.

A quibus verò hoc ſolummodo impetratum velim, ut ſi in hoc noſtro opere quædam vel pauca, vel fortaſſè plurima, neque omnia calumniari poſſint, quùm ex gravi CAII PLINII ſecundi ſententiâ nullus adeò liber reperiatur malus, qui ſaltem ex parte aliquâ prodeſſe non poſſit.

Quare ab hoc quæſo abſtineant: Hâc enim ratione fiet, ut ipſi ſeſe ſpinoſâ legendi moleſtiâ, nos autem accuſatione quotidianâ liberent, illis hæc legenda relinquentes omnia, quorum neque aures, neque judicium tàm ſit ſuperbum, verum demiſſius, candidius, atque benevolentius.

Mihi ſufficiet OPTIME LECTOR, ſi te teſaltem hujus noſtræ BRITANNICÆ Herbæ beneficio atque uſu à tot miſerrimis morborum Endymicorum, aliorumque cruciatibus liberatum videam. Faxit DEUS ter OPTIMUS MAXIMUS ut omnia proſpera ſint & tibi, & mihi, & nobis omnibus. Vale.

Vete-

Veterum & Neotericorum Autorum

SYLLABUS.

Quorum operá in hoc Scripto uſi fuimus.

A.

ABrahamus Ortelius.
Adamus Lonicerus.
AEtius.
Agatius.
Albertus Crantzius.
Albinus Torinus Vitodurenſis.
Alciatus.
Alexander ab Alexandro.
Amatus Luſitanus.
Ammianus Marcellinus.
Andreas Ballunenſis.
Andreas Lacuna.
Andreas Matthiolus.
Andreas Veſalius.
Antonius Muſa.
Antonius Muſa Braſavola.
Apulejus Platonicus.
Ariſtoteles.
Arnoldus de Villa Nova.
Athanaſius Kircherus.
Avicenna.

C.

CAjus Julius Cæſar.
Calliſthenes, Hiſtoricus.
Cappadocus.
Carion.
Carolus Cluſius.
Caſparus Bauhinus.
Caſtor Durantes.
Cælius Rhodoginius.
Claudius Salmaſius.
Conradus Geſnerus.
Cornelius Celſus.
Cornelius Tacitus.

D.

DEmocrates.
Dion.
Dioſcorides.

E.

EGeſippus.
Epicharmus.
Euritius Cordus.
Eutropius.

F. Fa-

F.

FAbius Columna.
Feſtus Pompejus.
Franciſcus Gomara.
Franciſcus Hernandes.

G.

GAbriel Humelbergius.
Galenus.
Garcias ab Horto.
Gelenius.
Gentilis.
Georgius Handſcius.
Gerhardus Cremonenſis.
Gotofridus Viterbienſis.
Gualterus Rijff.
Guilielmus Cambdenus.
Guilelmus Rondeletius.
Gulielmus Rouillius.

H.

HAdrianus Junius.
Hermannus à Nuenar.
Hermolaus Barbarus.
Hieronymus D.
Hieronymus Brunswicenſis.
Hieronymus Tragus.
Hippocrates.
Horatius.
Hroſvitha Monialis.

I.

JAcobus Dalechampius.
Jacobus Goupilius.
Jacobus Tabernæmontanus.
Janus Cornarius.
Joachimus Camerarius.
Joannes Agricola.
Joannes Ammonius.
Joannes Bauhinus.
Joannes Bodæus.
Joannes Cherlerus.
Joannes Chriſtovallus Calvetus.
Joannes Criſpinus.
Joannes Fernelius.
Joannes Fungerus.
Joannes Goropius Becanus.
Joannes Jacobus Manardus.
Joannes Ludovicus Gotfridus.
Joannes Ruellius.
Joannes Wierus.
Joſephus Quercetanus.
Julianus Martianus Rota.
Juvenalis.

L.

LAurentius Friſius.
Leonardus Fuchſius.
Lucius Annæus Florus.
Lucius Moderatus Columella.

M.

MAcer.
Manilius.
Marcellus.
Marcellus Virgilius.
Marcus Zuerius Boxhornius.
Martianus Juriſconſultus.
Martinus Antonius Delrius.
Martinus Hamcomius.
Mathias Lobelius.
Matthæus Sylvaticus.
Mauricius Imperator.

N.

NArdus Antonius Recchus.
Nicolaus Abrahamus.
Nicolaus Lonicerus.
Nicolaus Rigaltius.
Nicolaus Winckelerus.

O.

ORibaſius.
Otto Bronsfelſius.
Ovidius

P.

PAulus Ægineta.
Paulus Merula.
Paulus Oroſius.
Perſius.
Petrus Bertius.
Petrus Pena.
Philippus Cluverus.
Pierius Winhemius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Pontanus.
Porphyrius.
Procopius.
Pyrrhus Caſtriotta.
Pythagoras.

R.

REgino.
Rembertus Dodonæus.

S.

SEneca.
Serapio.
Sidonius Apollinaris.
Solinus Polyhiſtor.
Sophocles.
Statius.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Suffridus Petri.

T.

THemiſon.
Theophraſtus Ereſius.
Tobias Aldinus.
Trebellius Pollio.

V.

VAlerius Cordus.
Valerius Maximus.
Virgilius.

W.

WIthikindus.

X.

XIphilinus.

Nobi-

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri

ISAACI DE SCHEPPER,

Octo-Pagorum in Friſiâ Greetmanni Digniſſimi.

ELEGIA IN

HERBAM BRITANNICAM,

Recens erutam, novàque luce Donatam.

à

Clariſſimo, Doctiſſimo, Cultiſſimoque Viro,

Dº. ABRAHAMO MUNTINGH,

Med. Doct. & in Academia Groningæ & Omlandiæ
Botanices Profeſſore celebratiſſimo.

NOnne times, ne quis dubitet, te, Phœbe, coruſcum
Noſſe relegatà Spargere nocte diem?
Inventum Medicina tuum dum militat umbris,
Et tenebris magnà ex parte ſepulta jacet.
Eccebis octo rotas ſpatioſis ſæcula Gyris,
Et ſobolem latet, ah! Herba Britanna tuam.
Illa decus fruticum, cælo data planta ſereno
Nataque ſexcentis una medela malis.
Phœbe, quid incertas admittis in atria plantas,
Proſtat & ambiguæ poſtibus herba notæ?
Dum, quæ tercentum virtute potentior herbis,
Fixa patet nullis herba Britanna tholis.

Anne frutex indus duntaxat arabſve tumebit,
Doctaque per Còas currere planta manus?
Atque huic, quod Friſiis naſci contingit in oris,
Conditio cedet nobilitaſque minor?
Quid juvat unde domo, ſi certam hæc herba ſalutem,
Si genti, ante alias quæ tibi culta, tulit.
Quæque Palatinas tibi condere geſtiit arces,
Et pia millenis thura cremare focis.
Illa gravi vexata ſiti, vexata pruinis,
Atque inconſuetis attenuata malis:
Spirat anhelanti Dominantem pectore peſtem,
Præſentiſque minas exhibet ore necis.
Cum ſimul hæc Latiis monſtrata Britannica caſtris
Optatam miſeris approbat herba fidem.
Pellit & ex unis graſſantem impune medullis
Spe citius, præſens auxiliata, luem.
Quos tamen ob latam fructus precor illa ſalutem,
Sertaque ab incolumi quernea cive tulit?
Abſcelus indignum, fructus oblivia, quodque
Exitium Latio depulit, ipſa ſubit.
Infami dum menſa luto, putrique ſub algà
Vilis, îners per tot ſæcula lapſa latet.
Et latuiſſet adhuc, tua ni, dulciſſime rerum,
Hanc è Lethæis cura levaret aquis.
Illuvieque repurgatam, limoque ſituque
Iret in antiquum reſtituiſſe decus.
Sic tibi Tros Anchiſiadè, tibi fraude Novercæ
Caſte nimis durum Nate reperte Patrem:

Haud

Haud priùs emeritam reddunt pia Numina lucem,
Dedecus indignæ quàm ſubiiſtis aquæ.
At tu, qui mediâ revocas à morte ſepultos,
Et famæ gaudes inſeruiſſe tuæ.
Perge, velut pergis, decus extendendo, ſubinde
Fætibus ingenii luxuriare novis.
Sic tibi, ſic lætis creſcat feliciter hortis
In tua quæ longùm tempora laurus eat.

In emendatas ingenii curas

ABRAHAMI MUNTINGH,

Viri Clariſſimi,

Explicantis exactè

HERBAM BRITANNICAM

Majorum Panaceam,

itemque

Aloës aliquot ſpecies antè non cognitas.

ET nos hoc etiam limis debemus amicis
Hoc arvis, hortis hoc Abrahame tuis.
Hoc hortis, in queis habitat Venus alma, ſimulque
Submittit curis Semina mille tuis.
Quòd jam, quæ proavis olim monumenta latebant,
Et multum doctos implicuere Viros
Percipiant omnes errorum ambage remota,
Sic ut quod tardet nil ſupereſſe queat.

Teſtis, Roma, tuis quondam Panecea medendis,
Ureret in caſtris cum ſtomacace tuos,
Herba ſuo perte deſcripta Britannica cultu,
Quâ vix tam ſalubris planta vel ulla fuit.
Herba per ætates multas non nota parentum,
Per non tentatas herba reperta Vias.
Hanc Abrahame ſuis natalibus aſſeris, & cur
Non trito hoc Friſiis nomine dicta fuit.
Et quâ luxurie foliorum incedat, & atro
Ut placeat cultu, ceù viduata, doces.
Et quas ſuccus opes habeat vireſque medendi,
Et quid collectus flos quoque ritè juvet.
His Alôes addis ſpecies non ante notatas,
Tranſmiſſas Indo litore ruris opes.
Magnum opus ex hortis tales decerpere plantas,
Laudem unde à ſerâ poſteritate feras.
Non ea cum ſol eſt nimio macreſcit ab æſtu,
Aut hyemes metuit bruma maligna tuas.
Hos etiam ex hortis fructus Epicurus habebat,
Traderet Ille ſenex cum ſua ſcita ſuis
Areolas inter veri Pater ille juventam,
Formabat Patriæ ſpem, Pater ille, ſuæ,
Hac in parte ſenem ſequeris non immemor, & quas
Hinc habuit laudes & ſimul ipſe feres.

JOH. MENSINGA.
Eloquent. Profeſſor.

Excel-

Excellentiſſimo, Clariſſimoque Viro

D. ABRAHAMO MUNTINGIO

M. D, & P. B,

HERBAM BRITANNICAM,

è tot cæcorum, & errantium ſæculorum caligine in lucem Orbis, & Veritatis feliciſſimè protrahenti.

PRimitias Phœbo ſacras, artiſque potentis
Grande rudimentum Podalirius ore tumenti
Proſequitur, plenuſque Deo præcordia, florum
Herbarumque ferens ver, & miracula, cunctis
Numen ineſt foliis, calathoſque ad Apollinis aras
Effundens, delubra novis clangoribus implet.
Mox Phœbi populo cunctis ſolennia templis,
Vittatiſque globis Myſtarum feſta per oras
Nuntiat; extemplò proprias Epidaurius ædes,
Ocyröenque piam fortunæ, artiſque Magiſtram
Deſerit, & plenâ ſe majeſtate videndum
Exhibet huic feſto, Chironque opiferque Machaon
Ignotas curâ ſecum notaſque vehentes
Delicias nemorum, & terre ſtrem floribus æthram
Fulgentem radiis, raroſque ad pharmaca bulbos;
Herbarum quicquid cultis innaſcitur hortis,
Sive jugis Arabum, vel circum littora Ponti
Creta tui, quicquid vel Troiæ creſcit in arvis,
Aut Amphryſiacis virtute ſuperbit arenis
Suſpendunt ſacro cultu laquearibus altis.
AST LAPATHI ſpecies aras, & templa coronans
Inſigni formâ rapit ora, manuſque ſtupentum,
Suſpenſaſque tholis herbas hæc una triumphat,
Et juſto cunctas meritorum pondere vincit.
Interea Phœbus rutilanti crine decorus
Conſtitit ante oculos Authoris, amanſque Clientis
Talia verba dedit, laudes effuſus in omnes.

MUN-

MUNTINGII jam cerno meum Tua pagina plectrum
Percutit, & noctes ſtudiis affixa dieſque
Artis Apollineæ mens mentibus altior, æthræ
Incola, docta ſono criſpantibus aëra chordis
Nominis æterno prætudere mandat honori.
Per Te ſpes ægri dudum inclinata reſurgens.]
Se levat, & chartas votis ſuſpirat anhelis.
Quæ mala dimanant ex putreſcentibus undis,
Et nitri virus, nocuumque vehente bitumen
Flumine, ſanabis medicamine, & omine fauſto
Diſſolvens ſtrictos languore ſalutifer artus.
Cui ventura parem, cui ſæcla fluentia gignent?
Auſa juvent animos, ſis ſemper proſper in auſis!
Spondeo: ſemper eris DIIS Tu Clariſſime cordi.
Dixit, & in tenues properans evanuit auras.
O ſignanda dies! quâ poſt tot ſæcula tandem
Diſpulit errorum noctes, umbraſque removit
Sol meus: herbarum regina BRITANNICA mundo
Pròſtat in exemplum: quæ tanta potentia Cælo
Floribus, aut herbis conceſſa ſalubribus extat!
Extitit! extabit! Medico inſuperabilis uſu eſt.
Tu toties quæſita BRITANNICA, tecta Britannis,
Atque ignota Padi, Ligeriſque, Tagique Lyceis.
A Belgâ detecta meo es! MUNTINGIUS orbi
Exhibet, & ſpiſſam fugat alta induſtria nubem.
Felix curarum! cui ſunt, Parnaſſia menti
Dona Triumphantum, plexæque ab Apolline laurus
In decus æternum, Vaſtoſque accinctus in auſus
Stat vigor ingenii, nullis conatibus impar,
Spe major, crebro ſucceſſu illuſtrior herbæ.
Illius auxilio morborum examina captant
Corporibus depulſa fugam, febrilibus omnis
Ardor abeſt turmis, exercitus atra malorum
Supplementa trahens, loca deſerit, ipſa recedit
Vis truculenta, pedum flagrans tortura, Podagræ,
Quæ tormenta parit vix fanda, nefanda tyrannis,
MUNTINGI inventâ ſplendes ceu Perſide gazâ,
Perſarum præſtat detecta BRITANNICA gazis.
Nunquid Phœbei ſelecta medulla cerebrij

Viſus

Viſus es arte palàm? fulges ut fulſerat olim
Qui ſuccis Regem validis curaverat Orci,
Fortior Herculeis, & fortior Hercule, telis.
Munere, Divorum felicia tempora nobis
Advenére, quibus genuinus Apollinis infans
Tanto opere, & tanto dextræ molimine ſortis
Accenſam cæco lucem communicat orbi.
Aude animis! aude calamo! ſubſcribe vocantis
Ad majora Dei monitricibus inclyte curis!
Te nunquam ceſſura gradu conſtantia linquat!
Sic Tua Pellæis plures Victoria palmas,
Et Famæ in varijs numerabit munera terris:
Enſis Alexandri quot millia meſſuit Orco,
Plura fatebuntur Tibi ſe debere ſalutem,
Optatamque diu ſinc morbis vivere vitam.

J. ALOYSIUS BUCHORST.

A Monſieur

MUNTING,

Docteur & Profeſſeur en l'Academie de
Groninge & Omlande,

De la Medicine & Botanique ſur ſon Livre de

L'HERBE BRITANNIQUE.

O *Medicin divin, Prince des Iardiniers*
Que Febus te couronne avec ſes cerds Lauriers,
Qui monſtrés le premier par ta ſage practique,
*Quel ſoit l echantillon de l'*Herbe Britannique,
Par tant de ſiecles de tous ſcavants ignoré.
Pour ce labeur ton nom ſera touſiours doré.

THEOD. UCHTEMAN.

**** *Viro*

Viro Præclarissimo

D. ABRAHAMO MUNTINGIO

Med. Doct. & in Almâ Groningæ & Omlandiæ Academiâ Botanices Professori eximio,

cùm

BRITANNICAM HERBAM

Per tot sæcula spretam, jam verò à se de novo inventam orbi communicasset.

ECce laborantem rutili sub climate Solis
Artem Idieriis invigilare choris.
Ecce procul veri speciem, limante Minervâ,
Hippocratis quantus fertur honore gradus.
Alma Themis sacrata Diis, per Apollinis artes
Vestigat quid non officiosa manus?
Officiosa manus, quicquid Phaëtontis Eoi
Prætereunt, tacitè condecorare potes.
Quicquid habet tellus, quicquid Capitolia firmant,
Hoc bene Pieridum nobile tentat opus.
In Pelagi medio, Thetidis quod clauditur undis,
Molitur Pallas sedulitate suâ.
Quicquid & abscondit Phœbus sub nubibus atris,
Hoc pandit studiis ingeniosus amor.
Visceribus terræ nihil est tam ritè sepultum,
Quod non discutiat pervigil arte Themis.
Omnia quid memorem: tangit MUNTINGIUS herbam
Naturæ monstrans grande latentis opus.
Hoc sua mens aperit, quicquid lux aurea promit,
Quo magis occultum splendeat orbe decus.
Namque salutiferâ vi surgens herba secreta
Aoniâ firmat nobilitate virum.
Quæ petiit latebras varias volat illa per oras,
Quæque locos fraudi texerat, arte nitet.
Inclyta MUNTINGÎ Parnassia Lumina produnt,
Dædala perplexum terra quod ipsa tulit.
Non audita cano: præterquam publica vota,
Hujus testantur mox monumenta libri.
Nec fallunt me Fata: potens Heliconis arenâ
MUNTINGÎ specimen publica Flora dedit.

Nuncia

Nuncia fama fuit, tandem veſtigia priſca
Repperit herbarum dexteritate ſuâ.
Palladiæ decus hoc, MUNTINGH rediviva parentis
Gloria, Gruniaco grande decusque ſolo.
Hic paribus patris paſſus virtutibus æquat,
De Medicâ Medicûm pondera gente ferens.
Vir pius evolvit Sophiâ myſteria doctâ
Germinis, evolvit myſtica dextra malis.
Scilicet in noſtris germen venerabile terris
MUNTINGÎ invenit cura, labor, ſtudium.
Grande latentis opus naturæ pandit in herbâ
MUNTINGH Friſiaci gloria tuta ſoli.
Siccine Caſtalidum comitantur docta Sororum
Agmina Groningæ lumina tanta viri?
Siccine ſplendeſcit virtus? ſic itur ad aſtra,
Sic gaudet celſum Pallas habere locum.
Miremur: Latium, Sophos omnis mira relatu
Cantat, inauditum Grunia germen amat.
Te vocat Europæ pars tertia, te vocat ora
Ardentis Lybiæ, Grajugenûmque Domus.
Dic igitur quali ſignatum nomine curris,
Ignotum toties ſcandis ab axe Poli.
Nam pudor eſt duris ſi nomina ſuccuba Fatis,
Non pudor, aſt majus velle ſilere nefas.
Quæ tua ſit virtus, prodis quo ſtemmate, narra,
Majori ut poſſis laude vigere foras.
Florida terra ſinus dum blandos ſpargit in auram,
Expediam dictis nomina magna meis.
Nuncuper ut meritò, BRITTANNICA nuncuper herba
Cæſaribus quondam nomina Diva fui.
Cui Groninga quidem primos devovit honores,
Nomina cui quondam Friſia clara dedit.
Quam petiit Cæſar vel votis Claudius almis
Dignatus quſi me ſplendidiore loco.
Nec tamen immeritò: monſtravit Friſia natis
Sanguine de Latis, queis medicina fui.
Tum me duxerunt Romam, Capitolia preſſi,
Inque ſuò pretio corporis uſus eram.
Aſt ubi ſanguineus deſtruxit mœnia Romæ
Tradidit accenſæ me quoque Nero pyræ.

Poſteà

Poſteà viva quidem, rutilos quo Cynthius orbes
Luſtravit, ſed tum gloria nulla fui.
Gloria nulla fui Batavis occulta tenebris,
Atque parum auſpiciis utilis ipſa meis.
Tandem Theſpiadum ſcindens MUNTINGIUS undas
Poſt Spartam ingenii repperit arte ſuâ.
Plaudite Pierides, felix Pæantius heros
Protulit hic, Medici gloria veſtra chori.
Gloria veſtra chori tandem poſt mille labores
MUNTINGH obſcuro germine victor ovat.
Et jam Lectori pulchras oſtendo figuras
Quas varias veras Muſa diſerta probat.
Non ultrà teneo, percurrite ſingula viſu,
Acta probant hominem, jam liber acta probat.
Quis titulos, vir macte, tuos graviore cothurno
Pro meritis igitur commemorare poteſt?
Dum tua Suada dedit Parnaſſia munera mundo,
Vulneris auxilium dum tua Suada dedit.
Queis patriæ meritis virtutem extendere factis
Principibusque viris ſpontè placere vales.
Auſpiciis faveant Cœleſtia Numina porrò,
Semper ut immenſis floreat herba bonis.
Semper ut huic magno faveat fortuna labori,
Et dignum mundo poſthuma fama ferat.
Herba licet nunquam Fatalia ſtamina firmet,
Firma tamen ſemper ſtamina laudis erunt.
Quæ tibi, Vir præſtans, BRITTANNICA contulit Herba
Te vivum ſemper ſæcula laude canent.
Vade igitur Medicâ, voveo, celeberrime famâ
Vade liber fauſtus quo vocat aura: Vale.

W. WIARDI,
Dammonenſis. Stud.

De

Britannica *Antiquorum vera*

De

VERA ANTIQUORUM HERBA BRITANNICA,

Ejusdemque contra Insularum Germanici Oceani, nec non Vicini Septentrionalis Saxonici Populi Endymica Mala, vulgo DE SCHORBUT, remediis Naturalibus atque expertis,

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA.

Caput I.

In quo de mirandâ DEI potentiâ, ineffabili bonitate, atque clementiâ, Hominis præstantiâ, ac fragilitate. BRITANNICÆ nomine, significatione, honore, veritate, nec non quorundam inani ejusdem inventionis gloria, tractatur.

QUùm mentis humanæ aciem (ut cum Frambesario loquar) ad supremi, ac summè Thaumaturgi Numinis opera præclarissima, MAJESTATEM, rebus etiam in minimis maximè eminentem magnitudinem, immensam bonitatem, sapientiam, nec non potentiam suam, accuratè contemplanda, acriùs intendo; non possùm non vehementer admirari, & ad nominis ipsius gloriam perpetuò celebrandam inflammari. Quis enim pulcherrimum omnibus suis partibus mundum lustrans, tanti opificii Autorem, moderatoremque summis non efferat laudibus? Nonne cœli undique sideribus ornati, immutabiles astrorum ordines, dispares conversiones, nec non multiplices cursus suas continenter laudes prædicant, & mortales universos

ad cultum & venerationem ipsius Numinis mirabiliter accendunt, omnesque Nationes gratas esse cogunt? Nonne diei, noctisque vicissitudines, alterna accretio & diminutio, perpetuaque constantia, clamant atque testantur tantorum operum Laudem Fortunæ nec spontaneis motibus esse tribuendam? Sed aliquem præesse, qui hæc universa ab initio constituerit, & sempiternis seculorum ætatibus omnia moderatus fuerit atque conservaverit? Quid SOLE siderum cunctorum DUCE præclarius, quid pulchrius, quid jucundius, quid utilius? Qui fulgore suo splendidissimo tenebras fugat, rebus caducis salutarem & maximè vitalem suppeditat calorem, omnes naturas augentem, nutricantem, sensuque afficientem; Terras exhilarat; ejus ingremio benedictum illud *crescite & multiplicamini*, pullulentibus fœcundat seminibus, & insatiabili quâdam lætitiâ & voluptate omnium animantium oculos, atque animos complet? Cujus circumvectio tantâ celeritate ab extremo fertur Oriente ad Occidentem extremum, atque inde ad dexteram Cœli regionem revoluitur, ut uno circuitu integrum diem, ac noctem conficiat, modò sublimis pulcherrimos radios nobis ostentans, modò sub pedibus oculis nostris se subducens. Hæ comnia nonne incredibilis sapientiæ, ac bonitatis suæ monumenta sunt sempiterna ad gloriam suam per universas Terrarum oras infinitis seculorum ætatibus longè latèque propagandam?

Cum verò hominem sublunarium omnium PRINCIPEM attentius considero, nihil illo admirabilius præstantius, nihil perfectius, nihil denique divinius in toto Terrarum orbe animadverto. Quùm præ cæteris sedulò perspicio illum ad sui Numinis effigiem conditum, adeo ut ipsius in eo conspiciatur sculptura, non aliter atque in numismate Charagma CÆSARIS.

Imo quod præ mirabilitate obstupescendum, ad omnium rerum vices ac naturam (à summo rarum opifice uno tantum Spiritus Divini afflatu edoctus) absolutam rerum naturalium, & plenariam ac intimam PLANTARUM cognitionem obtinuit, ut primo intuitu perque earum signaturas, nec non arcanas operandi virtutes, in occulto Naturæ silentio abditas, iisque infusas, quid scilicet purgat, quid febres fugat, quid vulnera sanat, perspexerit, atque cognoverit. Quod ex solâ DEI voluntate liberrimâ factum, non ex ullâ egentis naturæ necessi-

tate

Aloë Mucronato folio Americana major. *fol. 3.*

tate, verum merâ bonitate, propter infinitam gloriam ſuam, omnia ex profundiſſimo DIVINITATIS ſuæ conceptu & receſſu promulgans, quis dubitet ? conceptu & receſſu egentis ſuæ promulgans: Illum quoque in hoc medio mundi globo tanquam mortalem aliquem Deum collocavit, ut oculos undique circumferens ad conſiderandum tanti ædificii artificium, Architectum ſuſpiceret ac veneraretur : Ut qui omnia quæcunque Cœli & Terræ complexu coërcentur, ejus poteſtati ditionique ſubjecit. Quin & COELUM ipſum, & admirabiles illos SIDERUM fulgores, nedum ea quæ gignuntur in Terris, ad illius uſus & commoditates creavit, ejusdemque imperio & poteſtati permiſit tot genera tamque diſparia beſtiarum ſicurum, ferarumque, & omnes aërias animantes, & quæ fluminibus, & mari belluæ occultantur. Imo & in eo magni iſtius mundi formam tanquam in ſpeculo, aut parvâ tabellâ adumbratam oculis ſpectandam propoſuit. Unde non immerito μικρόκοσμος à VETERIBUS nuncupatus eſt. Neque ſolum homini præſtantiſſimis facultatibus præditam animam, corpuſque variis ad quasque animæ functiones obeundas organis ſagaciſſimè conſtructum tribuit, verum ejus etiam ſaluti ac commodis tantâ benignitate conſuluit, ut nihil ipſi illo charius, nihil majori curæ fuiſſe videatur.

Cùm enim humana natura ob fœdam peccati luem primi PARENTIS culpâ contractam vinculis ac vitiorum compedibus obſtricta, morti ſempiternæ addicta, & aſperrimo Diaboli imperio eſſet ſubjecta, unigenitum FILIUM ſuum è COELO in Terram mortalitatem noſtram induendum dimiſit, noſtra ut flagitia ſui corporis ſacrificio, ac puriſſimi ſanguinis effuſione expiaret, & immortalitatem ſuam nobis impertiret, noſque, à denſis ſcelerum tenebris, ac crudeliſſimâ Diaboli tyrannide liberatos, ad beatiſſimam REGNI ſui lucem & libertatem traduceret.

Et quoniam corporis ſtatura fragilis & caduca, variiſque morbis obnoxia eſt, ne protinùs ſuccumberet ac corrueret, vitave miſerè & calamitosè tranſigeretur, cùm cæteras artes humanæ vitæ neceſſarias, tùm MEDICINAM imprimis mortalibus conceſſit, ad corporis ſalutem tuendam, vitamque incolumem quam diutiſſimè tutandam.

Nec modò præclara quondam ingenia ad præstantissimam medendi artem instituendam suscitavit, verum nova indies ad illam excolendam accendit. Etsi enim multi olim MEDICI industrii ac solertes, optimè de universo mortalium genere merendi desiderio ducti, in singularibus HERBARUM facultatibus, remediis inveniendis, ac salutaribus medendi præceptis in artem redigendis, plurimùm elaborarunt, RECENTIORES tamen (meo judicio) nostrá tempestate plurimi, in arte magnificentiùs augendâ & exornandâ, egregiam quoque navarunt operam. Quorum ego, ut verum BOTANICI studii mancipium, quantum meâ pro tenuitate hactenus præstare potui, vestigia sequutus, tam mirabilis efficaciæ BRITANNICÆ nomine Plantam, nunquam satis laudandi NUMINIS MAJESTATEM hoc in vastissimo, pulcherrimoque mundani Systamatis ambitu abundè deprædicantem, VETERIBUS quidem notam, verum, à tot retro seculis, mortalibus planè incognitam, pedibus quamvis sæpiùs conculcatam, non in tot dissitarum mundi plagarum montibus præruptis, ac nivalibus, locis opacis, apricis, silvosis, segetibus, arenosis, pratosis, littoralibus & maritimis, quæ unquam humanâ ratione passibus vel navibus peragrari potuerunt, verum solius FRISIÆ, HOLLANDIÆ, GELDRIÆ, atque TRANSISALANIÆ nostræ humidis locis & paludosis, tanquam ex orco revocavi. Prius tamen (ut verum fatear) communicatis mihi per Nobilissimum & Amplissimum Dominum WARNERUM EMMEN, Reipublicæ nostræ Groninganæ Senatorem spectatissimum, quibusdam de BRITANNICA Herbâ cujusdam ignoti notis, quæ mihi ad examinandum currenti, ad eam sine morâ quæritandi, addidere calcaria: ut aliquod tandem laboris mei monumentum Reipublicæ Salutiferum posteritati relinquerem. Quod quidem hic dissimulare facilè, mihique universam hanc laudem soli vendicare potuissem, si detestandam inanis gloriæ cupiditatem sectari studerem. Sed illud PLINII me maximè movet, ut scitè in epistola ad VESPASIANUM inquit: *Benignum est atque ingenui pudoris plenum, per quos proficimus fateri.*

Verum enim vero; ne Lectori Benevolo moras justo longiores in orationis meæ limine nectere me velle videar, rem ipsam, de

de Herbæ BRITANNICÆ nomine à PRISCIS toties celebratæ ejusque genuinâ significatione incipiendo, alacriter aggredior.

BRITANNICA itaque magna quondam celebritatis vox apud optimos quosque AUTORES HISTORIOGRAPHOS eosque præsertim, qui de materiâ medicâ, PLANTISQUE edidere commantarios, passim occurrit.

Rem verò, quæ principali eâ, atque propriâ designatur Nomenclaturâ, salutare inprimis malorum multorum alexipharmacum, nec non infirmitatum grauium, quæ mortalium generi, atque domesticis quibusdam animalibus accidunt, præsentem, expertamve medelam, CLARISSIMORUM, Antiquorumque SCRIPTORUM testimonio fuisse demonstrant: VETERES, nimirum simplici BRITANNICÆ appellatione, sine ullâ rei alterius adiectione, pulcherrimam quidem & Herbam longè utilissiman, cùm adversus varias corporis humani ægritudines, tùm verò Serpentum, ac animalium venenatorum ictus mortiferos, Aquarumque venena commendatissimam significant. Quâ de causâ ex ultimis GALLICI OCEANI insulis, quibus propria, natiua, ac vernacula est, per varias Orbis Terrarum partes deportatam ex nonnullis spectatæ fidei Autoribus cognoscere licet.

Quid Britannicæ nomine quondam significatum.

Verum GRAMMATICORUM quorundam docti Commentarii, BRITANNICÆ nomine aliis rebus adiecto, ea, quæ Insulæ Britanniæ sunt, hujusque agnata, affixa, annexa, aborigines, nec non denominationes denotari docent.

Sic enim CLAUDIUS Imperator, qui Anno Christi quadragesimo quinto de Britannia, Insulisque Orcadibus penitus devictis, ac Imperio ROMANO subjectis, triumpheuit, filium ex uxore VALERIA MESSALINA, Naturâ admodum libidinosâ atque DIONE testa, fœmininum æquo jure ac masculinum sexum ad venèrem non proclives exosâ natum GERMANICUM cognominavit BRITANNICUM, qui postea NERONIS Principis mandato, ut refert libro decimo tertio Annalium TACITUS, veneno interfectus est. Insulæ verò Albionis nomine quondam celebris incolæ Britanni quoque sunt dicti, atque accedentes alii sive Victores, sive reges ac Principes, sive familiares, assimilesve, BRITANNICA nomina usurpaevrunt.

Claudius filium Britannicum dixit.

Dion lib. Lx.

Tacit. Annal. lib. 13.

JUSTINIANUS autem optimus IMPERATOR, ob insignem etiam Herbæ hujus quondam apud Romanus existimationem, se quoque reliqua inter cognomina BRITANNICUM scripsisse credibile; & BRITANNICÆ familiæ, lanæ, oves aliaque admirandæ naturæ opera, Bella etiam & facta eum in in finem vulgò, per excellentiam, BRITANNICA efferuntur. VETERES enim ab Herbis quibusdam, Arbusculis, & Arboribus nomina & cognomina sua sæpiùs mutuatos fuisse, & Familiis quibusdam, Regionibus, & Fluminibus indidisse, ex antiquissimis Historiarum constat monumentis.

Porro BRITANNICA Herba hæc propter insignes ejus virtutes, peculiaremve excellentiam cætera inter plantarum genera, apud probatos AUTORES simul & MEDICOS, solum BRITANNICÆ nomen non ab Insula (ut quidam arbitrari possent) verum ab affectu sibi sortita est, quod manifeste tandem omnes intelligent: Siquidem de illâ ad eandem quoque significandam atque demonstrandam scripturus, usitatum, vetus ac naturale nomen usurpaturum me esse, illudque interpretaturum profiteor: quo minus interea de hujus BRITANNICÆ veritate quicquam dubitare possim, aut debeam, optimorum AUTORUM variorum consensus, & frequens de hâc apud illos me induxit mentio, dum quoque nec vulgaria, nec iniocunda, verum saluberrima, atque aurea tradunt remedia; quod ad fidem de incognitis, dubiisque faciendam, nec non certitudinem de ignotis habendam haud parvum momentum statuitur: Quamvis plurima afferri argumenta animadvertam, quibus viri aliquot persuasi doctissimi, nullam Herbam BRITANNICAM fuisse dictam, aut eam Betonicam, vel hujus speciem esse existimavêre: Et pro BRITANNICA, cujus caput apud PEDACIUM DIOSCORIDEM Betonicæ subiicitur, Betonicam legendum censuêre, Betonicæ adcribenda esse omnia affirmentes, utpote illis, quæ de BRITNNICA omnes apud Plantarum Scriptores, inveniuntur, convenientia. Quod quidem eò facilius, veriusque inferre videntur, quoniam descriptio BRITANNICÆ diversa valdè apud summos, & quibus plurimum sit tribuendum fidei, Autores, deprehenditur: Tum quia nemo hactenus ex tot numero Medicis, aut rerum mirandarum naturæ studiosis,

quam

Rhabarbarum Rotundifolium verum.

quam ingentes copiæ fuère, BRITANNICAM veram oſtendit. Quantumvis haud paucos invenerim, qui ſummoperé gloriati fuerint, ac de BRITANNICÆ inventione ſibi Triumpſum popoſcerint : *Quorum tamen immenſas vanitates ac irrita ſomnia paulo poſt res ipſa coarguit.*

Caput II.

In hoc BRITANNICÆ quorundam ignorantia notatur. An Magica ſit Herba. Quibus propria. Quid ejus nomina deſignatur. An vera ſit Herba. De ejus inventione, deſcriptione, atque figurâ variorum vanitas. Ejus redintegratio.

PErceptis BRITANNICÆ nominis honoribus, ejusdemque inextinguibili Triumphantium decore. Quid de illâ Scriptores cenſuere Antiqui, nunc porrò conſideraudum.

Plurima Herbarum nomina apud Poetas, Medicos, rerumque naturalium Scriptores leguntur, quibus nondum, qui eas exponere aut demonſtrare potuit, delius natator contigit, tametſi in omnium ore, ſcriptiſque obſerventur; cujus generis Moly eſt Antiquiſſimi Poëtæ Homeri. Quod quidem vocabulum orphicum eſſe multis videtur, qui Symbolum potius quàm Herbam eo ſignificari arbitrantur : Quod in Emblemate centeſimo primo hoc modo commodà Andreas Alciatus expreſſit.

Alicat. Emblem. 181.

FACUNDIA DIFFICILIS.

Antidotum Æææ medicata in pocula Circes
Mercurium hoc Ithaco fama dediſſe fuit.
Moly vocant : id vix radice evellitnr atra,
Purpureus ſed flos, lactis & inſtar habet.
Eloquii candor facudiaque allicit omnes :
Sed multi res eſt tanta laboris opus.

Nec

Nec desunt qui SCYTICUM nomen id esse censent, patientiamque interpretantur, quæ ardua laborum omnia superat. Deinde Spartanica, LACÆDEMONIIS, à quibus nomen traxit, usitatissima olim Herba à nonnullis *Spartania* vocata fuisse traditur, quæ tamen an eadem sit, hactenus nemo ostendit, nisi quod nominis fictum Etymon ex linguâ antiquâ interpretati fuerint quidam, sed quam rectè alibi declarabitur. Quamvis aliqui quoque ἅλιμον eandem *Spartaniam* vocare non sint veriti, nominum deinceps similitudine, reique ignorantiâ in vocibus interpretandis decepti. *Halimum* à quibusdam BRITANNICAM dictam fuisse scripserunt, BRITANNICA eadem quasi esset quæ *Spartanica*, & *Alimus* quæ *Halymus*, quùm dilucidè tamen aliam BRITANNICAM, aliam *Spartanicam*, aliam esse quoque *Halymum*, nonnulla AUTORUM quorundam scripta tradiderint.

De Britannica Autores quid statuant.

Verum enim verò ejusmodi hallucinatio, præcepsque confusio propter nomenclaturæ affinitatem apud imperitos (temerarios præsertim ac sciolos) frequens esse solet: Quod aromatariis in officinis, nec non quotidianâ Medicorum praxi multos quoque errores, ac detestandas planè offensiones parere videtur: Non enim leve est, quod quidam legens *Armal* pro *Harmel*, in RUTÆ salubris Herbæ locum, *Cicutam* in primis venenatam, & SOCRATIS morte percelebrem, substituit; ita Medicinam ægro lethalem pro remedio salutifero propinans.

Sed de his præsentis instituti non est differere, cum integros Commentarios res ejusmodi requirat.

Plin. lib. 24. cap. 17.

Magicas tamen quasdam hic addam Herbas, quarum PLINIUS obiter mentionem facit, recitatque, „ *Coriacesiam &* „ *Celliciam* Herbas aquas congeleantes, *Menaidem* alio nomine „ *Corinthadem* utilem succo contra venenatorum ictus, attin- „ gentibus alioqui noxiam, monstrifica prorsus natura veneni, „ præterquam contra venena; *Aproxim* mirandæ radicis vim „ propter ignis attractricem; *Aglaoptiotim*, cujus color eximius „ aspicientes in admirationem trahit omnes, *Achamenidon*, dictam „ alias *Hippophonada*, quæ Indiæ sine folio innascitur, cujusque „ radix de die cum vino pota, nocte confiteantur omnia; *Theom-*

bro-

„ *Theombrotion*, quæ pavonis picturis ſimilis naſcitur, quæque
„ mentis & juſtitiæ ſtabilitatem provocans, à PERSARUM
„ Regibus contra corporum incommoda commeditur; *Aba-*
„ *manteida*, quæ conteri nequit; *Arianeidem*, quæ colore ignea,
„ cum ſol in leone ſit, colligitur, cujusve tactu peructa oleo
„ ligna accenduntur; *Theriionarcam*, cujus vi feræ ad unum
„ omnes torpeſcunt, nec niſi *Hyenæ* urinæ aſperſu recreantur:
„ *Ophiuſam*, quâ potâ terrorem, minaſque ſerpentium obſer-
„ vari, ita ut mortem ſibi eo metu conſciſcant, ob id illam bi-
„ bere ſacrilegos cogi; *Thalaſſeglan*, hâc potâ obſervantibus
„ miraculis lymphari homines; *Taangelida*, quæ Magos divi-
„ nare afficit; *Gelotophyllida*, quæ ſi cum Myrrha & vino bibatur,
„ varias obſervari ſpecies, ridendique finem non fieri, ni po-
„ tis cum pipere & melle in vino Palmeo nucis Pineæ nucleis;
„ *Hermeſiam*, ad pulchros bonoſque liberos generandos aptam;
„ *Anacampherotem*, cujus tactu amores odio depoſiti rediunt;
„ denique *Schylicen*, cujus tanta vis, ut ſi modo ore continea-
„ tur, famem ſitimque omnino non ſentiant; ſic & *Hippicen*,
„ quæ in equis eundem effectum obtinet. His duabus Herbis
„ Scytas etiam in duodenos dies in fame ſitique durare poſſe
„ tradunt: Illa à Scytis denominationem tanquam inventori-
„ bus nacta eſt, ut PLINIUS aſſerit.

Quo nomine & BRITANNICA ſuis inventoribus Britannis poteſt aſſcribi: at licet multi de Herbis plurima ſcripſerunt, & infinitas miraſque opiniones in medium attulerunt; Quis tamen hactenus quæſo inventus eſt, qui de iis aliquid certi prodidit? Nemo profecto; quin ipſe PLINIUS eorum ſono teſte nominum meminiſſe mirabilium viſus eſt, ut ſuperbas potius voces, magorum ſcilicet, magicarumque artium miranda citius figmenta quàm credenda, irriſerit, docueritve; quàm eas ut Herbas aut noverit, aut revera eſſe crediderit. Id quod aliquot etiam locis longe ante PLINIUM facit THEOPHRASTUS ERASIUS: Ad eundam modum de BRITANNICA quædam prædicare, temerarium aliqui cenſere poſſunt, tanquaui ea quoque ex Magicarum genere foret una, nec contemnenda Herba, BRITANNICÆ nomen quoniam repræſentat, quam Magicæ arti etiam commodiſſimam quaſi inſerviiſſe PLINIUS ſufficiens eſt AUTOR: cujus hæc ſunt verba.

Plin. lib. 30. cap. 1.

Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressa, & ad Naturæ inane pervecta? BRITANNIA *hodieque eam tantis ceremsniis attonitè celebrat, ut dedisse Persis videri possit. Ipsa autem ejus denominatio, quæ peregrinæ* FRISIÆ *ac* BRITANNIÆ *Terræ hominibus debetur, à Linguæ Latinæ atque Græcæ Etymis prorsus aliena, si prorsus Magicum quid, & sublimè Linguæ Frisicæ nec non Brittannicæ peritis significare videatur, quid mirum est?* Siquidem huc accedit illud, quod dici vulgò solet;

ANTIQUISSIMA QUÆQUE COMMENTITIA.

Cum de multis pro arbitrio Vetustatem somniasse constet. Inde apologesi suâ interrogatus PROTHEUS respondere haud ineptè introducitur.

Alciat. Embl. 182. Proteus in Ægypto senex marinus divinus fuisse dicitur, qui in omnes se figuras convertere solitus erat.

Pellenæe Senex, cui forma est histrica, Proteu.
Qui modo membra viri fers, modo membra feri:
Dic age, quæ species ratio te vertit in omnes,
Nulla sit ut vario certa figura tibi?
Signa vetustatis, primævi & præfero sæcli,
De quo quisque suo somniat arbitrio.

Quid enim ante quisque de BRITANNICA suo etiam arbitrio somniat? quin imo ea si esset in rerum naturâ consentaneum foret, vel tot sæculis saltem aliquem, eam qui demonstrasset, extitisse, sicut id reliquo in PLANTARUM genere quæ quidem veræ sunt, à Doctissimis maximè Industriis, nec non diligentissimis nostrâ ætate Viris, rerum naturalium Scrutatoribus, & ad Stygias usque aquas & umbras singulari amore cognoscendi penetrantibus, factitatum est.

Britannicæ nomen antiquissimum.

Nomen verò BRITANNICÆ antiquissimum est, & Britanniæ Insulæ ipsâ origine, pronunciationeque consonum, atque cognatum; unde Britanniæ tanquam vicinæ FRISIIS Insulæ esset dicata, aut propria, appellatam nonnulli existimaverunt: Non enim DIOSCORIDIS solummodo tempore, quem CLEOPATRÆ Ægypti REGINÆ, & CAII JULII CÆSARIS, Romanorum Imperatoris primi ætate nonnulli vixisse prodidernnt, aut saltem PLINII, & CLAUDII GALENI nota fuit BRITANNICA; verum

Aloë Americana minor.

verum etiam longé eam ante ætatem GRÆCIS atque LATINIS uſui extitit; Id quodammodo ex DEMOCRATIS SERVILII, Medici apud Græcos clariſſimi, verſibus doceri poteſt, qui libro de Antidotis ſecundo apud GALENUM exſtant. Gal. lib. 2. de Antid.

Ex hiſce quidem omnibus haud abſurdum foret, ſi quis BRITANNICAM Magicam eſſe Herbam ſtatueret, illamque ex Magicæ artis genere antiquum fictæ potius, quàm veræ Herbæ nomen repræſentare. Et ſicut Antiquorum figmenta, fictaque nomina abſtruſa myſterium aliquod, vel naturale, aut morale egregium ferè continent, ita BRITANNICÆ nomine etiam negotium aliquod ſcitu utile involui, magnique momenti rem citiùs, quàm Herbam aliquam veram deſignari, arbitrandum foret: Quod in HESIODI verſibus de Malua & Aſphodelo ex Orphicâ diſciplinâ nonnulli rectè demonſtrant: Interea Herbæ illæ ſunt notiſſimæ; alio tamen negotium totum referendum eſſe judicant. Quid Britannicæ nomen denotat,

Cæterum omiſſis ſubtilitatibus ſuperfluis, ſuperſtitionibus Magicis, nec non enucleationibus Orphicis, rem ipſam de BRITANNICA apertam in aciem candidè ac planè deducam. Ita tamen eam ſum expoſiturus, ne, juxta SALOMONEM, qui nimium emungit, ſanguinem elicit, equidem rei Herbariæ ſtudioſos potius offendere, quàm rem Medicam juvare videar. Tametſi id multis hactenus non verecundiæ, non dedecori, non noxæ, verum quæſtui, laudi & ambitioni fuit. Quid enim multis ambagibus opus eſt? Nec Periphraſes requiruntur; abſint quoque affectatæ, decoctæ, obliquæ, expoſitioneſque faſtidioſæ, vel digreſſiones ambitioſæ; ſimplex quandoquidem veritatis oratio, ipſiuſque rei vera indubitata teſtimonia undique accedunt, nimirum quibus equidem eam, quæ VETERUM fuit, BRITANNICAM, Recentioribus hactenus planè ignotam, demonſtrare poſſum; quo omnis, an BRITANNICA vera ſit Herba, dubitandi ſcrupulus auferetur, tum quæ ea olim fuerit, hodieque exiſtat, manifeſtabitur. Britannica hactenus Neotericis dianè ignota.

Nihil me movet, nihil inquam multorum perturbat AUTORITAS, qui ſuis in ſcriptis quò arrogantius eo ineptius, & ſe primos hujus BRITANNICÆ in lucem à tot Sæculorum

culorum ætatibus reſtitutæ inventores eſſe, demonſtratoreſve fuiſſe temerè gloriantur: Illos quoniam relicto ipſo corpore, de aſini quod ajunt umbrâ digladiari, pro theſauro carbones, non Gemmas, non χλανώδια, non pretioſa metalla, nec non ſalubriora Aromata oſttentare, verum plenis & expanſis buccis ante Victoriam TRIUMPHUM canere animadverto: Quod haud dubiè etiam fatebuntur ipſi, & quotquot alii veritatis ſtudioſi hæc mea ſcripta legere, & cum NEOTERICIS eorum hactenus editis commentariis de PLANTIS conferre non gravati fuerint, ipſamque rem, attentè conſideraverint ſtyli mei omiſſo curioſiore critico. Neque verò dictionis elegantiam venor, verum ut quæque in calamum defluunt, ita exaro: Rei veritatem apertè declaraſſe omnibus ingenuis credo ſufficiet.

Hoc tamen obſervo, ne quis mihi temeritatis vel arrogantiæ crimen impingat, quam Græci τὸ φιλαυτίαν vocant: Neve alii hæc mea pauca quidem, & trivialia quaſi ſcripta uni ſolummodo HERBÆ impenſa, tanquam digna faſtidio damnent. Nam ſi, re probè intellectâ, me detectis plurimorum erroribus, atque falſis opinionibus refutatis, ademtiſque ſcrupulis rei Herbariæ veram BRITANNICAM lucidiſſimis facibus illatis, ſalvo omni aliorum Autorum Clariſſimorum judicio, atque honore, amplificatâ MEDICÆ & BOTANICÆ profeſſionis gloriâ, demonſtraſſe didicerint, meo huic ſtudio æquiores exiſtent.

Porro æquum eſſe judico, ut pares mihi reddant gratias, quas ipſis ago, aliorumque ſtudia & labores, quos legendo, obſervando colui, quatenus veritatem exhibent, colant & promoveant.

Jam annus & eo amplius eſt, quod hoc meum de BRITANNICA ſcriptum ſupprimere volui, quamvis & tum paratum ac prælo deſtinatum; id verò non ob aliud, quam quod ex ore cujuſdam, Doctiſſimos quoſdam MEIDCOS prolixos de BRITANNICA commentarios ſcripſiſſe, jamque prælo commiſiſſe, ac mox divulgandos habuerim: Re tamen melius intellectâ, falſa omnia eſſe comperi: Tum quòd icones hæ omnes, earumque ad vivum delineationes longius ſibi temporis ſpatium poſcerent.

Proinde

Aloë Serrata major umbellifera.

Proinde moram libenter amplexus, Horatiano consilio, nonum in annum premere hoc opusculum statui, editos varii generis libros expectans, sed frustra: Paulo post tamen ab amico quodam *Beroceselanicorum* aliquot multos ante annos in Lucem protractum exemplar mihi communicatum, quod continuâ lectione evolui, atque nonnulla in eo de BRITANNICA, longè tamen pauciora, minusque vero consentanea, quàm opinione conceperam, inveni: Incidit deinde in mentem, *quæ ego non scribam*? Illudque HORATII Poëtæ dictum, *parturiunt montes, &c.* Beroceselanicorum enim Autor sibi BRITANNICÆ nominis interpretationem vendicat, & quam se multis communicasse prædicat, de Herbâ ipsâ quoque se copiosùs alibi scripturum insinuat. Verum in interpretando nomine plurimis non satisfacit: Et si eum à veritate haud parum abesse demonstravero, non iniquo ferat ille animo. Ecquid petitione digna res est veniæ patrocinari veritati, præsertim apud indagatores veritatis studiosos, quique demonstrandi arte excellere debent? Tum modestè quidem at ingenuè idem AUTOR fatetur, BRITANNICAM à se omnium primò inventam esse. Sed RECENTIORES non paucos, qui sua de Herbis scripta emiserunt, idem feciisse sæpiùs sum expertus: Gloriantur enim varii se veram exhibuisse BRITANNICAM, alii verissimam se novisse plurimosque docuisse, magnoque fastu ac pompæ apparatu sibi inventionis gloriam attribuisse: Sed hi genuini Thrasones hâc de controversiâ non nisi ampullas & sesquipedalia verba jactavêre. Nec tamen hactenus inter tot numero HERBARIOS, Scriptoresque NEOTERICOS quisquam, qui veram hanc BRITANNICUM ostendit, extitit.

Horat. de arte Poëtica.

Britannicæ inventionis quorundam arrogantia.

Ego proinde modestissimè quidem pro virili meâ parte eam, quam illi haud vulgaris notæ AUTORES inventionem BRITANNICÆ hodie sibi adscribunt, in optimam partem interpretor, ac pro studio & labore gratias ago: Voluntatem enim HERBAM adeò utilem demonstrandi non defuisse agnosco, & pro quâ in varias opiniones se conjecerunt, Herculeosque labores exantlarunt.

Sed tamen oro, ne hoc sibi dici ægrè ferant, quod omnes circa BRITANNICÆ cognitionem in eâdem erroris

navi vehuntur, & non nisi hæreses alunt, qui diversis opinionibus à veritate remoti vagantur.

Nec quis admiretur, quod omnes BRITANNICÆ descriptiones vel picturas à NEOTERICIS hactenus editas simili cretâ & calculo notandas esse judico; Horum idcirco nullius autoritate, quamvis videatur maxima, commoveor, quo minus meum hoc Scriptum elaborem, atque in LUCEM emittam, ut eam, quam omnium hujus ætatis SCRIPTORUM primus inveni, & planè nobilem hanc BRITANNICAM Herbam alios docui, mihi vindicem, simulque omnibus Plantarum curiosis amatoribus perbenignè ac planè declarem: Quod etiam eò magis, libentiusque facio, cum neotericorum nemo aut verbis veris Herbam describat, aut picturâ, vel ullâ probabili similitudine additâ, veram figuram exhibeat: Omitto nullam inventionis, verique usus, allatam esse rationem.

Britannicæ veræ descriptio, figura à Neotericorum nemine hactenus In medium prolata.

Ut interea omnium Famæ parcam (neque enim infecta cruore gloriola, vel lenis ambitio, neque Virtus fuco perfusa placet) si quis se ullo acerbiore dicto proscissum, aut digito monstratum suspicabitur, acriùs velim injunctam enunciandæ promovendæ ac defendendæ veritatis vim & necessitatem expendat: Neque enim parietem tenere, aut pulvillum cubito jacentium subdere, vel os alicujus oblinire, aut âd porticum magis quàm veritatem loqui, propositum est, si tum me multorum AUTORITATES in medium adferre cogitet, ut impositoribus & adversus vim Herbariam malignioribus notum faciam, quantæ molis sit, vel unius Herbæ veritatem usumque demonstrare; & simul ipsis, aliisque iis, qui Herbas ignotas è tenebris eruere, LUCIQUE donare conati fuerunt, voto tametsi aut opinioni non successit res, æternam laudem reddere.

Quis autem in re tam perplexâ obligatus est, obscurâ, & per tot annos crassissimis tenebris oppressâ, plurimorumque MEDICORUM contentionis plenâ, & in quâ Doctissimos AUTORES dissentientes, nec non hallucinatos esse, solis verbis fidem tribuere, aut jactantiæ subscribere, loco cedere, Veritatem supprimere, nec rem ipsam liberè profari, Ajacem, ut in spongiam sine merito incumbat, cogere, aut libellum publico usui destinatum subtrahere videmus. Quo quidem vera BRITANNICA, ejusdem plena cognitio, nec non expertissimus

Rhabarbarum Rotundi- folium Fimbriatum

Aloë Purpurea lævis.

mus olim & nunc quoque uſus in antiquum ſtatum, detectis erroribus, mendiſque expunctis, à ſepulchro, ut ita dicam, ad vitam poſtliminio revocetur; Præſtat tandem aliquando potiùs, quàm nunquam tam utilis & humano generi neceſſariæ Herbæ redintegrationem fieri, tum & ſtudioſorum deſiderio, multorumque expectationi exhiberi, languentibus quidem languentiumque MEDICIS ad graviſſimorum morborum, & Symptomatum maritimo Septentrionalis OCEANI CIMBRICI tractu graſſantium, curationem demonſtrari.

CAPUT III.

BRITANNICÆ efficacia conſideratur. In quibus locis à DEO *creata. A quibus olim* ROMANIS *demonſtrata. Aquarum noſtratium qualitas. Morborum Endymicorum antiquum nomen. Priſci Saxones quinam ſunt.* PLINII *locus declaratur. De Friſiis Majoribus, Minoribus, Caninefatibus, Cauchis, Sturiis, &c. Rheni, & Flevi oſtiis, Wahali, ac Leccâ Fluviis, Druſiana foſſa; nec non ultimis Oceani Inſulis agitur. Quibus in locis Scorbutus morbus ſentitur.* FRISIORUM *antiquum* BRITANNICÆ *nomen quale.*

AUditis variorum ANTIQUORUM ſententiis: Nunc BRITANNICÆ potentiam, aliaque ſcitu digna perpendenda judico.

Quid Britannica efficit.

Etenim BRITANNICA *Veteribus* celebrata ut quondam profuit, ita hodie non minus præſentiſſima; vi ſuâ Naturâ Endymicis morbis, horumque variis ac periculoſis Symptomatibus opitulatur; quæ omnibus fermè hominibus GALLICI OCEANI Inſulas, Brittanniæque vicinas, & quæ olim forſan BRITANNICÆ nomine fuêre inſignes, inhabitantibus, contingunt.

Et ſi præterea vernaculam Inſularum illarum Nomenclaturam

ram excutere vellemus, primâ verò tametsi fronte dissonum appareat, facili negotio hoc quidem Paradoxon non omnino à Vetitate alienum esse demonstrarem, quod meo judicio longè fiet evidentius, dum antiquo illi ADAMICO, ac vero BRITANNICÆ dictionis Etymo, & non paucis antiquitatibus, nec non veritatis vestigiis fidem habuerimus: De quà re postea meam sententiam uberiùs communicabo.

Endymica porro ea GRÆCIS Stomacacen, & Scelotyrben vocata fuisse mala, locuples testis PLINIUS est: Ad quorum curationem haud dubiè ea plurimum Herba prodest, qnæ ei causæ propriâ virtute, occultis operationibus, atque omnibus partibus resistit, eamque præscindit, ac resecat, à quâ mala hujusmodi jam dicta originem habent; talis enim BRITANNICA est, quam Altissimus & Omnipotens DEUS ter Optimus MAXIMUS suâ ineffabili misericordiâ ideo quoque in locis mala illa Endymica obnoxiis, ampliſſimi tanquam thesauri necessariis receptaculis, collocavit, ut ubi ejusmodi grassantur morbi, illis ibi profligandis, jam sævientibus, mox curandis optima præsto esset medicina, juxta illud.

Vulnera quæ fecit, pariter medicando dolorem.

ET:

Terra salutiferas Herbas eademque nocentes
Nutrit, & Urticæ proxima sæpe Rosa est.

Mira providentia Divina.

Admirabilis enim suis in operibus OMNIPOTENS DEUS, summâ usus providentiâ ita cuncta miscuit, ac disposuit, ut adversus mala ubique dextera prostent auxilia, modo cognoscantur; ipsa quoque animalia contra propria venena præbent sæpenumero alexica ac deleteria: Quapropter dici vulgo solet, *à cane morsus ab eodem petat remedium, tuque illius lupi pilos plagæ imponito, qui te mordaci dente momordit heri.*

Causas autem grassantis Endymici hujusmali quod attinet, has inter præcipua statuitur aquarum circa Insulas ac continentem insalubritas; quam magis enucleare antequam aggredior, subjectos huic morbo populos nominatim recensere consultum duxi. Hi nimirum sunt MARSATII, nunc Velaviæ hospites, & ad Rhenum Trajectenses. STURII: Amstel-

Aloë ferox.

Amſtelrodamenſes, & ad Sturium Fluvium degentes: FRISIABONES: Batavis Septentrionales, Friſii Minores, & Waterlandi BRUCTERI: Quibus pulſis penitùſque deletis, Angrivarii, & Chamavi illorum agros occuparunt, Drentini, Twentini, Transiſalani, Zutphanienſes, & Geldri, qui olim etiam Sicambri appellabantur; CHAUCI tàm MINORES, quàm MAJORES. MINORES: Emdani, ſive, ut hodie, Friſii Orientales, & Oldenburgenſes. MAJORES verò Bremenſes, Monaſterienſes, Oſnabrugenſes, Verdani, & Mindanenſes, qui inter Amaſim & Viſurgim hodie continentur: FRISIOS omnes Vetuſti AUTORES vocaverunt, ut ex omnibus veteris Geographiæ Interpretibus clariſſimè patet. Omnes hæ gentes & earum accolæ prædicta cruciantur ægritudine. Aquarum præcipue malignitati, paludum putredini, infectiſque veneno Terris, adſcribenda, ut quæ carneas non ſolummodo corporis partes reſolvere, ſed & etiam oſſeas afficere brevi valent, & (ſive quis bibit, vel in vaporibus verſatur) morbos generant, quos à GRÆCIS appellatos præfatus ſum φθειριασιν και σκηλοτυρβην. LATINI ſuis, atque aliis deſtituti, Græcis jam prolatis nominibus utuntur: FRISIORUM itaque ut olim ita hodie Endymici ſunt morbi: Libenti PLINIUS, grato, candidoque animo plenam laudem FRISIIS tribuit BRITANNICÆ in remedium demonſtratæ Romano exercitui, iis morbis ex Aquarum potu laboranti; quas idcirco venenatas illi deprehenderunt, quod nos fateri cogimur; Si de Aquis eſſet agendum, illud facilè declararem, ſed aliò mea pergit oratio.

Sturius Fluvius antiquitùs, nunc Amſtela dictus.

Aquæ noſtrates quos morbos generant.

Britannica à Friſiis demonſtrata Romanis.

Ægritudini porro huic Nomenclatura apud FRISIOS longè eſt diverſa: Vocat enim ſuo idiomate, ADAMICO, atque primogenito id mali genus *De Schorbuc*, *de Schorbut*, ſive *de Schorbum*, id eſt *Scorbutus morbus*, quod idem nomen paulo plenius pronunciant BATAVI, *de Schorbuick*. Anglorum verò Lingua eadem eſt propemodum cum his, quos verè FRISIOS vocamus, nimirum Priſcos *Saxones* eos eſſe, quos nunc FRISIOS dicimus, quique nativam hactenus Linguam incorruptam retinent; indeque originem ANGLOS traxiſſe nihil certius eſt: Hi enim ſuccinctius enunciantes, malum id *de Schorbej*; DANI autem *de Scorbek* dicunt.

Priſci Saxones ſunt Friſii.

Præterea, infra latiùs morbi, Endymicorumque affectuum causæ expedientur: Sed rei perfecta expositio suum desiderat commentarium.

Contra Endymica mala nihil Btitannicâ efficacius.

Cæterum ea contra mala omnia, ac morbos, nullum est medicamentum præsentius, vernaculum, atque antipathiâ mirabilius simplex agens, à medicæ rei Autoribus, aut HISTORIOGRAPHIS, ab ANTIQUIS FRISIIS, aut à mortalium ullo inventum, cognitum, vel declaratum, quàm hæc BRITANNICA Herba; in quâ, virium suarum mirandarum ratione, Majestatem suam explicasse Natura benignè videtur; quæ in variis Frisiæ palustribus lætissima provenit, ubi præsertim noxiæ sunt Aquæ, vel quarum vitio talia potissimum Pathemata imputantur.

Hanc quidem BRITANNICAM Antiqui FRISII optimè noverunt, quique nominis ipsius expeditam Etymologiam ex suâ linguâ reddere potuerunt, id, quod silentio transeundùm minimè duco, multo minus Herbam esse contemnendam. Quandoquidem morbi & affectus illi non minus crudeliter etiamnum, quàm olim in pluribus non solum totius FRISIÆ locis, verum & Insularum omnium Gallici OCEANI Septentrionalis (quem nos hodie Germanicum sive Septentrionale, vulgò *de Noord-Zee* dicimus) ac CIMBRICÆ Regionis grassantur.

Rectè Plinius GALLICI OCEANI Insulas nominat, in quibus & morbi illi humana viscera populantur, & BRITANNICA crescit. Si in hunc PLINII locum digressus, ut Cimmerias tenebras claro lumine illato discutiam, & antiqua nomina præsentibus reddidero, nec non lucidam Vetustati novitatem junxero, haud ab incepto alienum mihi feciſse videbor: Quùm ea præsertim quæ alibi latiùs demonstravi, sic obiter attingam; neque ante me quisquam hanc rem exposuit, quod scio; quanquam fieri potest, rem aliquem certè notatu dignam observasse: Nemo tamen eam ullo hactenus scripto, quod mihi legere contigit, docuit. Imprimis ergo ipsa quæso PLINII verba, quæ capite decimo quinto libri quarti exstant, audiamus.

Plin. lib. 4. cap. 15.

In Rheno ipso, inquit ille, *prope centum millia passuum in longitudinem nobilissima* BATAVORUM *Insula & Caninefatum, aliæque* FRI-

Aloë vera vulgaris.

FRISIORUM, *Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus à Septentrione in Lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit.* Hæc ille.

Canine-fates dicti, quasi *Conyne-vatters*, vel *Conyne-vreeters*: Quia hos frequentes venabantur, ut Hadriano Junio cap. hist. Batav. 14. blandè arridet. Phil.

Verum enim verò antequam ulteriùs progredior, hisce in PLINII verbis mendum obortum esse unicum nemo ibit inficias, quamvis tripliciter hoc loco errasse PLINIUM libro de tribus Rheni ostiis audacter contendat * CLUVERUS; Sed quo jure nunc examinandum restat.

* Cluver. de tribus Rheni Ostiis cap. 21.

Primò itaque post FRISIOS, *Cauchorum* terram *Helium inter & Flevum* olim extitisse, PLINIUS innuit, quod dum, veritati contrarium esse, AUTORUM graviſſimorum Scripta infallibili certitudini innixa testantur, hisce PLINII verbis, ut ingenuè fatear, hâc in re adstipulari nequeo. Quippe non modo ultra omnes Rheni alueos, verum & Amisiam amnem, Septentrionem atque GERMANIAM versus, inter Amisiam nempè & Visurgim collocantur à PTOLOMÆO & TACITO, ut libro Annalium quarto, quintove clarissimè patet.

Hos itaque *Cauchos*, *Cuauchos*, vel *Quaucos*, populariter olim *Cuauc*, vocatos fuisse quis quæso negabit? quam vocem in scribendo rectè ROMANOS exprimere non potuisse putem, quare quosdam *Cauchos*, nonnullos verò *Cuauchos* scripsisse veresimile est: Inde etiamnum illud in Osnabrugensi Episcopatu oppidum, antiquitùs *Cuauchenbrug*, nunc verò *Quakenbrug*, hoc est CAUCHORUM pons vocitatum, hodie super est. Quare haud absque ratione vereor, inexpertum quendam interpretem, omnisque Geographiæ ignarum Typographum hunc PLINII locum vitiasse; ut solidæ veritatis inductus testimonio clarissimus quondam CLUVERUS opinatus fuit.

Quakenbrug unde dictum.

Post hos verò, FRISIABONES, in hoc tractu Frisiaco expressa PLINII verba, unquam extitisse, negat, oculatus aliàs, & Geographiæ Veteris haud ignarus Dominus PHILIPPUS CLUVERUS: Sic enim inquit.

Sanè, aut ego vehementissimè fallor, aut hoc quoque vocabulum corruptum est. Quis enim præter Plinium agnoscit Frisiabones? Prorsus nemo. At Tacitus, qui sub Vespasiani imperii initium, quùm Civilis rebellaret, multa de Batavis, Caninefatibus, Marsacis, Frisiis, Cauchis, Bructeris, Tencteris, Usipiis, Mattiacis, Gugernis, quàm accuratissimè

Hiſtoriarum libro quarto & quinto perſcripſit, de Friſiabonibus iſtis haud quidquam addidit. Quod ſanè, ſi fuiſſent, ſine dubio facturus. Neque verò ſoli Friſiabones *hujus rebellionis expertes eſſe potuerunt, quùm omnes circùm nationes unanimi conſenſu arma in* Romanos *ſumſiſſent. Hoc autem tempore* Plinius *opus ſuum condidit; vel paulò antè: Nam Veſpaſiano dedicavit. Quod ſi verò antè hanc tempeſtatem eos fuiſſe ſuſpiceris;* Certè Tacitus, *qui ab uſque* Tiberio *multas in his oris res geſtas refert, utique de* Friſiis *frequenter, vel ſemel in eorum incidiſſet mentionem, ſi ulli extitiſſent. Atqui* Friſios *ille in Majores ſolummodò, ac Minores diſtinguit, tertium genus nullum prorſus agnoſcens. Quodcunque igitur nomen hîc volueris adfingere, certus ille omninò excludere.* Hæc ille.

Verum hic pace tanti Viri dictum volo; eum in hoc *Friſiabonum* nomine, tanquam in Labyrintho inextricabili, hallucinando verſari, longeque à verâ vocis illius ſignificatione aberrare, dum FRISICUM hoc vocabulum, omnibus re verâ FRISIIS hodiernis antiquum, nullo modo intellexiſſe deprehenditur.

Friſiabones olim qui.

FRISIABONES enim antiquitùs dicebantur *Friſiorum coloni*, vel etiam *Friſii novi*, qui ſcilicet ex Majori in minorem FRISIAM digreſſi agros, cultoribus deſtitutos, illorumque terminum ulteriùs indies extendentes, recentêr colebant.

Bona enim vel *Buna* VETERIBUS FRISIIS ruſticum vel Terræ inhabitatorem ſonat, quod vocabulum in DANIA, idem deſignans, etiamnum viget: Patrem verò familias *Husbonde*, quaſi domus vinculum, ex *Hus*, quod domus, & *Bonde* vinculum ſignificat, compoſitum DANI dicunt, ut optimè MARTINUS HAMCONIUS libro de Viris Friſiæ Illuſtribus, nec non MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS ſuo Hollandiæ, Theatro Clariſſimi JOHANNIS ISACII PONTANI ſcientiâ edoctus. Quorum certè ſtudium & peritiam laudo, *Cluveri* verò, ut abſurdam, merito rejicio.

Mart. Hamco. fol. 70. Marc. Boxhorn. cap. 3.

Hic enim PLINII fidem autoritatemque indignè aſpernatus, nullos unquam FRISIABONES fuiſſe, TACITUMQUE illorum memorem non fuiſſe, atque in *Majores* tantummodò, *Minoreſve* Friſios diſtinxiſſe, tertiumque genus non agnoviſſe refert. Ad quod brevitèr reſpondeo; Neminem ſcilicet cincipitis tam ſtolidi exiſtere poſſe, qui credat, PLINIUM Gentem in rerum naturâ non extantem duobus locis

Plin. lib. 4. c. 12. & 16.

deſcri-

Aloë vera minor.

deſcribere voluiſſe, ut ipſemet fatetur CLUVERUS, cum apud ROMANOS in hiſce Gallo-Belgicæ oris MEDICUM agens, FRISIAM ingreſſus omnia notavit accuratè, ipſoque TACITO in rebus deſcribendis plurimis diligentiorem ſeſe ſæpiùs præbuerit, ut ex hâc *Friſiabonum* voce, à cæteris neglectâ dilucidè ſatis apparet. Neque ipſe *Majorum*, *Minorumve* FRISIORUM diſtinctionem reſpuit. Per *Friſiabonum* enim vocabulum diminutivè poſitum, non tertium quoddam FRISIORUM genus, ut Doctiſſimus CLUVERUS ſomniaſſe viſus, verum *Friſios* tantùm *Minores* (ita ex modo virium, ut inquit TACITUS libro de Germanorum moribus, rectè vocati, hi enim & agrorum ſpatio, & cæteris numero impares, miritò *Minores* dicebantur) at per *Friſiorum* nomen generaliter poſitum, *Majores* agnoviſſe PLINIUM judico.

Quid per Friſiabones Plinius intellexit.

Hâc ergo ratione PLINIUM inter & CORNELIUM TACITUM controverſia erit ſopita. TACITUS enim, qui VESPASIANI CÆSARIS beneficio in Galliâ Belgicâ Procuratorem egit, jam ſublato (TITO imperantè) è vivis PLINIO, Hiſtorias ſuas ſub TRAJANO conſcripſit, atque *Friſios* in *Majores*, & *Minores*, PLINIUS verò, ut modo dictum, in *Friſios*, ſcilicet *Majores*, & *Friſiabones*, id eſt *Minores* diſcrevit; Quod ſi liquido non conſtitiſſet, à *Tacito* jure notatus, nec non facilè correctus fuiſſet.

Nunc verò ad STURIOS progrediendum reſtat, quos etiam *Helium inter & Flevum* numquam extitiſſe mordicus tuetur Doctiſſimus PHILIPPUS CLUVERUS. Illud tamen audacter hic nego, motus inſuper Geographorum quorundam, Clariſſimorumque AUTORUM ſcriptis, quos quidem *Sturiacæ* Gentis memores fuiſſe, non tamen verum eorum hactenus & genuinum locum cognoviſſe, indubitatè conſtat.

Cluverus notatur.

STURII itaque, quos loco citato PLINIUS agnoſcit, à *Sturio* amne, cum cæteris Lacubus, *Oceani* quondam ferociâ producto extenſoque, juxta quem, loci genio deliciiſque irretiti, fixas olim poſſidebant ſedes, denominationem ſuam ſortiti ſunt. Hic autem Fluvius antiquitùs primo *De Stuur*, ſive *Stur*, ad illius verò ripam degentes *De an Stur*, vel ut Germani *Die am Stur* dicebantur: Inde poſtea litteris populorum variorum diluvio immutatis & contractis *Die Amſtur:*

Verus Sturiorum locus, nominisve origo.

Tandem verò *Den Amſtel* appellatus fuit, cujus etiam Etymi gloriâ præſenti hoc ævo condecoratum, ad cujus ripas Oppidum Florentiſſimum, totoque jam orbe celeberrimum AMSTEL-DAM, vel ut nunc AMSTERDAM, AMSTERODAMUM, nuncupatum vulgò, conditum cernitur, cujus fundamenta ante quadringentos & viginti quinque annos, ſalvo calculo, fuêre jacta.

Amſterodami vetuſtas.

His itaque, ex infallibilibus Antiquitatis venerandæ myſteriis, ingenuè detectis, modò auditum PLINII locum emendandum, atque hoc modo legendum ſtatuo.

Plinii locus reſtitutus.

In ipſo Rheno prope centum millia paſſuum in longitudinem nobiliſſima Batavorum Inſula & Caninefatum, & aliæ Friſiorum Majorum, Friſiorum Minorum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium & Flevum.

Nunc autem Lucis ulterioris ergo à Rheni oſtiis incipiam, quorum unum *Helium* olim dictum eſt, cujus & nunc veſtigia in *Piers Hille* deprehenduntur, quod undique Inſulam nunc *Den Briel* dictam, veram BATAVORUM antiquam ſedem alluit, & in qua pagus nomen *Helvoet*, hoc eſt *Helii pes*, vel *Helii exitus*, retinet. Hujus Helii initium unum à Moſæ fluvii tergo nunc *Vahalim* fluvium, ac orientem verſus alterum *Leccam* vocant, Anno Chriſti quadrageſimo octavo, URBIS verò conditæ octingenteſimo à Romanorum Duce DOMITIO CORBULONE Moſam inter & Rhenum effoſſam, ut teſtantur Libro Annalium undecimo TACITUS, & ſexageſimo DION.

Brila Batavorum antiqua ſedes.

Tacit. lib. Annal. 11. Dion l. 60.

Quicquid verò Terrarum *Vahalim* inter & *Leccam* Fluvios, id eſt, BATAVORUM, nunc *De Betave*, *Betaw*, ſive *Betow* (olim verò *Bataw*, Latinè *Batua*, inde *Batavia*, & *Batavi* dicti) vocant, ut rectè Libro ſecundo REGINO Prumienſis Cœnobii Abbas, DION CASSIUS, & capite decimo tertio, ac vigeſimo CLUVERUS notarunt.

Regino l. Chron. 2. Dion Caſſ. lib. 55. Plin. l. 4. Cluver. cap. 2. 12. 22. &c.

Huic vero *Batavia* præter Batavorum caſtellum aut *Batawenburgum*, vulgò *Batenburg*, oppida antiquitùs fuêre nulla, nunc autem plurima, ſcilicet Caſtrum Scenkianum, Tila, Voorna, Leerdamum, Gorchumum, Viana, Culeburgum, Roterodamum, Vlaerdinga, Delphi, Haga, Bryla, &c.

Had. Jun. Hiſt. Bata. cap. 3.

Hiſce CANINEFATES, quos Hadrianus Junius, Abrahamus

Aloë vera costa Spinosa. *fol. 23.*

mus Ortelius, Petrus Bertius, & Marcus Borhornius *Kennemers*, Kinheimarios dicunt (à Cattis, quos hodiè HESSOS & TURINGIOS appellamus, unà cum Batavis ſuum antiquitùs ortum ſortiti ſunt) junguntur; quorum agri à Duroſtadio & Batavoduro, vulgò *Wijk-te-Duirſtede* Lugdunum Batavorum uſque, ut CLUVERO placet, extunduntur, quod ſanè veriſſimum. In illorum autem viſceribus oppida viſuntur hodierna Vordum, Gouda, Veteraquinum, Montifortium, Iſelſtenium, Schoonhovia, &c.

Abrah. Ortel. Theat. Geogr. Tab. Anti. Friſiæ. Pet. Bert. lib. Geogr. Belg. vet. tabula. Boxhor. Holland. Theat. cap. 3.

Ultra Moſam deinde ad Helii oſtium TOXANDRORUM ſequuntur Inſulæ non verò MATTIACORUM (quos præſenti hoc ævo Marpurgenſes, & Francofurtenſes, Batavis & Cattis quondam ſanguine junctos, ſuſpicimus) ut ex Plinii, Cornelii Taciti, nec non Philippi Cluveri ſcriptis dilucidè conſtat, quos hodie ZELANDOS orbis vocat univerſus, ſequuntur.

Plin. lib. 31. cap. 2. Tacit. de Germ. morib. item lib. Annal. 4. & 11. &c. Ph. Cluv. de 3. Rheni oſt. cap. 1.

Orientem verſus alterum Rheni inſigne *Flevi* glorioſo nomine venit, quod jam vulgò *Het Vlie* vocant. Huic FRISIORUM Inſulæ adjacent, quæ Rheno ad Oceanum uſque prætexuntur, atque à tergo Marſatios, Sicambros, & Bructeros reſpiciunt, inter Amaſim Fluvium, Iſalam (Nabaliam antiquitùs) ac foſſam Druſianam, à DRUSO, nempè GERMANICO, TIBERII Imperatoris fratre dictam, BELGIS procul dubio, omnibus ob metum hoſtibus bellicâ virtute incuſſum, valdè terribili; quocirca antiquum illud, atque etiamnum hodierno die uſitatum pluribus in locis exſtat dicterium, *De Droes haal u*, te DRUSUS auferat, anno ante natum mundi SERVATOREM decimo, CÆSARE AUGUSTO Orbis imperium obtinente & in Oceano Germanico Herculis Belgici quærente columnas, ut Romanorum claſſem per eam cum exercitu ex ſuperiore Rheni parte in Lacum ſive Mare Auſtrinum, vulgò *De Zuyder-zee*, & Oceanum, Friſios, Cauchosve petiturus, deduceret.

Tacit. lib. Hiſtor. V. Druſiana Foſſa quæ? Friſiorum proverbiū. Tacit. de Germ. moribus. Sueton. in in Claud. Tacit. lib. Annal. 2.

FRISII autem MINORES Rhenum inter & Flevum Lacum, Oceani Germanici exundante impetu productum, quem (ut modò dictum) Mare appellant Auſtrinum, diffunduntur; Septentrionem verſus, ad tractum maritimum, arenoſo littore inſurgentem collibus, cuniculorum frequentium venatu

Antiquus Friſiorum Minorum locus.

natu nobilitatis, quos *Duynen* vocant, qui ſeſe Oceano, tanquam vicino & infeſto hoſti ſuo, ut obices opponunt: Meridiem autem verſus AMSTELRODAMUM uſque extenduntur, atque oppida Alckmarium, Purmerentam, Beverwycum, Harlemium, Enchuſam, Hornam, Edamum, Monochodamum, & Medenblecam numerant, cui contermina cernitur Waterlandia, vulgò *Waterland*. Atque harum Urbium ac tractuum incolæ FRISII dicuntur OCCIDENTALES.

Friſiorum Majorum terminus.

Inde FRISII MAJORES utrinque ad Flevum, Rheni oſtium, ſiti, ad Oceanum & Amiſiam Fluvium uſque pertingunt, ac Lacus ambiunt immenſos, ut eſt FRISIA ORIENTALIS, ſive FRISIA ſimpliciter dicta; ubi hodie Weſopum, Muida, Naarda, Ultrajectum, Lugdunum Batavorum, Amesfordia, Harderwicum, Elburgum, Campi, Swolla, Haſſelium, Geelmuida, Vollenhovia, Steenwicum, Leovardia, Dockumum, Franekera, Harlinga, Stavora, Bolswardum, Sneca, Ylſta, Slota, & Groninga Urbs toto orbe celeberrima, viſuntur.

Antiquus Sturiorum terminus.

His præjacent ad Sturium Fluvium STURII, ut modò dictum, atque ab eodem ad Lacus Harlemici terminos ac ripas uſque circumſcripti; in quorum tractu antiquo, AMSTELRODAMENSIUM hodierna triumphat diœceſis, pagos *Amſter-veen*, *Slooten*, *Slooterdijk*, & *Osdorp* cum annexis vulgò dictis ſub ſe comprehendens, ad quos præſentem pagum *Ouder-kerk* olim pertinuiſſe certum eſt.

Amſtelandia.

Porro fuit hæc Antiqua STURIORUM Gens, olim haud numeroſa, arcto ſcilicet terrarum incluſa tractu, atque ex capturâ lucri feraciſſimâ animam trahens; Friſiis à TACITO tacitè procul dubio annumerata; à PLINIO verò ſeorſim accuratiùs notata, nec non à FRISIIS nomine tenus diſcreta cernitur. Horum autem Amſturiorum vadum Civitatem, hodie AMSTERODAMUM, Friſios *Majores* inter & *Minores* ſitum, non ab Antiquis STURIIS, ſed ab Amſtela fluvio hodierno, & huic impoſito, aggere, *Dam* vernaculo dicto, nuncupatum.

Amſtelodamum unde dictum.

Quicquid deinde Terrarum inter Rheni foſſam, & NABALIAM, *de Navel* Belgicè, & *Nabel* vulgò Germanicè, nunc ISALAM dictam, uſque ad maritima Friſiorum littora porrigitur,

gitur, à paludum multitudine MARSATIORUM nomen obtinuit, Arenacum ubi nunc eſt, Wageninga, Rhena, &c.

Non dubito quin ſint eidem PLINIO *Marſati*, qui CORNELIO TACITO *Marſaci*, & vicini Caninefatibus jungun- Tacit. lib. 4. cap. 56.
tur, *in quos Claudium Labeonem*, Batavum ſcilicet, *pertractis ſecum quibusdam Nerviorum, Bethaſiorumque manipulis* (Brabantiæ populorum) *in arma Marte clandeſtino potiùs quám bello publico proruiſſe* dicit. Populari olim vocabulo MARSATERS indigitabantur, hoc eſt, *Paludum incolæ*, vel MARSAKSERS, id eſt, *Paludum operarii* ferreis inſtrumentis, falce, cultro præſciſſorio, furcâ, ligone, & ſimilibus laborantes: Non procul Leidenſium Civitate Saccorum reſtat pagus, quem vulgò *Saſſem*, Saxorum domicilium, nominant. Marſatiorum nomen unde.

His rectè intellectis, in Ptolomæi tabulis, & Strabonis, Plinii, Cornelii Taciti, VETERUM videlicet AUTORUM, nulla (opinione meâ) occurrere poteſt obſcuritas, verum & rei veritas ex illis optimè conſtabit. In his enim Inſulis atque continenti Terrâ adjacente Lues illa paſſim divagatur Scorbutica, ſimul & copiosè provenit BRITANNICA, tum Inſulæ illæ in Gallico Oceano, quem MAJORES noſtri primò olim CIMBRICUM, Recentiores deinde SAXONICUM, aut FRISICUM, poſtea verò GERMANICUM vocarunt, poſitæ ſunt. Harum autem Inſularum hâc noſtrâ etiamnum tempeſtate in Friſiâ, Hollandiâ, atque Zelandiâ (quæ continens olim Terra fuit, nunc verò ex meris Inſulis conſtans) numerus cernitur ingens. Imo Antiqua, ſic & hodierna Batavia, præter puram Inſulam, nihil unquam exitit. Fuêre autem Friſiorum Inſulæ, quicquid Terrarum ab AMSTELODAMO ad Flevum oſtium uſque Lacubus crebris atque eurupis diverſimodè ſcinditur. In quibus locis morbus Scorbutus graſſatur. Friſiorum Inſulæ quæ?

In his præcipuè hoc ævo Inſularum nomine claræ, *Ens*, *Urck*, *Wieringen*, *Texel*, *Eyerland*, *der Schelling*, *Ameland*, *Vlieland*, *&c.* Flevo oſtio proximæ, unde & nomen ei quæſitum. Intus autem in HOLLANDIA Septentrionali complures, quæ Inſularum nomine haud cenſentur, quia freta inter pleraſque anguſta. Aliæ etiam aggeribus invicem junctæ. Hæ inquam, jam inde à PLINII, TACITIQUE tempore Inſulæ fuêre, quamvis non tam alto freto, ut hodie, cinctæ viſuntur.

Quomodo Insulæ ex continent factæ.

Harum autem plurimæ improvidâ hominum prudentiâ effectæ creduntur. Nam quùm incolæ, aggeribus nondum velati, assiduis OCEANI æstubus vexarentur, fossas passim egerunt, quibus æstus exciperentur, ne agros satui præparatos superfluerent. Hinc postea factum, OCEANUM, quod quùm in totum inferioris GERMANIÆ littus vehementiùs irrueret, latis ubique solum atque altis fretis dissipasse facilè.

Unde non malè scripsit PLINIUS, contra quem multi arbitrantur, ex ultimis Oceani Insulis BRITANNICAM peti: Sunt enim hæ Gallici Oceani Septentrionem versus Insulæ certè extremæ.

Harum autem Insularum Aquæ peculiares, paluſtrium Terrarum vapores præsertim, humidique Aëris alterationes, eædem nunc in his Insulis sunt, quæ infectæ olim non raro, quæque mala prædicta generant; suâ sponte Herba passim BRITANNICA iisdem in Insulis abundè crescit; quin plurima loca, ubi affatim provenit, postea designabo: Itaque verisimile est olim non minus fuisse frequentem: Animadvertendum quoque est, non penitus BRITANNICÆ Herbæ usum apud incolas intercidisse, ad plurima enim mala usurpant, eâque optimè curant: Non tamen aliquem, qui à me de Frisicis Herbarum FRISIÆ nominibus rogatus, ulli Herbæ nomen BRITANNICÆ reddidit, audivi: Quare, an alibi adhuc usitatum maneat nomen, dubito: Quin nonnulli Herbarum nomina occultant, quod de quibusdam mihi relatum experientiâ postea compertum est, dum suæ Medicinæ quæstum faciunt, imprimis autem fœminæ, ut eò uberiore gaudeant, sua nullo modo remedia, quæ arcana vocant, revelare volunt: Rem ita optimam supprimunt, & non, nisi pacto silentio, magnoque munere accepto, idque suos amicos docent.

Aulus Persi. Satyra 1.

CÆTERUM, juvandi Studii, promendæque veritatis quidem causâ procul omni invidiâ rem ipsam benignè demonstrabo: Non quæro munus, non silentium paciscor, neque sub modio Lumen abscondo. Quid enim PERSIUS canit non me latet, scilicet.

Scire

Rhabarbarum Lanuginosum, sive Lapathum Chinense Longifolium.

Scire tuum nihil eſt niſi te ſcire hoc ſciat alter.
At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

Verum à teneris annis non ſolum didici, ſed etiam & illud CATONIS Diſtichon inbibi, quo rerum bonarum doctrinam propogare jubeor: Tum quia PATRIÆ calamitoſâ hâc tempeſtate peſſimis atque deteſtandis nonnullorum PROCERUM ac MAGISTRATUUM artibus ſanguinem quaſi ſitientibus, multorumve militium Officialium turpiſſimâ & damnoſâ vecordiâ miſerè admodum afflictæ, cui potiſſimum nati ſumus, plurima debemus: Cui forſan quamvis ingratum, inutile tamen non erit hoc quod lubens obſequium præſtare debeo, nec injocundum, ſtudioſiſque infrugiferum, cum profecto HERBAM monſtrare, hominis vitam juvare, immo mortalibus vitam dare, res non ſit exigua. Publica commoda privatis antepo-nenda,

Occultum ergo ſi quis Theſaurum, quapropter inutilem, infinitis uſibus expetitum reſtituit, & aperit, rem planè gratam, omnique laude dignam ipſum præſtare credidero; id equidem eò libentius facio, quo PATRIÆ rurſum FRISICAM Herbam, à FRISIO potius præſertim, quàm ab externo, idque contra Endymica mala glorioſius oſtendi exiſtimo: Etſi in hâc paleſtrâ plurimi deſudarunt, oleum tamen & operam perdiderunt omnes: Quin imo haud ſcio, an ſuis de BRITANNICA ſcriptis plus rei Herbariæ Studioſis obfuerint, quàm ſi ſilentio BRITANNICAM transiviſſent, dum falſiſſima, ac pro veris umbratilia ingeſſiſſe deprehenduntur.

Spero idcirco, quod nemo tam invidus, malignus, aut injuſtus rerum æſtimator ſit inveniendus, aut nunc tandem ſe mihi ſit oblaturus, quin meam operam licet exiguam boni non conſulat, voluntatemque ſtudia juvandi, nec non rerum cognitionem laudet: Ac licet quis reprehenſioni ſe accingat, ac mecum in campum deſcendat, non ſine ſummo rubore ipſum evaſurum ſpondeo, verum talis quid melius, certius, potiuſque orbi propinet obſecro; unde adhuc hujus iterum HERBÆ cognitæ potiſſima pars, & AUTOR ero.

Inſuper recti verique indagationem cæteris rebus omnibus, adeoque amicitiæ anteponat, Candidum, Piumve LECTO-

REM oro & obteſtor, candidè modo, utiliter, & veræ præſentis materiæ inventam qualemcunque notitiam rurſus impertiat: Candor namque ingenuus & DOCTOS docet, & currentes promovet.

Verum Antiquorum Friſiorum Britannicæ nomen.

Acturus itaque ſum de illa HERBA, quam FRISII VETERES propriè & verè BRITANNICAM, inde GRÆCI Βρεταννίκλω, vel Βρεταννικὴν aſpirationis loco liquidum geminando, ROMANI autem GRÆCORUM veſtigiis ingreſſi acceptâ ab illis unà cum nomine cognitione & uſu, BRITANNICAM dixêre.

Ut illam, quàm breviſſimè potero, verè oſtendam, omnes primò illius Deſcriptores ob oculos omnibus ponam: Sicque negotium hoc tractabo, ut, quænam ſit vera VETERUM BRITANNICA, quivis intelligat: Tum imperitis obiter multarum Herbarum uſu, quas in morbis curandis pro BRITANNICA uſurpant, abſtinere ſuadebo; quarum interea majus eſt damnum & noxa, quàm commodum & ſanitas. His expertas BRITANNICÆ facultates, communes quoque ac veros Medicinæ uſus contra plurimos affectus, atque venena, ſubjungam.

CAPUT IV.

Scripta ANTIQUORUM *de* BRITANNICA *proferuntur. Cimbricâ & Friſicâ Lingua* LAPATHUM *quid ſignificatur. Friſica Lingua omnium Antiquiſſima, incorruptiſſima, atque etiamnum integrum idioma ſervans Adamicum* ADAM *quâ linguâ uſus.* RUMEX *quid antiquo nomine Japetico denotatur.*

PRæmiſſis quibuſdam ad BRITANNICÆ hujus Diſſertationis, nec non aliorum claritatem pertinentibus, ad ulteriorem quorundam, à nemine (quod ſciam) mortalium hactenus detectorum, Hiſtoriam progredior.

Ut autem ab eo, quod primum in hoc ſtudii genere obſervatur, ſimpliciſſimo, acquirandæque notitiæ convenienti modo exor-

exordiar, cæterave faciliùs prosequar, & expediam, VETERUM ante omnia hâc de NOBILI Herbâ BRITANNICA factas descriptiones suo apto ordine appingam, tum variorum RECENTIORUM opiniones annotabo, quibus & meam inventionem atque sententiam sine livore censuræ subjiciam: Illud autem Aristotelicum observando, quod scilicet verum dicere non solum, verum etiam falsi causam assignare oporteat, quibusdam in locis, ut rem intricatam explicem, perneccessarium erit, falsasque opiniones nonnullorum animis eximam.

Omnium proinde Vetustissimus, qui de PLANTIS commentaria reliquêre post CRATEVAM, HIPPOCRATEMQUE extat THEOPHRASTUS ERESIUS, qui de Plantarum Historia, causisque uberrimè quamvis scripsit, nec tamen hic nec illi unquam BRITANNICÆ meminerunt, quod equidem scio; nec divinare refert, an BRITANNICAM noverint: Quùm illos, qui paulò post secuti sunt Medici, plenam BRITANNICÆ notitiam habuisse versus DEMOCRATIS indicant, quos infra appingam integros.

Crateva, nec Hippocrates, neque Theophrastus Britannicam noverunt.

DIOSCORIDES vero quarti libri secundo capite de BRITANNICA scripsit, cujus vulgaribus in exemplaribus hæc verba leguntur.

Dioscor. lib. 4. c. 2.

Βρεταννικὴ ἢ Σεπονικὴ πόα ἐστὶν ἔχουσα φύλλα ἐμφερῆ λαπάθῳ ἀγρίῳ, μελάντερα δὲ καὶ δασύτερα, τύφοντα ἐν τῇ γεύσει καυλὸν δὲ ἀνίησιν ὑ μέγαν. ῥίζαν λεπτὴν καὶ βραχεῖαν. χυλίζεται δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα, καὶ ἐν ἡλίῳ ἢ πυρὶ συμφέρεται. Δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν ἰδίως ἁρμόζουσαν πρὸς τὰς ἐν στόματι καὶ παιδομίοις νομάς. ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ ὅσα στύψεως δέηται.

BRITANNICA *aut Vetonica, folia habet Lapatho Agersti similia, sed nigriora, & densiora,* (quamvis tamen alii Græcum illud δασύτερα, *pilosiora*, vel magis *hirsuta*; verum meo judicio inconvenienter explicantes, hoc loco legunt, ut ex sequentibus palam fiet) *gustu astringentia. Caulem emittit non magnum, radicem habet tenuem & brevem. Succus foliis extrahitur, qui sole vel igne densatur. Vim habet astringentem, privatim depascentibus oris & tonsillarum ulceribus accommodam. Valet etiam ad reliqua, quibus astrictione opus est.* Hæc ille, apud quem βρεταννικὴ legitur.

Poſt Dioſcoridem PLINIUS, ut qui ſtatim eum ſubſequutus, & in multis interpretatus eſt, peritiſſimus pariter rerum Germanicarum (de quibus, GERMANORUMQUE Bellis, quibus tamen caremus, libros viginti edidit) de BRITANNICA copioſus in Naturalis Hiſtoriæ libris pluribus locis diſſeruit.

Primum libri viceſimi quinti tertio capite hunc in modum ſcripſit.

Plin. l. 25. cap. 3. *Nec beſtiarum ſolum ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim Aquarum quoque ac locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à* GERMANICO CÆSARE *promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, quâ potâ intra biennium dentes deciderent, compageſque ingenibus ſolverentur. Stomacacen Medici vocabant, & Scelotyrben ea mala. Reperta auxilio eſt Herba, quæ* BRITANNICA *vocatur, non nervis modo & oris malis ſalutaris, ſed contra Anginas quoque & Serpentes. Folia habet oblonga, nigra, radicem nigram. Succus ejus & ex radice exprimitur. Florem* VIBONES *vocabant. Qui collectus priusquam tonitrua audiantur, & devoratus ſecuros in totum reddit.* FRISII *quà caſtra erant, noſtris demonſtravêre illam, mirorque nominis cauſam: Niſi fortè confines Oceano Britanniæ velut propinquæ dicavêre. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima naſceretur, certum eſt etiam tum Britannia libera. Fuit quidem & hic quondam ambitus nominibus ſuis eas adoptandi: ut docebimus feciſſe* REGES: *Ut res tanta debeatur, Herbam invenire, vitam juvare, nunc fortaſſis aliquibus curam noſtram frivolam quoque exiſtimaturis: Adeo delitiis ſordent etiam quæ ad ſalutem pertinent: Autores tamen quarum inveniuntur imprimis celebrare par eſt effectu earum digeſtio in genere morborum.* Rurſum

Plin. l. 25. cap. 8. ejuſdem libri meminit BRITANNICÆ capite octavo PLINIUS.

Medentur, ait, *BRITANNICA Herba, Panaciſque generum omnium radix è vino: Chironii flos & ſemen potum illitumve ex vino & oleo, privatimque quæ Bubila Cunila vocatur: Nimirum contra ictus Serpentum, lethalia venena cujuscunque generis hæc proſunt.* Ad hæc

Plin. l. 27. cap. 1. PLINIUS libri viceſimi ſeptimi capite primo hæc de BRITANNICA tradit.

Scyticam Herbam à Mœotidis paludibus, & Euphorbium à monte Atlante; utraque Herculis columnas, & ipſo rerum Naturæ defectu: Parte altera BRITANNICAM *ex Oceani Inſulis extra Terras poſitis, itemque*

que Æthiopidem ab exuſto Syderibus axe: Alias prætereà aliundè ultro citroque humanæ ſaluti in totum Terrarum orbe portari immenſa Romanæ pacis Majeſtate non homines modo diverſis inter ſe Terris, Gentibusque, verum etiam Montes & excedentia in nubes juga, partusque eorum, & Herbas quoque invicem oſtentante: Æternum quæſo Deorum munus ſit illud. Hactenus PLINIUS; quem ſubſequutus diu poſt CLAUDIUS GALENUS etiam de ſimplicibus Medicamentis, horumque facultatibus prodidit certiſſima: Itaque illa quoque quæ de BRITANNICA reliquit, addenda puto.

GALENUS ergo de ſimplicium Medicamentorum facultatibus ſexto, & hujus capite nonageſimo octavo hoc modo ſcribit. Gal. lib. 6. med. ſim. cap. 98.

Βρεταννικῆς δ' πόας ἐϛὶ μὲν, ϗ τα φύλλα ϛυπτικά τε ϗ κολλητικὰ τραυμάτων, ὅμοια τοῖς τ ἀγρίων ὄνταλαπάθων, πλὴν ὅϛον μελάνθωρα τε ϗ δασύτερα φαίνεται· ὅϛι δὲ ὁ ἐξ αὐτῶν χυλὸϛ ὁμοίως ϛυπτικὸϛ ὥϛε ϗ ἕφθοντα αὐτὸν ἀποτίθενταί τινες, ὡϛ δραϛικώταϛον τ ϛομαλικῶν φαρμάκων· ἰαθαι γὰρ δοκεῖ ϗ τὰ ἤδη σηπόμενα.

BRITANNICÆ Herbæ folia aſtringentia ſunt, & vulnerum agglutinatoria, Agreſtibus Lapathis ſimilia; niſi quatenus nigriora ſunt, magiſque denſa: Sed & expreſſus illis ſuccus natus eſt, perinde potenter aſtringere. Itaque coctum quidam reponunt, tanquam inter ſtomatica medicamenta efficaciſſimum: Videtur enim ſanare etiam putreſcentia.

Hæc ſunt verba GALENI, qui nusquam aliàs de hâc Herba, quod ſciam, egiſſe videtur, niſi quod alibi fortè aliorum teſtimonia de hac in medium adducere videatur, ut latius infra patebit.

Quoniam autem GALENUS, folia BRITANNICÆ Agreſtibus Lapathis eſſe ſimilia dicit, idemque DIOSCORIDES loco ſupra citato affirmat, dum inquit; *Folia Lapatho Agreſti habet ſimilia*, hinc aliquis BRITANNICAM quandam Lapathorum eſſe ſpeciem, haud temerè ſuſpicari poſſet: Nec FRISIÆ terræ ſolummodo, verum & pluribus locis aliis propriam, ac frequentem. Idcirco, ut hanc dubitationem omnium animis eximam, integras omnium LAPATHORUM differentias hic appingere non erubeſcam.

Ad

Ad quam rem plenè ac absolutè conficiendam PLINII verba de Lapathis propria adscribam; quòd is materiam hanc melius, fœliciusque, quàm DIOSCORIDES, GALENUS, aut ex Medicis (meâ sententiâ) omnibus quispiam pertractaverit.

Plin. lib. 20. c. 21.

Cæterum libri vicesimi capite vicesimo primo his verbis omnes Lapathis species expressè perstringit.

Nec Lapathum, inquiens, *dissimiles habet effectus. Est autem & Sylvestre, quod alii Oxalidem appellant, sativo proximum, foliis acutis, colore Betæ candidæ, radice minimâ.* Verum hoc loco mendum esse quis non videt? meo enim judicio legendum est flore Betæ candidæ, neque enim in communi, omnibusque notissimâ hâc Herbâ errasse PLINIUM potuisse, credibile est.) *Nostri verò Rumicem, alii Lapathum Cantherinum ad strumas cum axungia efficacissimum. Est & alterum genus, ferè Oxylapathon vocant; Sativo idem similius, & acutiora habet folia, ac rubriora, non nisi in palustribus nascens. Sunt qui Hydrolapathum tradunt in Aquis natum. Est & aliud Hippolapathum, majus sativo, candidisque ac Spissius. Sylvestria Scorpionum ictibus medentur, & ferire prohibent habentes. Radix aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur: Si verò bibatur, morbo regio. Semen stomachi inextricabilia vitia sanat. Hippolapathi radices privatim ungues scabrosos detrahunt. Dysentericos semen duabus drachmis in vino potum liberat. Oxylapathi semen lotum in aqua cœlesti sanguinem rejicientibus adjecta Acacia, Lentis magnitudine, prodest. Præstantissimos pastillos faciunt ex foliis & radice addito nitro & jure exiguo. In usu aceto diluunt. Sed Sativum in Epiphoris oculorum illiniunt frontibus. Radice Melicerias & Lepras curant. In vino verò decocta strumas, & Parotidas, & & calculos. Poto vino & Lienes, cœliacos æquè & Dysentericos & Tenasmos. Ad eademque omnia, efficacius jus Lapathi. Sed & ructus facit, & urinam ciet, & caliginem oculorum discutit. Item pruritum corporis in solia balinearum additum, aut prius ipsum illitum sine oleo. Firmat & commanducata radix dentes. Eadem decocta cum vino sistit alvum, folia solvunt adjecto sale. Adjecit Selon (ne quid omittam) Bulapathon radicis tantum altitudine differens, & erga dysentericos effectu pota ex vino.* Hæc ibi.

Plinii locus corrigitur.

Plin. l. 19. cap. 12.

Verum & libri decimi noni capite duodecimo hæc in medium profert. *Solum verò ex omnibus Lapathum Sylvestre melius. Hoc in Sativis Rumex vocatur; nasciturque fortissimum. Traditur certè semel*

ſemel ſatum durare, nec vinci unquam à Terra maximè juxta Aquam. Uſus ejus cum ptiſana tantum in cibis, leviorem gratioremque ſaporem præſtat. Sylveſtre ad multa medicamina utile eſt. De hujus radicibus ſcribit. *Quod ampliſſima ſit radix Lapatho, ut quæ deſcendat ad tria cubita. Sylveſtri minores tumidæ: Effoſſa quoque diu vivit.* Hactenus PLINIUS pulchrè de LAPATHO, inſignibuſque hujus facultatibus, quarum meminiſſe haud abs re fuerit, paucis diſſeruit. Plin. l. 19. cap. 6.

Neque me movet, quod nonnulli de his contra PLINIUM cavillantur; ſed quàm rectè poſteà, cum omnes LAPATHI ſpecies exponentur, manifeſtabitur.

Quamombrem ſedulo examinavi, hæcque olim PLINII verba excuſſi & cum iis varias LAPATHI ſpecies contuli ut certè in hâc parte PLINII diligentiam admirari coactus fuerim. Ea nunc quoque ita paucis dicam, ut oſtenſis omnibus LAPATHI ſpeciebus, ab HIPPOCRATE, DIOSCORIDE, PLINIO, atque GALENO deſcriptis, Herbam BRITANNICAM ab iis, adhuc eſſe diverſam, palam fiat.

Majoris verò ac clarioris demonſtrationis cauſâ, ſi vulgaria omnia, utpote nota, quibus explicari ignota expedit, iis reddam, mihi quæſo quis non concedet, aut condonabit? DOCTI quidem barbaris, Herbariorumque trivialium vocabulis abſtinent: Quorum hic exemplum imitari quid prohibet? Singula itaque, idque in STUDIOSORUM gratiam non ſine fructu excutiamus. Id enim Pariſiis olim perficere conatus fui: Atque eo modo, ibi plurimas Herbas, harumque Etymologiarum campum cognoſcendi, atque latum aperui. Enim verò plurimas ARISTOLOCHIARUM ſpecies repræſentavi. Quùm multi DIOSCORIDIS commentarios PLINII ſcriptis anteponunt. Ego tamen, ipsâ αὐτοψία (inſpectione oculatâ) longè ſtudioſiorem PLINIUM, verioremque Herbarum inprimis Ariſtolochiarum deſcriptorem, quàm DIOSCORIDEM, fuiſſe, verè exiſtimo. Idem nunc in explicandis LAPATHI ſpeciebus antiquum meum inſtitutum imitans atque obſervans ſine morâ clariſſimè docebo.

Doctiſſimi itaque PLINII verba, tanquam ORACULA, expoſiturus, prælibabo.

Nec Lapathum diſſimiles effectus habet.

Poſtquam de *Althæa* abundè diſſeruiſſe ſibi viſus eſt Autor, ad Herbam earundem quodammodo facultatum virtutibus præditam, nempè LAPATHUM dictam transgreditur.

Quemadmodum enim ALTHÆA ex vino albo ſtrumas, parotidas, mammarum inflammationes, panos, melicerias, Lepras curat, & vulneratis, ſitientibuſque ſanguinis defectu ſuccus decoctæ radicis epotus prodeſt.

Ad hæc ipſa Herbæ radix cum melle & reſinâ vulneribus, contuſis, luxatis, tumentibus muſculis, nervis, articulisque medetur impoſita. Pota quoque in vino aſthmaticis & dyſentericis conducit. Cruda alvum ſolvit, cocta in aquâ alvum ſiſtit, miraculosè convulſis, ruptiſque utilis habetur: Ita per omnes hos caſus LAPATHUM ſic propriè dictum eandem habet efficaciam, cujus hoc loco experimenta, utpote & numero nimia, artiſque praxi conſentanea, omitto.

Hoc loco, quænam HERBA propriè ac verè ſit, quæ LAPATHUM dicitur, quærendum eſt: Ad cujus perfectam cognitionem ab ipſo nomine auſpicari mihi fas eſſe duco.

Lapathum Cimbrica Lingua quid denotat.

λάπαθον itaque Græcè proprio nomine dicitur. Cujus Etymon ſi ex Lingua *Cimbrica* interpretari licet, hoc ſignificat, quod ſcilicet poſt lenem ventris laxationem mox quandam ejus aſtrictionem inducat. Quæ vis ineſt Lapatho ſingularis: Tum quod aperta, ulcerata, fiſtuloſa, ſcabioſa, omniave ſummè foraminoſa, vehementer conſolidat, ac reſarcit. Denique quod ſaporem facit inſulſum, & ſali vim adimit, ac contra id, ejuſque incommoda, & ſalſorum in corpore humorum varia ſymptomata peculiaribus pollet viribus.

Quæ omnia ipſum LAPATHI clariſſimâ atque veriſſimâ interpretatione ex linguâ FRISICÂ deductum Etymon, quæ veras CIMBRICAS continet voces, ſignificat: Cujus uſum haud aſpernandum duxi. Ideoque ad illam in rerum naturalium explicatione non temerè recurro: Quippe quæ rectè cognita plurima myſteria, maximamque rerum naturalium, atque Hiſtoriarum notitiam ſuppeditat: Quia antiquiſſima eſt, JAPETICÆ progeniei propria, nec obſcurè Orphicam, Moſaicamque Linguæ diſciplinam conſervans.

Atque omiſſis involucris Cabaliſticis, Aramæiciſque idiomatibus. Quin ex immenſis, laborioſos, faſtidioſiſque GRÆCORUM,

RUM, LATINORUM, imo etiam HEBRAICORUM Grammaticorum, aliorumque AUTORUM ſcriptis quid quæſo, quàm diverſas conjecturas, multorumque opiniones haurire licet, quæ nulli tamen certitudini innituntur: omnes enim hæ linguæ in Turris Babylonicæ ſtructurâ confuſæ ſunt, eam præter, quæ vera NOËTICA à Noë tradita JAPETO, hujuſque poſteritati, tam longis ſpatiis ab illâ Babylonicâ ædificatione remota.

Unde JAPETICA ſoboles, quæ partim Scytiam Aſiaticam, partim Europæam petiit, incorruptum ſibi, integrum, purumque idioma reſervavit ADAMICUM, hoc eſt CIMBRICUM, & præſertim quod excellens, invictoque Populo, & liberis FRISIIS hactenus proprium extitit. Nam Lingua eorum lucidiſſima eſt, ac nullâ orationis ambiguitate impedita, rurſus omnium breviſſima, copioſiſſima, de quâ parte lucis eſt origo, eademque indigenis leviſſima, atque minimâ organorum moleſtiâ proferenda, quare hominem maximè ad quamvis aliam & addiſcendam, ac probè modulandam reddit idoneum, ut libro Hermathenæ ſecundo teſtatur GOROPIUS.

Goropius fol. 27. Hermath. l. 2. fol. 25. Adam Friſicè locutus.

Proinde non abs re eſt, quod idem JOANNES BECANUS mortalitatis univerſæ Tritavum, & humanæ familiæ caput, ADAMUM non Hebraicè, verum diſertè CIMBRICÈ, id eſt FRISICÈ locutum fuiſſe omnibus perſuadere conatur, eumque Cimbrum planè in Meſopotamia faciat. Omnes enim harum Provinciarum incolæ à Batavia ad Daniam uſque Cimbri olim fuere dicti. Imo Holſatiæ, Jutiæ, ac Ditmarciæ indigenæ, re vera ex FRISIIS, Anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo nonageſimo ſexto, & ante, Friſiam ob hominum multitudinem deſerentibus illasque oras omnibus pulſis indigenis, occupantibus, nec non FRISIAM, eam Regionem intrepidè vocantibus, oriundi, in hodiernum uſque diem CIMBRI nuncupantur. Inde hæc nativum ſuum CIMBRICUM ſive FRISICUM nomen hodie adhuc retinet: Hinc mirum non foret, ſi quis ADAMUM Cimbricâ linguâ, primigeniâ vocum omnium ſcatebrâ, de quâ plurima HEBRÆORUM vocabula deducta cernuntur, ut idem refert GOROPIUS, uſum fuiſſe diceret, atque ingeniosè comminiſceretur.

Verum ita haud vulgares demonſtrationes, AUTORESVE

ſequutus non dubito, quim clarius etiam totum hoc negotium facilè perſpexerit, qui Friſicæ Linguæ idioma, peritiamque cum aliis linguis contulerit, ut quæ ſola inviolata nec non incorrupta permanſerit, reliquis Cimbrici tractus linguis propter varia & continua externarum Gentium commercia, commeatuſve haud parum detortis, plurimum inquam propter Bella, ac diverſorum Populorum incurſiones immutatis: A quibus ſicut FRISIA libera fuit, ut libertatis ambitioſiſſima, ita priſcæ linguæ, & morum extitit tenaciſſima.

Friſica lingua hactenus inviolata extitit.

Quodque dolendum eſt, nunc propter improborum mercatorum deteſtabilem avaritiam, atque uſurarium quæſtum, aliorumve nefariorum lucripetarum (qui ſemper propemodum inſtitorum aſſeclæ reperiuntur, atque mercenarii exiſtunt) haud exiguam ornamentorum, nec non antiquarum virtutum jacturam fecit.

Verum ut inquit egregiè PLATO, *habent ſua fata quæque Reſpublicæ.* Et ut MANILIUS canit: *Stat ſua cuique dies & inevitabile fatum.* Ita forſan id FRISIORUM nunc fata, eorum propter horrenda, atque impœnitenſibilia peccata, veræque Religionis Chriſtianæ deſtandam negligentiam urgent; pro quâ ANTIQUOS noſtros FRISIOS varia & acerrima geſſiſſe Bella, ſufficienter Hiſtoriarum tradunt monumenta.

Plato citatur. Manillus adducitur.

Sed quorſum delabor? Ergo unde ſum digreſſus regredior.

λάπαθον quidem à GRÆCIS uſitatum, à LATINIS quoque eſſe in uſu cœpit: A quibus Herba illa antiquo nec non genuino nomine Japetico RUMEX vocabatur, ut quæ locum faceret, vel ſpatia dilataret: Alvum enim laxando, cibo poſtea ingerendo locum facit; inde varia illi ab effectu data ſunt nomina, & apud MACRUM POËTAM, ac MARCUM vulgarem ſic legitur.

Herba ſolet Lapathi vulgo Paratella vocari.

JANUS CORNARIUS in annotationibus ad librum ſecundum MACRO adſcriptum *Paricellam*, vel *Parellam* legi oportere cenſet, ſed meo judicio mera eſt conjectura, nec ullâ ratione nititur, & ad vulgi pronunciationem etiam uſurpatam refert; qui linguæ veræ & Antiquiſſimæ imperitiâ in hunc ſcopulum impegit: non enim *Paratilla*, *Paritilla*, *Paricella*, vel

Jan. Cornar. in annot. ad Macr. de Herb. Vir. fol. 39.

Pa-

Parella, verum *Rharittella* olim adhuc in FRISIA dicta *Rharitteren*, vel blæsorum, aut malè caninam litteram vitio pronunciantium *Rharittel*, vel *Rharittelen* vocatur. Verum hoc loco noſtri inſtituti non eſt nominibus LAPATHIQUE Etymis inſiſtere: Ei enim hanc diſſertationem non deſtinavimus, niſi quatenus ad demonſtrandam noſtram BRITANNICAM faciat.

LAPATHUM igitur aut RUMEX, ventrem laxans per excellentiam dicitur HERBA, quæ ſativa eſt; tametſi, ut ARISTOTELES in Problematibus quidem, omnes ex ſylveſtribus Herbas, tranſlatione, cultuque ſativas eſſe reddi-tas verè docet: Ita RUMEX, qui hortenſi poſtea culturâ propter præclaros effectus dignus habitus eſt, & *Sativus* dictus, ſimpliciterque tam apud GRÆCOS quàm LATINOS *Lapathi* vel *Rumicis* nomine intelligitur; quæque à Friſiis noſtris hodie *Rharitter* aut *Rhoritter* dicitur. Ariſtot. in Problematibus.

Hoc igitur LAPATHUM PLINIUS deſignat, quùm non diſſimiles ab *Althæa* ſcilicet habere effectus *Lapathum* loquitur. De hoc agere videtur DIOSCORIDES, dum ſcribit, *alius eſt ſativus illi diſſimilis*, ubi Codicis mendum haud malè quidem ex ORIBASIO reſtituunt, leguntque ſic: ὁ χ τ\ πᾶν ὅμοιον τῷ πρώτῳ, *non in omnibus ſimile primo:* Eâ quidem ratione nihil fortaſſè à Dioſcoride PLINIUS diſſentiet, ut innuit ANDREAS MATTHIOLUS, imo nihil prorſus. Dioſ. lib. 2. c. 108. de mat. Medica.

GALENUS *Lapathum* idem intellexit, ubi de alimentorum facultatibus libro ſecundo hunc in modum de eo ſcribit. RUMICEM, ut ante diximus, *Sylveſtrem Betam quis appellare poſſet; quùm non guſtu ſolum, verum etiam facultate Hortenſi Betæ perquam ſimilis eſt. Quoniam autem Beta Rumice jocundior eſt, idcirco eâ magis homines veſcuntur: Quapropter nec hic prolixius de Rumice agendum mihi videtur; Cum in Betâ omnia ad rem facientia expoſuerimus.* Gal. lib. ſimpl. 2.

Rurſum de hoc LAPATHO idem libro ſimplicium ſeptimo capite ſeptuageſimo tertio. *Lapathum*, inquit, *moderatè digerentem ſortitum eſt facultatem.* Id quod *Althæa*, antea quòque aſſcripſit, cujus libro ſimplicium ſexto ſic meminit. Gal. lib. ſimpl. 7. Dap. 73. Idem lib. ſimp. 6.

Ebiſcus ſive Althæa (eſt autem Malva Agreſtis) facultatem habet digerendi, laxandi, phlegmone levandi, mitigandi, concoquendi difficilia coctu tubercula. Radix ejus, & ſemen cætera quidem ſimiliter agunt,

ut Herba viridis, ſed tenuiorum partium magiſque exiccatoriam & magis exterſoriam quàm illa facultatem oſtendunt; ut & vitiligines detergeant, & ſemen renum calculos confringat. Radicis verò Decoctum Dyſenteriæ, alvi profluvio, & ſanguinis rejectioni utile eſt; quoniam aſtringentem quandam facultatem poſſideat.

Theoph. hiſt. Plant. lib. 9. c. 19. Plin. l. 20. cap. 21. aliis pluribus in locis.

Huc adde quæ THEOPHRASTUS ERASIUS, PLINIUS, aliique de ALTHEA prædicant, quibus RUMICIS facultas proximè reſpondet, nimirum Sativi communis. Ita ut PLINIUS verè dixerit, LAPATHUM ab ALTHÆA diſſimiles non habere effectus.

CAPUT V.

Sativum Lapathum quodnam. An Monachorum Rhabarbarum. Patientia Herba quæ. Lapathum Cantherinum quid. Quænam inter Oxalim & Sylveſtrem Rumicem differentia. Canpfer quid. Oxylapathum quid. Lapathum Sanguineum quodnam. Hydrolapathum, & Hippolapathum quale & in quibus Locis. Bulapathum quid. Schorfloof quibus malis medetur. Omnium Lapathorum enarratio.

DE quibuſdam inauditis Antiquitatibus, Linguæ Friſicæ vetuſtate, aliiſve pluribus modo diximus.

Nunc autem illud conſiderandum reſtat, quodnam SATIVUM hoc ſit LAPATHUM ſimpliciter dictum, an ne RUMICIS nomine veniat? ut quo nomine vulgò vocetur? quo ſic ab aliis quoque LAPATHI ſpeciebus, quæ hodierno hoc tempore Hortis permultis frequentes ſunt, poſſit diſtingui.

Equidem illud eſſe fortè non abs re judicarem, quod vulgò MONACHORUM RHABARBARUM vocant omnes. Nec (ut ingenuè fatear) ſatis ſcio an illud intellexerit PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS, ubi de ſuo Italico *Rhabarbaro* ſuper *Rhapontico* commentario agit. Nam non omninò deſcribit, verum his tantum verbis proponit.

Matthiolus notatur.

In

Lapathum Sativum Antiquorum.

fol. 38.

In Italia quoque Rhabarbarum quoddam in Hortis & Viridariis passim reperitur, à peregrino non absimile, quod etiam (ut à Medicis fide dignis mihi relatum est) bilem dejicit, quamvis Peregrino sit longè infirmius.

Si RHABARBARUM MONACHORUM intellexit, hoc nostrum, & verum ANTIQUORUM LAPATHUM eo loco dedit, quamvis ipse illud ignoret: Nec quo jure *Rhabarbaro* subjiciat scio, nisi eodem etiam jure *Rhabarbarum* inter LAPATHI species recenseri queat: Quod quibusdam & magni nominis Medicis haud displicuisse video.

Verum illud Italicum *Rhabarbarum*, si est, ut credo, idem cum eo, quod Monachorum RHABARBARUM vulgò vocamus, profecto passim non in Italiæ solum, verum etiam in Galliæ, Germaniæ, Angliæ, nec non Frisiæ nostræ Hortis lætè provenit: Quare recens Herba illata, aut Italica solummodo esse, ut Monachi somniant, videri non potest, verum ipsâ re SATIVUS RUMEX est, quemadmodum jam illud ex Etymo ostendi, ut laxet; quo effectu si aliquod simplex potentius paulò, quàm œnoprotica operetur, facilè bilem pellit, quod *Rumicis Sativi* proprium est: Omnium quoque LAPATHORUM olere decocto alvum molliri scribit DIOSCORIDES. Monachi in Mesuem.

Hoc verò Monachorum *Rhabarbarum* sylvestrium Rumicum OXYLAPATHI maximè (cui id confert DIOSCORIDES) locis in palustribus crescentis, formâ LAPATHUM haud esse dissimile, verè, & à PLINIO propriè RUMEX vocari dicitur, nascique in Hortis fortissimum asseritur, illius sive facultates, sive magnitudinem respicias, quemadmodum libri decimi noni capite duodecimo videre possunt omnes. Plin. lib. 19. c. 12. Lib. 19. cap. 6.

Porro libri ejusdem capite sexto hujus scilicet LAPATHI simpliciter dicti meminit, quo modo in magnitudine sit fortissimum: *Amplissima est radix*, inquit *Lapatho, ut quæ ad tria cubita descendat: Sylvestri verò minores sunt, sed & tumidæ.* Ex his autem *Herbam, Monachorum* vulgo *Rhabarbarum* vocatam, jam describi manifestum est. Unde *Rhabarbarum Monachorum* VERUM esse SATIVUM LAPATHUM sive HORTENSE * Loniceri Lubens affirmo, cujus ampliſſimæ radices Hortos amant. Hodie enim adhuc ipsam Herbam passim in FRISIA vere Frisii *Patziens crud*, sive *kruid* nominant, suppressâ vel obscurè pronunciatâ syllabâ La, ut sit *Lapatzens kruid.* Inde nativi nominis Rhabarb. Monach. est Lapat. Sativum, quod hodiè Patientiam dicunt. * Adam Lonicerus cap. 63.

Patientia quid.

nominis imperitiores, *Patientien kruid*, quasi patientiæ Herba esset, derivarunt, & *Patientiam* in hodiernum usque diem vocarunt.

Sed ecce illis nunc veram originem, Herbæ nomen, ipsamque Herbam, unà cum facultatibus quibusdam demonstravi; ac errorem, qui omnes hactenus ferè MEDICOS obruit, detexi. Hoc itaque de LAPATHO dixisse sufficiet. Nunc ad reliqua PLINII verba, quæ his benè cognitis apertiora existunt, transeundem puto.

Est autem & Sylvestre, inquit ille, *quod Oxalidem appellant, Sativo proximum*. Argui PLINIUS posset, si *Oxalidem* sativo esse *Rumici* similem dixisset. DIOSCORIDES namque profert, *quartum illud esse Lapathum, quod alii Oxalida, alii Anaxerida, aut Lapathon vocant. Folia ejus Sylvestri, aut exiguo Rumici similia, caule non magno, semine subacuto, rubente, acri, in caule & agnatis appendicibus emicante.*

Discorides citatur.

Hic DIOSCORIDES Rumici exiguo Sylvestri OXALIDEM comparat, à cujus formâ sativus haud parum differt: Itaque erasse PLINIUS videretur. Quod tamen ego contrarium judicarem. PLINIUS enim in tantum solummodo *Oxalidem* Sativo proximam dicit, quantum ad effectum: Inde talis est verborum PLINII sensus. *Sativum Lapathum* simile ferè cum *Althææ* facultate pollet: Inde (ex sylvestribus, quorum nomina & vires ordine connectit) OXALIS facultatum suarum usu, & ad *Sativum Lapathum* potentiâ proximè accedit: Quasi dicat: OXALIS ex sylvestribus præcipuus non est ferè minoris usus, quàm SATIVUS RAMEX: Quod certè verissimum est: Ideoque aliter qui de PLINIO Viro Doctissimo, rerumque naturalium perscrutatore summo sentiunt, manifestissimè calumniantur.

Plinius defenditur.

Itaque sicut post Althæam *Lapathum Sativum*, non ad formas, verum ad effectus respiciens, subjunxit: Ita post verum *Rumicem*, Sylvestrem valdè insignem & primum scilicet illum *Rumicem* collocavit, qui usu secundus est, quique ideò in Hortis quoque variis Terrarum in Locis non rarò colitur, & *Rumex Cantherinus*, vel *Lapathum Cantherinum* à Romanis ad distinctionem *Rumicis* vocatur, qui usu primus est, ideoque hortensis. Postea describit, foliis esse acutis. Id DIOSCORIDES prolixius exe-

Lapathum Cantherinum.

exequitur, dum inquit: *Folia ejus Sylveſtri ac exiguo Rumici ſimilia.* Verum dum folia acuta PLINIUS aſſerit, pleniùs, quàm DIOSCORIDES rem ipſam exponit: Nam & formâ & ſapore acuta ſunt: Acutum namque & ὀξὺ apud GRÆCOS modo pro acetoſo, modo pro mucronato, apud LATINOS ſæpè pro acido uſurpatiſſimum eſt. Sic OXALIS folia acida ſunt, tum etiam non minus quàm aliarum Lapathi ſpecierum acuta.

Pro colore ſupra florem reſtituimus: Id quod etiam omnium hactenus primus poſt tot quamvis oculatiſſimos PLINII correctores, nec non ſtudioſiſſimos vitiligatores annotavi: Radicis etiam formam PLINIUS meliùs, quàm DIOSCORIDES deſcribit.

Hic enim dum *exiguo Rumici* ſimilem ait, nec exigui Rumicis radicem diſtinguit, veram hujus deſcriptionem omninò omittit, facilè rudioribus, maligniſque cavillatoribus erroris anſam præbet, qui, quod etiam RUMICIS radicem exigui, illa OXALIS dicta, habere debeat, inferre poſſunt: Quùm interea communis *Oxalis* radicem habeat minimam, *Rumex* verò *Sylveſter exiguus* magnam ſatis; ne hoc quidem nomine communis OXALIS illa erit à DIOSCORIDE deſcripta, aut in deſcriptione erraſſe DIOSCORIDEM oportet. Rectius igitur PLINIUS, minimâ ſit radice. De Diſcoride opinio.

Neque & illud ſilentio transeundem eſſe duco, plures hodie Oxalidum ſpecies inveniri, quas vulgò *Acetoſas* Aromatarii, vel *Acetoſellas* ſolum modo guſtus judicio vocant.

ANDREAS MATTHIOLUS pingit duas, majorem nimirum, & minorem, illi folia Hortenſi ſimilia, quo in loco ſe PLINIUM eſſe ſequutum ait: Verum quàm rectè, alias. Matthiolus in Lucem profertur. *Huic verò ſagittarum eſt figura, mollia continens folia, lævia, quibusdam veluti capillamentis ſubrubentibus inſperſa, foliisque majoris aridiora: Semen utrique idem, præterquam quod majori majus, minori minus.* Hæc ille.

Poſteriores verò nec PLINIUS, nec DIOSCORIDES, nec GALENUS meminit.

Priorem PLINIUS antiquiſſimo nomine FRISICO donavit, verum incorrecta exemplaria id dubium ac obſcurum faciunt: Dicam tamen, *Rumicem Cantherinum* à ſuis OXALIN vocari inquit.

Si legamus pro Cantherino *Canpfferinum*, vel etiam omissâ littera C, *Ampfferinum*, manifesto audiamus & cognoscimus FRISICUM & GERMANIS usitatum vocabulum *Canpffer*, & *Ampffer*, vel *Amper* alibi; dictione Theutonicâ, & à Romanis usurpatâ, quâ *Acetosam* notant. Quamvis MATTHIOLUS, & alii propriæ Linguæ Germanicæ rudes id prorsus nomen omnibus *Lapathi* speciebus applicant, & malè pro *Canpffer* dicunt *Ampffer*, qui saltem ex PLINIO aliter erudiri debuissent, si quid *Cantherinum* esset, rectè perspexissent: Cur sic vocent, ne nunc quidem dicam; res enim ad potatores, bibaceſque fœminas pertinet: Magis etiam meum inventum juvat, quod in nonnullis PLIINI exemplaribus *Cantherium*, non verò *Cantherinum* legitur. Ab acido etiam gustu SURINK vocant: Id aliqui imitari volentes *Surampffer*, ADAMUS verò LONICERUS, aliique *Saurampffer* dixerunt, quùm interea propria *Frisica* Acetosæ *Nomenclatura* sit *Canpfer*.

Acetosa, Rumex quoque Canpfferinus, vel Lapathum Campferinum dicitur.

Adam. Lonicer. cap. 64.

Tertia quoque *Acetosæ*, præter alias hic minimè recensendas, species est, montibus præsertim Helvetiæ frequens, nunc verò pluribus Hortis illata, nec non à Chymicis curiosis quibusdam ad aurea illorum & argentea desideria adimplenda commendata, & à nonnullis (admodum me judice malè) inter LUNARIARUM species relata, quòd se modo folia in crescentis Lunæ cornua expandunt: Sapor interea totus est acidus. Verum & nunc quoque de ACETOSA satis, quam Arabes *Humadh* vel *Hunadh*, Hispani *Azederilla*, Galli *Ozeille*, *Vinette*, & *Salette* vocant.

Quod autem Trifolium Acetosum Græcis ὀξὺς dicitur, ad hanc classem pertinere non videtur, de quo PLINIUS libro vigesimo septimo capite duodecimo scribit. *Oxiis folia terna habet; datur ad stomachum dissolutum; edunt & qui enterocelon habent* Sed & hæc, & Plantaginem quoque tenui foliam Marinam, sive Gramen Marinum, vel Acetosum Densifolium, quod in FRISIA *Suden* vocant, in cibo suavissimum referre supersedeo. Ergo ad instituta PLINII verba redeo.

Plin. l. 27. cap. 12.

Est & alterum genus, quod ferè Oxylapathum vocant, sativo idem similius. DIOSCORIDES primo loco *Oxylapathum* collocavit, hisque paucis describit: *In acutum tendit, dura habens extrema, in paluſtribus nascens.*

MAT-

MATTHIOLUS ut propoſito paucis ſatisfaceret, rem tamen ipſam minimè demonſtravit. Dicit, *Rumicem tametſi hodie in Hortis non ſeratur, ſuâ ſponte tamen frequentiſſimè iis innaſci*, nullis deſignans notis, quibus Sativus delineatur. Interea RUMICEM SATIVUM non pinxit, non deſcripſit, nec pluribus oſtendit, quemadmodum me hic feciſſe, omnibus, quas mihi hactenus videre contigit, *Lapathi* figuris, ad vivum delineatis, additis cuilibet videre facile eſt: Ita in OXYLAPATHO tranſcurrit negotium.

Lapathum in paludibus provenit, inquit, *Dioſcoridi OXYLAPATHUM vocatur*; non quidem quod guſtu acutum ſeu acidum ſentitur, ut OXALIS, quam vulgus officinarum ACETOSAM appellat, verum quòd foliis in acutum deſinentibus proveniat: Siquidem ὀξὺ GRÆCORUM appellatione modo acutum reſpectu ſaporis, modo mucronatum reſpectu formæ ſignificat. Deinde Arabes ſine cauſâ taxat, quòd AVICENNA ac SERAPIO omne *Lapathum* nullo diſcrimine *Acetoſam* vocant: Quùm imperiti Interpretes in illorum utpote ut ARABUM Codicibus illud nomen poſuerunt, qui *Rumicem*, ut ipſe fatetur, *Hamad* vel *Humadh* nominarunt. Denique PLINIUM cum DIOSCORIDE committit.

PLINIUS libro vigeſimo capite viceſimo primo OXYLAPATHUM non niſi in paluſtribus naſcens *Sativo* ſimilius eſſe ſcribit; cum tamen alterum alteri diſſimile DIOSCORIDES faciat. Plin. lib. 20. c. 21.

Verum ſupra oſtendimus, quod correctus DIOSCORIDIS Codex ex verâ ORIBASII lectione *Oxylapathi* deſcriptionem inter DIOSCORIDEM & PLINIUM omnino conſentientem faciat. Tum PLINIUS illud innuere non vult, quemadmodum opininatus fuiſſe MATTHIOLUS videtur, hoc ſcilicet Oxylapathon Sativo ſit ſimilius, hoc eſt, quod omnino eſt Lapatho Sativo ſimpliciter ſimile. Plinius à Matthiolo malè reprehenſus.

Verum dicit, quod Oxylapathon quamvis tertio loco propter uſum à Sativo ſit, Sativum in primo ponendo, tum ex ſylveſtribus *Oxalim* in ſecundo, ut ſit ſativo proxima, inde *Oxylapathum* in tertio: *Oxylapathon* tamen ad *Lapathi Sativi* formam magis, quàm *Oxalis* accedit: Atque id oculata fides, ac ipſa Herbarum docet inſpectio, verumque PLINIUM dixiſſe in-

fallibile exiſtit argumentum. Demonſtratio enim eſt; ut ipſa Plinii verba id dicentis docent, quod idem ſcilicet *Oxylapathon* ſativo eſt ſimilius, nempe ad *Oxalim* reſpiciendo proximum locum ſativo obtinentem : ſimpliciter alioqui *Oxylapathon* & *Lapathum ſativum* inſpiciendo, facile inter ea diſſimilitudinem inveneris: Neque enim *Sativi* ita acuta ac parva, ut *Oxylapathi*, folia ſunt. Hoc in paluſtribus creſcit. Illud Hortenſe eſt. Hoc minus eſt radici. Illud aliquando radices poſſidet tricubitates. Adde huc quæ in OXYLAPATHI deſcriptione à DIOSCORIDE omiſſa PLINIUS ponit: Quorum intuitu accuratius noviſſe, ac *Oxylapathum*, quàm *Dioſcoridem*, deſcripſiſſe *Plinium* quivis deprehenderit: Sic enim de *Oxylapatho* PLINIUS effatur. *Acutiora habet folia, ac rubriora.* Ultimum hoc DIOSCORIDES non habet, qui pro eo, *dura habens extrema*, poſuiſſe videtur.

Quæ inter Lapathum & Oxylapathum differentiâ.

Dioſcorides taxatur.

Quæ ſi vera ſunt DIOSCORIDIS verba, malè meo judicio OXYLAPATHON deſcripſit: PLINIUM enim ſequi mallem, folia rubriora eſſe dicentem, ſcilicet ut ego percipio, in venis, extremitatibus, aliisve locis: Atque ita ſe res habet. Hoc enim illud LAPATHI genus eſt, quod humida & paluſtria loca diligit, ac ſuâ à rubedine SANGUIS vulgò DRACONIS HERBA appellatur.

Ignorantia Matthioli de Lapatho ſanguineo.

Hoc *Matthiolus*, & quotquot hunc ſecuti ſunt, omnes Herbarii hactenus ignorarunt. Paulò majus Acetoſâ creſcit, ut ſit medium inter OXALIM & SATIVUM LAPATHUM, cæteraque quàm *Oxalis*, ſativo longè ſimilius. Sed nolo alieno præſertim inſtituto ad vivum reſecare omnia: ne in digreſſione quàm in propoſito themate diutius immorer. Sponte quidem vulgò in paluſtribus, aut humidis Hortorum in locis vireſcit, vocaturque *Draken-bloed*, vel Latinè à venis ſuis omnibus egregiè rubicundis LAPATHUM SANGUINEUM, *Lapathum Rubens*, vel, ut CAMERARIO placet, ERYTHROLAPATHUM. *Plinius* hujus ſylveſtris generis varias ſpecies, omneſque OXYLAPATHI nomine propemodum dictas inſinuare videtur. Sic enim inquit.

Joach. Camer. lib. 2. in Mar. c. 36. Erythrolapathum.

Eſt & alterum genus, ferè Oxylapathum vocant. Primum ſylveſtrium genus OXALIM poſuit. Nunc alterum genus addit; atque illud ferè, hoc eſt, non omninò; ſed interea, quæ in præcipuo

cipuo apud *Medicos* uſu poſt *Oxalim* recenſentur LAPATHA, *Oxylapathi* nomine comprehendi dicit: Quare *Oxylapathi* ſpecies non plures ponit PLINIUS, aliàs huc referri poſſe ſatis eſſe exiſtimans.

DIOSCORIDES verò tertium Sylveſtre parvum genus ponit, Plantagini proximum, humile, & molle. Illud ego *Oxylapatho* ſubjicio, hujuſque alteram ſpeciem duce Naturâ, formâ, atque virtute habeo hoc anno recens enatam: Humilius enim eſt ac mollius, quàm *Oxylapathum* prius, & Plantagini videlicet ſimile. Hoc MATTHIOLUS non pingit, neque deſcribit, quod ſummoperè miror. Negligens profecto in rebus obviis vulgaribus, paratu facilibus, communique uſui neceſſariis, & quàm ſunt externa conventioribus; in Peregrinis, ſumptuoſis, ac non adeò nobis utilibus valdè curioſus.

Lapathum vulgare minus.

Reprehenditur Matthiolus.

Hoc quamvis DIOSCORIDES rectè deſcribat; à nullo tamen hactenus depictum eſt; præſertim cum hujus uſus ſit maximus. Hoc vulgò adhuc FRISII noſtri *Lampatz*, corruptè pro *Lappatz* vocant. Hoc vero LAPATHUM in agro Friſiæ Groningenſi ante triennium inveni, maximè quà itur in pagum *Ham* & *Scharmer* in foſſis Septentrionem verſus viæ illi junctis: Quamvis quoque poſtea non in foſſis ſolum, verum etiam humido-arenoſis in locis vireſcentem viderim. Sub hoc porrò illam ſpeciem, quam OXYLAPATHON pingit MATTHIOLUS, colloco.

Oxylapathum Matthioli.

Poſtea DIOSCORIDES Oxylapathon, Lapathum Sativum, tertium parvum, & Oxalim poſuit, ſubjecitque eorum facultates. *Crudi*, inquit, *Rumicis illitu melicerides, roſaceo aut Croco adjecto diſcutiuntur. Sylveſtris*, ſcilicet parvi dicti, *& Oxylapathi, & Oxalidis ſemen ex aquâ, aut vino utiliter bibitur contra Dyſenterias, & Cœliacorum affectus, ſtomachi faſtidia, ac Scorpionum ictus. Quod ſi quis in potu præſumat, nihil moleſti ex ictu patietur. Radices ex aceto coctæ, aut crudæ illitæ Lepras, Impetigines & Scabroſos ungues perſanant: Sed antea locus aceto & nitro in Sole perfricandus eſt. Pruritus corporis decoctum earum ſedat, ſi foveatur, aut in ſoliis Balnearum confricetur. Coctæ in vino & inſtillatæ aurium, dentiumque dolorem mulcent, Strumas, Parotidasque diſcutiunt, lienem cum aceto extenuant. Aliqui amoliendis ſtrumis radicum geſtamine utuntur, eas collo appendentes. Tritæ & admotæ fœminarum proſluvia ſiſtunt, cum vino autem potæ regio morbo me-*

 dentur,

dentur, calculos vesicæ comminuunt, menses cient, & Scorpionum ictibus auxiliantur. Verum enim verò justiore experientiarum temperie singulorum RUMICUM effectus PLINIUS ponit. Itaque ad hunc recurrere placet.

Hydrolapathum.

Sunt qui Hydrolapathum tradunt in Aquis natum. Hoc quale sit non docet ANDREAS MATTHIOLUS, nec ejus meminit DIOSCORIDES, neque, nisi me fallat memoria, CLAUDIUS GALENUS. Nihilominus tamen notum est, ut quod ampliſſimis foliis *Hyppolapatho* interdum majoribus in Aquis crescente, in fossis aquosis, nec non ad rivulos quoque, *Hyppolapatho* aliàs ferè simile, nisi quod subinde majus sit, latiora quoque folia, & in medio in planum explicata, indeque in acutum tendentia habens; cujus caulis matureſcendo rubescit. Necdum didici, ut verum dicam, quo nomine proprio hoc FRISII nostri nuncupent, quoniam infrequenter illud in *Frisia* nostra viresens conspicitur. Verum nunc ad PLINII reliqua tempus me vocat.

Hydrolathum sylvestræ.

Est & aliud Hyppolapathum, sativo majus, candidiusque, ac spissius. Palam autem est rubrum quodammodo esse sativum, ut de eo supra dixi; quoniam dicit, HYPPOLAPATHUM hoc *Sativo* esse candidius. Interea tamen hoc *Hyppolapathum* non caule rubescente, flavâ radice, aut ad rubrum alibi tendente, viridibus foliis rubri aliquid subinde inspersum habentibus, neque etiam rubescente semine carere videmus. Candidus autem non foret, nisi minus rubedinis hoc *Hyppolapathum*, quam *Sativum* illud haberet, quod Monachorum RHABARBARUM vocari dixi. Idem tamen HYPPOLAPATHUM, quod *Album* sive *Magnum Sylvestre* voco, interdum plus, interdum verò minus rubedinis in se possidere conspicitur; nunc quoque candidius, ac majus, & spissius cernitur. Nam licet *Rhabarbarum* vulgare magnum quidèm sit, & ampliſſimâ radice: HYPPOLAPATHI tamen folia ferè majora sunt; Radices minores sed tumidiores. *Hoc Hyppolapathum olus est magnum*, inquit DIOSCORIDES, *in paludibus nascens; easdem habet vires, quas supra dicta Rumicis genera.*

Plin. lib. 2. cap. 141.

GALENUS libro Simplicium septimo sic loquitur, *Oxylapathum mistam habet vim: Nam simul cum eo, quod digerit, nonnihil quoque repercutit. Semen eorum manifestam etiam quandam obtinet astri-*

Gal. lib. simp. 7.

astrictionem, adeò ut Dysenterias, & Diarrheas sive profluvia sanet, maximè Oxylapathi.

Porrò Hyppolapathum quod in totum in paludibus provenit, easdem dictas facultates obtinet, sed imbecilliores.

MATTHIOLUS de Hyppolapatho à GALENO & DIOSCORIDE dissentire videtur.

Sic enim inquit, *quod illud non solum in palustribus provenire videmus, sed etiam in Montibus, iis præsertim in Locis, ubi pecudes diutius stabulari solent, ubi eorum fimo pingue scit solum, illi Plantæ omninò respondens, quæ sub Rhabarbari Nomenclaturâ passim hodie hortis & viridariis inseritur.* Hactenus ille. Quæ cum sedulò inspicio, MATTHIOLUM, aliàs Virum Egregium ac Doctum, hic tamen non parum esse hallucinatum, atque paucis verbis quater ni fallor in Charybdim impegisse animadverto. Matthiolus de quadruplici errore accusatur.

Dum enim illud HYPPOLAPATHUM in Montibus provenire me Hercule interpretatur. Primò quod *Plantam*, quæ *Rhabarbari* Nomenclaturâ passim in Hortis vulgaris exstat, LAPATHI speciem esse ignorat, quin imo ut supra abundè ostendi, ipsam SATIVUM esse LAPATHUM: Mirum tamen est ipsum eam noviss e, ac *Hyppolapatho* similem prædicasse, & *Montense Lapathum* esse *Hyppolapathum* putasse, quùm sit ab eò planè diversum.

Quâ de causâ, verum HYPPOLAPATHUM eum non cognovisse, haud malè argui potest. Nam quod ipse pingit, vel cujus figuram exhibet, illud Plinii BULAPATHON erit: Aut quidem *Hippolapatho* simile, verum radicis altitudine & foliorum quoque magnitudine differre, verum est. HYPPOLAPATHUM autem in paludibus æquè quàm siccis provenire, palam est. Bulapathum.

Sed sic obiter notandum, Nobilissimum CLAUDIUM SALMASIUM in doctissimis suis exercitationibus Plinianis βυλάπαθον, idem quod *Majus Lapathum* denotari, litteris expressisse; quoniam, ut inquit, βοῦς in compositionibus apud GRÆCOS magnitudinem designare legitur.

Verum hic paucis tanti Viri pace dixerim, hanc Plantam βυλάπαθον, cujus cognitionem non habuisse creditur (quapropter ipsius etiamnum BRITANNICÆ, aliarumque Plantarum à PLINIO memoratum loca neglexisse deprehenditur, Cl. Salm. exercit. Plin. part. alt. fol. 1277.

henditur) non ſecus ac BOVINUM LAPATHUM olim dictum fuiſſe: βοῦς enim hic bovem indicat, inde à Græcis βύγλωσσον, Herba *Buglossum* vel *Lingua Bubula* dicta, & βυκερας, *herba ut bovis cornu inflexa &c.* Sic quoque βυλάπαθον appellatum, quoniam hujus Plantæ folia, bovinæ linguæ conſpiciuntur effigie, non tamen magnitudine ſimilia. Neque eſt Naturâ major, quemadmodum Doctiſſimus SALMASIUS arbitratus fuit; Verum re vera minor LAPATHI ſpecies, ut ex deſcriptione ſequenti clariſſimè conſtat.

Præterea intelligendum hic erit, omnia loca Paluſtria à FRISIIS noſtris vulgò *Mooren*, *Moraſſen*, aut *Veenen* vocari, & loca paluſtria ſunt etiam alibi Montium radics, ut in Helvetia inter *Walenſtad* & *Raperswilam*: Alibi ad Maria, ut circa Terracinam in Italia, & in Friſiâ noſtrâ, nec non omni CIMBRICO & VENEDICO Scytiam verſus tractu. His in paludibus, locisque etiam paluſtrem naturam habentibus ſiccis, quemadmodum in pago, qui dicitur vulgo *Sidburen*, *Slochteren*, *Weſterbroek*, *Engelbert*, locisque vicinis, ac extra vallum in locis paludoſis, paluſtribusve GRONINGÆ abundè hoc *Hyppolapathum* protuberat *Sylveſtre* dictum.

Rhoritter, Rhoridder, Schorfloof. Rit, Rut &c,

Illud autem vulgò *Gemeen Rharitter* ſive *Rhoritter* aut *Rhoridder* ab omnibus dicitur, vel etiam *Schorfloof*, aut *Schorflos*. Qui verò noverit, quid *Rha* & *Rit*, aut *Rut*, tum etiam quid *Kren* ſignificat, is hoc nomen tanquam novum non admirabitur, verum ut Divinum ſuſpiciet. Sciet etiam quod *Rha Ponticum*, & quid *Rha barbarum*, vel aliàs *Rhenum* dictum. Verum hic dictionum Etymologias non tradimus, de quibus aliàs.

Quod autem *Schorfloof* dicitur, manifeſtum eſt ab effectu impreſſum, Etymonque familiare Scabiei curandæ, Erſypelati, Igni ſacro, Exanthematibus, Papulis, Puſtulis, Impetigini, &c. Sola namque nuda folia impoſita tales curant affectus, ſuccus quoque inunctus, Lepræ, nec non pruritui medetur.

Hujus *Hyppolapathi*, ut & reliquarum *Lapathi* ſpecierum, alibi major, alibi verò minor eſt forma. Quod pro ſoli ubertate, locique benignitate, vel contra his ut & aliis Herbis plerumque contingit, quæ alibi luxuriant, alibi grandeſcunt, alibi verò contabeſcunt, ac pereunt.

Hic quidem lubens ſubſtiterem, niſii illud mihi in mentem veniret,

veniret, quod *Dracunculum* Lapathi foliis sativi scilicet depingit DIOSCORIDES, itemque PLINIUS scribit, quod *inter Bulbi genera sit, quodque in Ægypto Aron vocant, Scyllæ proximum amplitudine, foliis* LAPATHI, *caule recto, duûm cubitorum, baculi crassitudine, radice mollioris naturæ, quæ edatur & cruda.* Dioscor. cap. de Dracunculo majori. Plin. l. 19. cap. 5.

At nunc qui verum illum à DIOSCORIDE descriptum *Dracunculum* vidit, & folia illa cum Herbæ foliis, quæ vulgò *Monachorum Rhabarbarum* perhibetur, contulerit, is ferè simillima inveniet.

Verum enim verò ne pluribus immorari me velle videar, posteaquam reliqua PLINII verba nullam Herbarum dictarum causâ ampliorem requirant expositionem, compendio in Tabulâ hic omnem *Lapathi* materiam constringendo depingam.

- RUMEX, sive LAPATHUM.
  - Hortense.
    - Sive Sativum Rotundifolium Amplissimum flore albo. Vel Rhabarbaram verum Rotundifolium, sive Hyppolapathum Rotundum. Aut Rheum Antiquorum.
    - Fimbriatum Rotundifolium Hortense, sive Rhabarbarum Rotundifolium Fimbriatum,
    - Chinense Longifolium, sive Rhabarbarum Lanuginosum Vel verum Matthioli.
    - Sativum Antiquorum, vel Longifolium. Patientia. Rhabarbarum Monachorum, s. Hyppolapathum.
    - Virginianum, s. Britannica Americana.
    - Hortense, sive Spinachia, dictum semine Spinoso.
    - Hortense, s. Spinachia dictum semine non Spinoso.
    - Unctuosum, sive Bonus Henricus.
  - Sylvestre.
    - Longifolium Nigrum Palustre, sive Britannica Antiquorum vera. Vel Hydrolapathum Nigrum.
    - Vulgare Album folio subrotundo, sive Hyppolapathum sylvestre Album.
    - Vulgare Rubrum retuso folio, sive Hyppolapathum sylvestre Rubrum.
    - Oxylapathum.
      - Acutum.
      - Longifolium Crispum.
      - Sanguineum, sive sanguis Draconis Herba.
      - Planum Paludosum.
      - Vulgare Minus
      - Minus Dentatum,
      - Fibrosum, sive Bulapathum Plinii.
      - Tuberosum Americanum.
    - Oxalis, sive Acetosa.
      - Vulgaris, sive Rumex Canpferinus.
      - Minor Lanceolata.
      - Lanceolata Minima.
      - Romana Rotundifolia.
      - Hispanica Maxima.
      - Vesicaria Mexiocana.
      - Annua Ocimi-folia Lusitanica.
      - Annua Africana. Annua Italiaca.

Viginti ſeptem hoc modo LAPATHI ſpecies hac in Diſſertatione colliguntur, quarum omnium ad oculos meos hactenus pervenit notitio, quapropter illarum icones ad vivum delineatas, & per Libellum hunc paſſim ſparſas hic omnibus repræſento, atque earum omnium Hiſtoriam aut deſcriptionem ad hujus Diſſertationis calcem quàm accuratiſſimè exhibeo.

Neque ſanè inter eas ipſam BRITANNICAM, de quâ modo agimus, hic ponere erubeſcam, non quoniam à DIOSCORIDE & GALENO Lapatho ſimilis referatur; quod quomodo ſe habeat, infra Latius declarabo, poſtquam reliquorum AUTORUM teſtimonia de BRITANNICA ſcitu digna hiſce attexuero; Verum ut omnium eorum Natura ac diverſitas accuratiore examine ponderari, nec non à cæteris BRITANNICA ad commune commodum poſſit cognoſci.

CAPUT VI.

De BRITANNICA Autorum plurimorum teſtimonia & notæ. Sub quo nomine Aëtius BRITANNICAM poſuit. Quid de BRITANNICA Arabes. An Sylveſtre Lapathum. Piatamano Ruellii quid. An BRITANNICA ſit Betonica. An Cochlearia, &c, Oſcedo Marcelli quid. Briſtoris Herba quæ. An Conſolidæ ſpeciebus annumeranda BRITANNICA. *Myropolarum diligentia. Plurimorum de* BRITANNICA *inſcitia.*

OMnium LAPATHORUM differentias quibusdam hactenus ignotas, ac circa eas quorundam detectos nec non emendatos errores accuratè perſpeximus. Nunc autem ad Clariſſimorum AUTORUM de BRITANNICA judicium atque opiniones progredior, ut multa vera, ſæpè falſa & vana ab illis tradita cognoſcamus.

Cæterum, libro ſuo ſeptimo BRITANNICÆ memi-

nit

nit hoc modo Doctissimus PAULUS ÆGINETA. βρετλανίκη. συπλικῆς ἐξὶν ἡ κολλητικῆς δυνάμεως, ὁμοίως τῷ ἀγρίῳ λαπάθῳ τλῳ ἰδέαν. ὁ ὃ χυλὸς αὐτης τὰς ἐν σωματοπόψεις ἰᾶται. BRITANNICA, inquit, *astringit pariter ac conglutinat, sylvestri Rumici facie & figura similis, expressus ex illâ succus, oris putredinibus subsidio est.* Hæc ille Vir Eximius. Paul. Ægin. lib. 7. de re Mediâ.

ORIBASIUS autem SARDIANUS libro collectaneorum undecimo. *BRITANNICA*, inquit, *herba est, quæ Sylvestris Lapathi habet folia, sed nigriora & hispidiora, gustum astringentem: Caulem non magnum producit, radicem nigram. Succus foliis exprimitur, qui ad solem, vel ignem coquitur.* Oribas. lib. collect. 11. & 15.

Rursum libro collectaneorum decimo quinto idem facultates adjungit. *BRITANNICÆ folia adstringentia sunt, ejusque similiter succus astringit: Itaque coctum nonnulli reponunt, ut inter stomatica medicamenta efficacissimum, & quod ad putrescentia faciat.*

Porrò, AËTIUS AMIDANUS Antiochenus Medicæ rei Autor peritissimus, BRITANNICAM non omisit; nomen tametsi additum non habeat. Hic libro tomi primo hoc modo de *Rumice* scribit. Aëtius l. 1. Tom. 1.

RUMEX, inquit, *tanquam caloris particeps discutiendi vim habet, quâ renum calculos frangit. Ex aceto illitus scabiem & asperitates exterit.* Quæ Vir ille Maximus de RHABARBARO VERO ROTUNDIFOLIO dicto mihi dixisse videtur; utpote cujus illæ sunt facultates propriæ, & expertæ: Cujus hic iconem, cum aliis ad vivum delineatam exhibeo, quæque mihi revera, ATHANASIO KIRCHERO teste, *Rhabarbarum verum* est, ut in meâ Belgicè ante annos aliquot editâ *Plantarum Culturâ* palam scripsi. Inde hoc modo pergit. Athan. Kirch. Chin. Illust. fol. 185.

Rumex acidus miræ virtutis est. Nam præterquam quod discutit etiam repellit. Utriusque semen palam astringit: Ut dysenteriis & alvi profluviis conferat. Præstat tamen quod ab acido legitur. At hæc annotata sunt de Oxalide. Verum Rumex Magnus, quem Hyppolapathum vocant, in paludibus nascens iisdem facultatibus pollet sed imbecillius. Plura de HIPPOLAPATHO rem & verba à DIOSCORIDE mutatus non addit.

Porrò *Agrestis Rumicis (quem μαυλαπλῶ, hoc est Nigrum Rumicem vocant) radix in vino aut aceto decocta, dentes confirmat, aut eorum dolores sedat.*

Quorundam error.

Multi μελάν, aliqui verò prius adhuc μολὼ legunt. Sed illud jam reſtituiſſe ſatis ſit. Hæc verò *Rumicis* ſpecies, quæ nigra eſt, quæ dentes decocto vino confirmat, quæque dentium dolores compeſcit, & abſcindit, nulla planè alia eſt Herba, quam BRITANNICA.

Aëtii Rumex Niger, vera Britannica eſt.

Itaque Clariſſimus AËTIUS ſub *Nigri Rumicis* nomine BRITANNICAM intellexit: Ut cum bono DEO clarius infra patebit.

Avicen. lib. 2. ſect. 2. c. 10. & 120. ex Gerſ. Cremonenſis tranſlatione.

Nunc ad ARABES MEDICOS properat & animus meus, & Stylus. Inter illos autem exiſtimationis maximæ, Præclarus ille AVICENNA eſt, qui quaſi primus hæc de BRITANNICA prodidit; Teſte & fortè vero illius Interprete, Gentile de Fuligineo. Libri namque ſecundi ſectione ſecundâ & capite dècimo: Ex GERHARDI verò CREMONENSIS tranſlatione cap. centeſimo & viceſimo ſic. *Berlanibi, hoc eſt* BRITANNICA, *quid eſt? dicitur quod acor vel acro. Valdè folium aſſimilatur foliis ſylveſtris Acetoſæ. Verumtamen eſt vicinior nigredini, & groſſior. Operationes & proprietates quæ? Folia ſunt ſtyptica, vulnera & ulcera conſolidant, membra capitis curant, ſuccus ejus eſt res prætioſa, inæſtimabilis, ac optima. Succus ejus etiam res eſt optima ulceribus antiquis, maximè quæ in ore ſunt, & ad alkola. Verum hujus cauſâ oportet ut fiat* ROB, *hoc eſt ſuccus ex eo medicatus, qui peculiariter & valdè confortat.* Hinc infert Gentilis, quod BRITANNICA Acetoſa ſit Nigra; cujus ſuccedaneum ſemen ſylveſtrium Granatorum, vel Lapathum Rotundum eſſe poteſt.

Britannica Avicennæ Acetoſa Nigra.

ANDREAS verò BELLUNENSIS Doctiſſimus AVICENNÆ Interpres hoc modo ſuum nobis reddit. *Bretaniki eſt autem buſten abruzi, foliis Acetoſæ Sylveſtris, ſed nigredini viciniori-bus, & magis aſperis.*

Itaque perſpicuè ex PAULO ÆGINETA, ORIBASIO, AËTIO, & omnibus denique Arabibus BRITANNICAM *Lapatho Sylveſtri* ſimilem eſſe diſcimus.

Primo, quis tot Autoritatibus reſiſtere audebit? Tum quis triumphatrici veritati lubens non cedet? Proinde foliis *Rumici* ſimilem BRITANNICAM audacter aſſerimus: Sed cui? *Sylveſtri.* Et hic quæritur, qui ſit ille *Sylveſtris Rumex*, cui aſſimilatur? Reſpondeo, quod ſit *Sylveſtris Acetoſa* ab Arabum Interpretibus quidam verſa, verum GRÆCORUM & LATINORUM

NORUM OXYLAPATHUM, non OXALIS dicta. Huic igitur qualicunque *Oxylapathi* ſpeciei ita ſimilis eſt, ut Doctiſſimus AËTIUS eam NIGRUM RUMICEM vocare non dubitaverit: Et meo judicio quidem rectè, quoniam radix, qualis in BRITANNICA deſcribitur, revera nigra eſt: Herba etiam nigra, imo adhuc foliis *Oxalidis*, qualis BRITANNICÆ foliis, nec ulli alteri è *Lapathi* ſpeciebus ſimilis ineſſe ſolet nigredo, nigrior.

Quamobrem ex clariſſimi AËTII ſententiâ atque Autoritate BRITANNICA noſtra *Lapathi* ſpecies eſt *Sylveſtris*, ad *Sativum* & *Hyppolapathum* ſuâ magnitudine accedens, verum aliàs *Oxalidi* perſimilis, niſi quod folia, teſte PLINIO, oblonga ſint, hoc eſt, *Oxalide* longiora. Britannica ſylveſtris Lapathi ſpecies.

Hactenus quas apud VETERES, nec non fide dignos ARABES BRITANNICÆ deſcriptiones inveni, expoſui. Nunc verò, ut ad probatos RECENTIORES tranſeam, tempus me vocat.

Ad hos igitur ſtylum meum alacriter convertam, ut depaſcendo tandem, quæ ipſi de BRITANNICA commentati ſunt, veram BRITANNICAM cognoſcamus: Et ut, hoc ſi fieri poſſit, quarundam pariter herbarum facultates, quæ utique cognitu utiliſſimæ & perneceſſariæ ſunt, enucleatè tradamus.

Hactenus nemo ex omnibus eſt, de quorum ſtudiis & elucubrationibus honorificè præfatus ſum, qui BRITANNICÆ tanquam bonæ DEÆ ſacra arcana orbi revelavit: Id quod omnium pace dixerim, illos in re tam obſcurâ expeditâ voluntate etiamſi deficiat facultas, excuſationem mereri, & incertus rerum humanarum caſus ingeniis ignoſcendo favere.

Nolim itaque ut LECTOR hic offendatur BENEVOLUS, ſi attentus, diſſentientes, & pugnantes inter ſe ſententias, multumque à veritate diviantes BRITANNICÆ deſcriptiones, reperiat: Humanæ namque ſortis venit habenda ratio, in quâ bona ſemper voluntas laudem, pacemque expoſcit.

Itaque JOANNES RUELLIUS Sueſſionènſis, haud ſanè indoctus Simplicium Scriptor cognitam ſibi eſſe BRITANNICAM, paſſimque in Italiâ *Piatamano* vocari quidem aſſerit, verum neque verbis neque ullâ figurâ deſcribit, nomine tenus indicaſſe ſatis eſſe putans: Quod nec in Italiâ audire nemo Ruel. lib. 3. cap. 77. Piatamano.

unquam potuit, vulgatumque non existimo, nec eo sub nomine ullam plane Herbam cognoscere par fui: Neque ullus est Herbarum Studiosus, qui hoc nomen, nominisve Herbam agnoscit, aut exponit; quemadmodum Petrus Andreas Matthiolus Senensis apertè fatetur.

Matth. l. 4. cap. 2.

Gualterus Riff.

GUALTERUS RIFFIUS Argentoratensis Medicus sedulus Herbarum Investigator, quamvis contrarium de eo multis visum est, attamen veri studiosus suis in annotatiunculis in DIOSCORIDEM in folio Francofurti Anno 1549. impressis RUELLIO subscribit, additque ultimò, BRITANNICÆ radicem vescam esse, alioque nomine *Bistortam* vocari.

Euritius Cordus.

EURITIUS CORDUS Simesusius, natione Germanus ac Valerii parens, diligens certè suo in Botanalogico, Coloniæ Anno 1534. in octavo impresso, Medicus, *Bistortam* veram esse BRITANNICAM, docere nititur.

Joann. Agricola fol. 56.

Idem Doctissimus JOANNES AGRICOLA Ammonius feciisse deprehenditur, ut suo in vulgari Herbario superiori seculo Basileæ excuso perspicuè legitur.

Amat. l. 4. enarrat. 2.

AMATUS LUSITANUS Vir Eruditus, qui egregiè rem Herbariam suis laboribus illustravit, suis in Discoridem Commentariis æquo audacius EURITIO CORDO suffragatur, ejusque sententiam voluntariè amplectitur.

Fuchsii sententia de Britannica. cap. mihi 297. de Serpentariis.

LEONARDUS FUCHSIUS, cui in rei Herbariæ restitutione Palmam haud pauci ex Recentioribus tribuunt, in suâ de Stripibus Historiâ Latinâ, Lugduni Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo typis excusâ, etiam *Bistortam* esse Veterum BRITANNICAM ostendit.

„ Serpentariæ vel Colubrinæ, inquit, quæ & Bistorta voca-
„ tur, radices vulnera glutinant, fœtum in utero retinent, vo-
„ mitum biliosum reprimunt, & dysenterias sanant. Hæc Antiquus habet Herbarius.

„ Nostræ ætatis Medici aliorum errata impudenter sectan-
„ tes utriusque radices ad ea exhibent, quibus Pedacius Dios-
„ corides & Claudius Galenus Dracuntium tribuunt, quod
„ acre admodum est laxans, cum illa sit adstringens. Ut igitur
„ errorem hunc deserant, subinde Medicos & Seplasiarios ad-
„ hortor, nisi magis perdere, quàm sanare in delitiis habeant;
„ sciantque suas serpentarias non aliam quàm BRITANNI-
CAM

„CAM habere facultatem, aſtringendi nimirūm, privatim ad „ea, quæ in ore ſunt & tonſillis depaſcentia ulcera, & ad omnia „alia, quibus aſtrictione opus eſt. Folia ejus in farinam trita „labiles dentes confirmant, Hæc ille.

Verum longè majorem hic aſtrictionem FUCHSIUS Serpentariis attribuit, quàm revera habent: Nullo enim pacto tam intensè, ut BRITANNICA, aſtringunt.

Unde contra opinionem Clariſſimi FUCHSII *Biſtorta* non poteſt eſſe BRITANNICA: Neque enim Fuchſius ea oris vitia novit, quæ in Stomacacce naſcuntur, in quorum curatione fortiſſimè adſtringentibus ad evicendam humidiſſimam & maximè ſanioſam putredinem opus eſt; quæque gravi fœtore non caret. Fuchſii error.

PETRUS porrò ANDREAS MATTHIOLUS Senenſis ſanè non contemnendus Scriptor de BRITANNICA hæc ſcriptis reliquit. „Cæterum non deſunt, inquit, qui BRI- „TANNICAM eſſe cenſent, quam Herbariorum vulgus „Biſtortam vocant. Inter hos AMATUS LUSITANUS, „qui meâ ſententiâ fallitur. Nam licet folio Lapathi nigriore, „non viſitur tamen piloſiore, ſed glabriore, lævioreque fibris „intercurſantibus rubris, & à Terrâ quadantenus cœſio, radice „ferè brachiali, pollicari ſæpius craſſitudine, & coloris in ni- „grum rufeſcentis, cujus uſus, foliorum nullus. Hæc omnia „in BRITANNICA deſiderantur maximè. Nam hæc „folia habet Rumicis quidem ſed nigriora, & piloſiora; quo- „rum uſus eſt, ut & ſuccus eis exprimitur. Radice eſt tenui, „brevi, & nigrâ, cujus uſum eſſe ullum negat DIOSCORIDES. „Sanè videtur etiam *Leonardus Fuchſius* ſuſpicari Biſtortam eſſe „BRITANNICAM, quùm eaſdem vires utriuſque re- „tulerit. Matth. lib. 4. cap. 2. Matthioli de Britanna opinio.

„Ad hæc ſunt alii, qui Tormentillam officinis vocatam Her- „bam Biſtortæ etiam generi aſſcribant, quod non facie ſèd viri- „bus illi reſpondeat.

Cæteris MATTHIOLI verbis ſuperſedeo, ne multa nimis nugamenta effundere me velle videar.

Interim tamen Viri illius Nobiliſſimi JOACHIMI CAMERARII ſagacitatem hic juſto præconio condecorare cogor, qui, licet Matthiolum Germanico idiomate conſcriptum edi- Joachimus Camerarius citatur.

ediderit, nullibi tamen BRITANNICÆ extitit memor, eam verò dubio procul, ut Herbam in rerum Natura non amplius extantem, aut *Recentioribus*, sibiquè planè ignotam, vel illis omninò dubiam silentio præterire voluit; Matthiolo de eâ pluribus differente.

Matthiolus culpatur.

Verum LECTOR attentus facilè intelligit, in his tam paucis graviter errare MATTHIOLUM: Primò, dum affirmat, DIOSCORIDEM negare ullum radicis BRITANNICÆ in pharmacis usum esse: Nusquam enim hoc DIOSCORIDES scripsit. Imo si Matthiolus APULEJUM PLATONICUM legisset, facilè utique aliter sensisset, nec DIOSCORIDI falsum impegisset: Ex Aëtio Viro egregio saltem *Lapathi Nigri* hoc est BRITANNICÆ usum didicisset: Tum quod *Bistortæ* folià nullum habere usum asserit, contra quam *Leonardus Fuchsius* de eâ prodidit, cùm maximè quotidiana experientia pro Fuchsio stat.

Apul. lib. lib. de Herbarum medicaminibus.

Rursus laudatur Matthiolus.

Verum eo nomine laudandus mihi MATTHIOLUS est, eos quoniam refutat, qui *Heptaphyllum*, *Bistortam*, aut *Tormentillam* dictam BRITANNICAM esse putaverunt: Atque hoc me fasce levavit: Stylum certè elegantem describendis Plantis applicuit.

Johann. Ammonius taxatur.

JOHANNES ille AMMONIUS Ingelstadiensis, Vir rei Medici, nec non sacræ Antiquititatis peritissimus in suis de Herbis Græcorum Commentariis, ni fallor, eandem cum CORDO, FUCHSIO, & AMATO LUSITANO sententiam refert, verum dum suam retinet, nec certiorem adfert, illis quoque à me annumerandus censebitur.

Tragus lib. 1. cap. 65. & 66.

Insignis verò Medici HIERONYMI TRAGI Autoritate non parum moveor, qui in suo de Herbis libro arroganter gloriatur, se omnium primum BRITANNICAM veram ostendisse.

Postea etiam *Herba*, inquit, *Divi Petri, Germanis Himmelschlussel, ad Necharum, & propæ oppidum Halprun vocatur Betonica alba, vulgo Weis Bethonien, Officinis Herba Paralyseos, Otthoni Bronsfelsio Margareta pratensis dicitur.* His illis verbis id obiter addam.

HERMOLAUS BARBARUS nonnulla edidit Corollaria, quæ RUDOLPHI AGRICOLÆ Frisii sui quondam anagnostæ industriâ conscripsit, quâ de causa Epitaphiumhonori-

norificum illius manibus compoſuit, quod exſtat, quodque debito amicitiæ benificio, ac ſuum erga conterraneum pietate Clariſſimus ac Nobiliſſimus Vir VIGLIUS ZUICHEMUS *ab Aita* Heidelbergæ, ubi obiit, ſummâ cum laude ad æternam poſteritatis memoriam illius ſepulchro incidi curavit : Nunc fieri TRAGUS dicit, *quod Hermolaus Barbarus iis in Corollariis Margaritam Bellim Plinii vocat, atque eam veram eſſe Bellim divinat: Quamvis Laurentius Friſius Primulam Veris appellat.*

Hæc tamen, inquit TRAGUS, *ea proculdubio eſt Herba, quæ à* DIOSCORIDE *BRITANNICA nuncupatur, aut nulla earum omnino eſt, quæ ab illo ſit deſcripta* BRITANNICA. Hactenus ille, qui Primulam Veris BRITANNICAM eſſe credidit. Nam omnia hic TRAGI hâc de re ex variis editionibus proferre verba, nimis prolixum foret : Quum nihil minus ſit verum, ut infra latius palam fiet. Tragus quid de Britannica ſentiat.

Nunc ſequitur omni ſcientiarum genera exornatus CONRADUS GESNERUS Tugurinus, qui ſuo in Herbario BRITANNICAM, ſed meâ ſententiâ malè Vetonicam eſſe cum Medico Antiquiſſimo & Egregio ANTONIO MUSA ex Hieronymi Tragi ſententia, (qui nomina Græca univerſa à Muſa libro de VETONICA, Vetonicæ adſcripta BRITANNICÆ tribuit) improvidè opinatus fuit. Contra tamen libro de Germaniæ Hortorum Stirpibus ſibi diffidens, cum Cochlearia, DIODONÆI verba in medium proferens, BRITANNICAM inconſultè confundit. Geſner. hiſt. Plant. folia mihi 41. & lib. de ſtirpib. hortor. German Antonius Muſa Imperat. Auguſti Medicus à Trago citatur: ſed quam rectè, videat ipſe.

Poſt hos Eximius ille Medicus Dominus REMBERTUS DODONÆUS Stavora-Friſius Herbarum cognitione, ſcientiâque Matheſios nulli non ſecundus, qui, migratis è vitâ Parentibus, Patriæ ſedes relinquens, Mechliniæ (ubi matre propinquorum gratiâ hærente gravidâ, primas mundi oras ingreſſus) praxim medicam fæliciter olim exercuit, gloriæ theatro ſeſiſtit. Is in primâ magni ſui Herbarii editione plurima recenſet *Betonicæ* nomina, & inter ea quoque BRITANNICAM collocat: Quâ quidem in re optimè excuſari poteſt: Sequutus enim Græca DIOSCORIDIS exemplaria videtur, quæ ſelectiſſima habentur, in quibus poſt Betonicam caput de BRITANNICA ponitur: Atque inde rurſus de Betonicâ fit mentio, tanquam BRITANNICA Betonicæ ſpe- Lib. 2. cap. 20. Error Dodonæi.

cies, & Betonica BRITANNICA vocatur. Sic Betonicæ varia nomina, quæ apud nonnullos Autores obvia ſunt, ponit REMBERTUS DODONÆUS. Neque enim illius eſt nominum cenſorem agere, aut de Etymologiis diſputare: Quippe hoc Grammaticis & præſertim Criticis relinquendum eſt. Deprehenſum autem poſtea eſt, illud poſt BRITANNICAM de *Betonicâ* caput ſuppoſitium atque adulterinum eſſe: ut rectè aſſerit Andreas Matthiolus: Ideoque Dodonæus in tertiâ ſive poſtremâ de Herbis Commentariorum editione Antwerpianâ illud nomen prudentur omittit.

Laudatur Matthiolus.

Dodonæ. parte 4. cap. 16. editione 2. Leidenſi ann. 1608. excuſa.

Verum in *Cochleariæ* diſcriptione, quam prius *Telephium Veterum* eſſe affirmaverat, quorundam magnæ potiùs Famæ, quàm ſcientiæ Medicorum opiniones ſequutus, ſuam rurſus opinionem mutat; eamque à quibuſdam quidem pro *Telephio* haberi, interea tamen PLINII BRITANNICAM videri dicit. Ut cujus decoctum ex aquâ ſuperfluis humoribus, putridiſque oris ulceribus collutione adverſetur, præclariſſimum quoque medicamentum privatim contra Stomacaccen exiſtit: Verba namque illius hæc ſunt.

Oſedo Marcelli quid.

„ Het is een ſonderlinge Medicijne tegen de Schorbuik, dat „ van PLINIUS Stomacacce, ende van den ouden MARCELLUS Oſedo genaamt is.

„ Quia, inquit, ferè in Friſia & Hollandia uſus ejus magno „ ſucceſſu contra ea mala hodie receptus probatur. Hactenus ille, experientiam communem ſequutus, quæ infallibilis viâ vulgo diſcendi atque docendi habetur, juxta illud ἀγαθὴ διδασκαλία ἡ πεῖρα, optimus magiſter experientia.

„ Angli verò maritimis commerciis dediti, & nautæ potiſſimum Stomacace affliguntur, ſive id fit Ceruiſiæ potu ex paluſtribus aquis coctæ, ſive ex Aëris putredine, cœlique nebulis, aut vaporibus, hujus noſtri Inſtituti explicare non eſt: Varia namque in utramque partem argumenta ſunt. Illud itaque nonnulli mihi retulerunt, nullum contra id mali genus præſentius exhiberi poſſe remèdium, quàm quod ex Cochleariis paratur. Idcirco Cochleariam Schorbeygras vocant: Hæc mihi certè Doctiſſimi Angli atque ſpectatiſſimæ fidei homines narrarunt: Etſi Herbam hanc in Friſia noſtra aliisque locis plurimis Lepel-kruid ſive Lepel-blad à foliorum ſimi-

Lapathum Hortense.

„ similitudine vocent: Illo tamen remedio magnam scio mul-
„ tos in morbo Scelotyrbico ac Stomacacico utilitatem perce-
„ pisse: Decoctum namque ex lacte, vel lactis sero præbetur.
„ Equidem ejus usum ex vino aliis exhibitionis modis longè
„ anteponerem. Ita Eximius Medicus REMBERTUS DODONÆUS optimè profecto de re Herbariâ meritus *Cochlearian* non esse BRITANNICAM editione libri sui secundâ facilè declarat, tametsi à nonnullis pro BRITANNICA habeatur. Verum etiam editione eâdem ac postremâ, non *Behen Rubrum*, neque *Telephium*, aut *Limonium* esse expressè narrat.

Dodonæi de Britannica sententiia.

Porrò, protrahendos quoque in Lucem hoc loco æquum judico Viros de re Botanicâ benè meritos nec non in arte Medicâ exercitatissimos, PETRUM scilicet PENAM, & MATTHIAM LOBELIUM, qui libro Adversariorum folio centesimo & vigesimo de BRITANNICA agentes hæc Posteritati tradiderunt.

Pet. Pena; & Matth. Lob. de Stirp. Adversar. fol. 120.

„ Primum intuenti utramvis Bistortam, videntur illæ è Ru-
„ micum Sylvestrium familiâ, quare & de Dioscoridis folio-
„ rumque comparatione BRITANNICA judicata fuit.
„ Sed majoris multò commendationis Antiquorum Pliniique
„ elogio BRITANNICA olim fuit, quàm hodie sit ex-
„ ploratæ notitiæ. Factum quippè videtur negligentiusculâ
„ recensione, fortè & unâ immutatâ voculâ, aut sanè labeculâ in
„ radice exprimendâ, quod usu venit nostra & avorum memo-
„ ria, ut quam perditam aut ignotam duceremus, usu tritam
„ quotidiano, nomine sub alio invulgatam familiarem admo-
„ dum habeamus.

„ Quare qui Bistortam nolunt, propter radicem λεπτὴν, id
„ est, tenuem memoratam, neque nihil penitus dicunt: Ne-
„ que tamen tantum incommodum adducunt, ut cum cætera
„ omnia exquisitè ei faveant tum figuræ, tum virium signa:
„ Cum ipsi nihil æquè commodum, nedum melius efferant, sit
„ illis illicò credendum: Totum quippe disceptationis mo-
„ mentum in radice vertitur: Alioqui Rumici agresti adeò est
„ similis facie, ut non pauci Rumicem dictitent. μελάνπεφ
„ ἢ δασύπεφ si vellicant, in Græculâ notione trita calligant:
„ Saturiora quippè & quasi purpura nigricante, ut in Violâ,

Eorum de Britannica opinio.

„quam μελαιναν vocant, Dioſcorides nempe, Martia eſſe folia
„interiora innuit δασύτερα non piloſiora, neque enim de pilo-
„ſis hic comparatio eſt, neque notio ea commoda hîc eſt, ſed
„rigidiora, hirta, & firmiora. βραχιαν, id eſt, brevem, ſanè vi-
„dere licet etiam cum Lapatho, aut minoribus collata. λεπτὴν,
„tenuem ſanè, ut non lubet, ita invitus dico, fortè quod veriſ-
„ſimum eſt: Aut illum minoris Biſtortæ radicem intellexiſſe,
„quæ non admodum craſſa eſt, aut quempiam amanuenſem,
„qui brevem radicem legiſſet, tenuem à craſſo mutaſſe παχὺ
„in λεπτὸν, nempe rei ignarus, ratus id aptius congruere,
„quia quæ ſunt breves radices ut plurimum ſunt tenues: Ta-
„metſi ipſis etiam Autoribns eadem excidere poſſunt errata le-
„viuſcula, humanæ Minervæ.

„Ut ut ſit, uſus & fructus Biſtortæ nequit extorqueri illis,
„quos viginti annos, eoque plus torſit BRITANNICÆ ſe-
„dula diſquiſitio: Qui ſciunt iiſdem planè viribus, & longè
„pluribus, quàm quot attribuerit Dioſcorides BRITANNI-
„CÆ, pollere. Quarum expenſio retinet nos in eâdem ſenten-
„tiâ eò lubentius, quod nullam planè videamus, quæ æquè
„congruat.

Hæc illi in differentiis atque Plantarum viribus inveſtigandis ſeduli aliàs & Viri valdè Docti, verum in hâc opinione fucatâ minùs exercitati, dum pro Veterum BRITANNICA ſpecies Biſtortæ univerſas, nec non eaſdem in iis virtutes, imo & majores agnoſcunt. Verum ſi hanc cum radice oculis unquam perſpexiſſent, vel ejus folia attente conſideraſſent, aut inſignes ejus facultates uſu comprobaſſent, lubenti animo ab omni Biſtortæ & effigie admodum diverſam, & qualitate multò efficaciorem exiſtere expanſis buccis publice protuliſſent.

Car. Cluſii error.

Præterea, ne quidem aſſequi poſſum cogitatione minimâ, Virum illum ſcientiſſimum CAROLUM CLUSIUM rei Herbariæ Peritiſſimum Libro ſuo rariorum Plantarum quarto capite quadrageſimo ſexto, cum cæteris errantem, ſuâ in opinione deceptum, pro BRITANNICA Biſtortam exclamaſſe.

Fab. Colum. aliquot hiſt. fol. 45.

In quâ ſententiâ & fallitur Nobiliſſimus FABIUS COLUMNA, quondam Parentis mei per Italiam peregrinantis, Romæ præſertim, atque Neapoli fautor ſingularis, ut patet ex ejus Plantarum Hiſtoriâ.

Quare

Quare veriſſime in DIOSCORIDEM ſcripſit inſignis Vir JANUS CORNARIUS Zuiccanienſi Medicus: *BRITANNICAM*, ſcilicet, *non Officinæ, nec Herbarii novêre, niſi quod quidem de Biſtortâ appellata conjectant.* Cornarius quid de Britannica.

Sed pàr erit, ut GUILJELMUM CAMBDENUM in Chrorographica deſcriptione BRITANNICÆ hunc in modum differentiam audiamus. Guiljel. Cambden. deſcript. Chorograph.

Infra Greenwicum, Tameſis divulſis aggeribus, quàm plurima Terræ jugera oppreſſit, quò cum annos compluſculos, nonnulli immenſis ſumptibus luctati vix molibus agendis, adjacéntes agros, contra irruentes undas tueri poſſunt. Provenit hic copiosè Cochlearia, noſtris Scuruygraſſe, quam Medicorum nonnulli PLINII *BRITANNICAM eſſe volunt, quo nomine ego illius jam memini.* Hæc ille.

Sed fallitur & hic, BRITANNICAM ſcilicet *Cochleariam* eſſè ſtolide exiſtimando.

Porro, HADRIANUS JUNIUS, Vir laude dignus, non ſolum in Nomenclatore ſuo capite viceſimo quinto BRITANNICÆ meminit, verum etiam in Bataviæ Hiſtoriâ hoc modo ſcribit. Hadrian. Jun. in Nomenclat. fol. 149. Item in Bataviæ Hiſt. c. 15.

„ Sed quid immoror in fecundiſſimi argumenti materiâ di-
„ ſertus, quin tranſitum paro ad peculiaria noſtræ regionis pro-
„ pria, BRITANNICAM Herbam, ob ſingulares virtutes
„ transplantari jam cœptam & veluti mangonio corrumpi cœ-
„ lumque mutare &c. Hollandiæ itaque peculiari dono Natu-
„ ra dedit proventum lætum BRITANNICÆ Herbæ, quam
„ præſentanei remedii vim præbere in profligandâ Scelotyrbe
„ & Stomacacce, vitiis STRABONE & PLINIO notis,
„ experiuntur cum incolis exteri quoque; quibus malis den-
„ tes labuntur, genuum compages ſolvitur, artus invalidi fiunt,
„ gingivæ putreſcunt, color genuinus ac vividus in facie diſpe-
„ rit, liveſcunt crura, ac in tumorem laxum abeunt, quam
„ Herbam confines Oceano Populos Britanniæ ex adverſo ſitæ
„ velut propinquæ dicaviſſe nominis originem, PLINIUS au-
„ tumat, lapſus (ni fallor) linguæ imperitiâ, quando Herbæ no-
„ men dediſſe Ceſpites videntur, quibus aggeres vallare adver-
„ ſus Maris impetum, atque munire MAJORES noſtri docue-
„ runt: In quibus copiosè nec alibi temere provenire ſolet,
„ quos patrio vocabulo Brittas nuncupamus, in quibus natali-

„ bus præſentiorem longè efficacioremque Herbæ ſuccique
„ potentiam quotidiana commonſtrat experientia. Vulgus
„ Rhizotomòrum & Herbariorum Cochleariam à ſpecie no-
„ minaſſe videtur, quod in foliis oblongis & nigricantibus ex-
„ tremitas in Cochlearis formam rotundetur. Huic à liberan-
„ dis malo dentibus, quaſi Vritandiæ nominis originem aſſerit
„ GOROPIUS noſter, fingendis Etymis dexterrimus. Hæc
ille.

Verum Viri hujus Egregii pace dictum volo, eum nempe in eodem cum prædictis omnibus errore verſari, *Cochleariam* BRITANNICAM eſſe, ſuamque à Brittis, quas Ceſpites ſtolidè vocat originem, traxiſſe Leviter ſtatuendo.

Cæterum in Etymologico Græco-Latino JOHANNES qſioqùe FUNGERUS hæc verba in medium adducens, hic audiendus erit.

Johan. Fungerus in Etymolog. Græc.-Latino.

„ BRITANNICA Herba, Germanis Inferioribus ſive
„ Belgis communi qorundam opinione Lepel-bladen (etſi
„ non pauci in controverſiam vocent) imprimis conducens ad
„ profligandam Scelotyrben & Stomacacen, trahere videtur o-
„ rigenem nominis ab Inſulâ Britanniæ, ex quâ in Hollandiam,
„ Zelandiam, Friſiam, & circumjacentia loca delata Lætum
„ proventum facit. Ita viſum multis Legentibus PLINII
„ veſtigia. Lapſus tamen hic, PLINIUS ſcilicet, Junio vide-
„ tur imperitiâ linguæ, qui propterea originem vocabuli de-
„ dicàt Ceſpitibus, quos patrio vocabulo Brittas vocant, &
„ quibus etiam aggerum moles vallant, adverſus impetum
„ Maris.

Hæc ille in Batavia Vir equidem doctus & naris, quod ajunt emunctæ.

„ Verum enim verò PLINIUM hic ſequi malo, quàm
„ JUNIUM, cum haud inſolens ſit Herbis à ſolo natali nomi-
„ na & cognomina imponi.

„ Tale Rha Ponticum, Abſinthium Ponticuu, Conyza Me-
„ dica, Celtica Nardus, Petroſelinum Macedonicum & Tha-
„ marindus Indicarum Palmularum fructus, ne quid amplius
„ addam in re certâ & omnibus notâ. Accedit quod nos Friſii,
„ quorum lingua haud multum diſcrepat ab eâ, quæ Batavis
„ vernacula eſt, non Ceſpites, aut Ceſpitum fruſta vocemus

Brie-

„ Brieten, aggereſque non iis, ſed prælongis & craſſioribus fru-
„ ſtis ligonum operâ detritis & Terræ ablatis (Soden noſtrates
„ vocant) muniamus. Ut Vir Magnus in aliquid novi commi-
„ niſcendo leviter hic ceſpitaſſe videatur mihi. Hæc ille.

Qui, quaſi uno ſaltu duos apros leviter cepiſſet, alterum jactando ſub recti ſpecie perſtringit, ipſe verò majoris ignorantiæ revera reus facili negotio cernitur: BRITANNICAM enim non ſolum *Cochleariam*, verum etiam ab Inſulâ Britanniâ denominatam, indeque in HOLLANDIAM primò delatam fuiſſe, audacter confirmat: Quod tamen contrarium inferiùs clarè ac perſpicuè ſatis docebitur.

Nec veriſimile eſt, ROMANOS Herbam in BELGIO primò, non verò in Britanniâ repertam, quæ ſui juris, nec eo tempore Populo Romano ſubjecta fuit, ut ſuis in PLINIUM caſtigationibus ſcribit HERMOLAUS, alienæ Gentis nomine quamvis confinis, appellare voluiſſe: Hoc enim ambitu Herbas quas invenêre ſuis adoptandi nominibus ſemper laboravit Antiquitas: Cur ergo hanc Britanniæ tribuerent, quam FRISIA Romanis demonſtravit? Quare & hic fumum qui nobis vendere conatur, fumo periat. Hermol. Barbar. fol. mihi 315.

Clariſſimus verò MATTHÆUS SYLVATICUS, de re Medicâ præclare meritus, de BRITANNICA capite centeſimo quarto *Pandectarum* opere admodum ſcitè hunc in modum ſcripſit: Matth. Sylvat. cap. 104.

BRITANNICA Herba eſt, folia habens Lapathio Agreſti ſimilia, ſed paulo nigriora, lanoſa, guſtu ſtiptica. Haſtam verò habet longam, radicem parvam & tenuem. Folia ejus exiccantur. Succus ejus collectus in ſole ponitur & ſiccatur, eſt illi virtus ſtiptica. Ejus ſuccus in ſole ſiccatus vulneribus prodeſt vel cancris oris & faucium cum vino, & his qui ptiſim incurrunt. Quidam Lapathum eſſe acutum dictum. Hæc ille.

Porro in ſanitatis Hortulo. qui vulgò ARNOLDO de VILLA NOVA magno ſanè Medico aſcribitur, ſit etiam admodum elegans BRITTANNICÆ mentio: Quisnam ſit AUTOR, non multum laboro, ſic enim BRITANNICAM deſcribit. Sanit. Hortul. Arnoldo de Villanova adſcript. Tractatu de Herbis cap. 76.

BRITANNICA eſt, inquit, *Herba folia habens Lapatho Agreſti ſimilia, paulo tamen nigriora, guſtu ſtyptica. Haſtam habet longam, radicem non parvam nec tenuem. Folia ejus exiccantur: Succus ejus colle-*

collectus in ſole ponitur, ut ſiccetur: Styptica virtutis eſt: Prodeſt vulneribus: Oris cancris, & faucium cum vino, iisque qui Pthiſim incurrunt; quidam dicunt quod Lapathum ſit acutum. Hactenus ille.

Verum in eodem adhuc libro legitur, BRIO hoc eſt BRITANNICA: Et hujus tamen nomine Herba, quæ vel *Lepidium* vel *Draba* dubio procul eſt, deſcribitur. Quod propterea fieri credo, quia ab effectu (quem eundem cum verâ BRITANNICA, aut conſimili habet) nomen ſæpiſſimè ac aptiſſimè Herbis imprimitur: Sin ab effectu, jam ut dixi *Cochleariam* ab Anglis vocari *Schorbygras*. Neque verò diſſimilis eſt facultatis *Lepidium*, *Cochlearia*, *Draba*, *Iberis*, *Thlaſpi*, & *Commune Naſturtium*; quæ propter manifeſtum calorem vitioſa incidunt, valdè humida, & marcida digerunt, propter acredinem, vel ſalſedinem putredini reſiſtunt, abſterguntque, nec non infarcta expurgant. Unde his Scelotyrbicis malis nonnunquam utiliter remedio ſunt.

Poſtea in eodem Libro alia Herba *Briſtoris* vocatur, quodque BRITANNICA ſit, dicitur; quæ etiam ab effectu denominatio recta eſt, ſed malè res accipitur; Credo etiam ſcriptum ſcriptum fuiſſe *Briſt*; & poſtea, oris vitia ſanat: Inde Imperitiores *Briſt* & *oris* junxerunt, feceruntque *Briſtoris*: Interea *Briſt* & BRITANNICA hæc oris ulcera ſanare dicitur: Interim ſub *Briſtoris* nomine aliquam *Conſolidæ* ſpeciem deſcribi multi autumant, quæ plurimum vulſis, ruptis, fractis, ulceratis, putridiſque, nec non ſimilibus prodeſt: Quùm propter inſignes rupta, vulſa, ac ulcerata ſanandi facultates ipſa BRITANNICA merito *Conſolidæ* nominibus condecorari poſſit. Verum de his ſatis.

Britannica conſolidæ ſpeciebus annumeranda.

Præterea non contemnendæ Doctiſſimi Medici JOANNIS WIERI Lucubrationes Salivam adeò mihi movent, ut pauca ex iis huc transferre cogar, quibus ſententiam ſuam declarat.

Wierus æſtimatur.

Iam verò, inquit, *neque Cochleariam eſſe eandem cum* PLINII BRITANNICA *Plantam, ut nonnullis placet, hinc præter cætera demonſtratur, quod ſit altera à* DIOSCORIDIS *BRITANNICA, quæ ſylveſtris Lapathi ſortitur folia, ſed nigriora, piloſiora, & guſtu aſtringentia. Cochlearia autem rotunda, viridiora, Aſaro ſimilia, lævia, minimè hirſuta, ut nec ullo modo aſtringentia. Urinam etenim promovet; proinde etiam Anginæ nullatenus conducit, veluti illa, ut* PLINIUS *vult.*

vult. BRITANNICA *item habet caulem, Cochlearia verò pediculos cum ſingulis foliis ab unâ radice multos, quæ etiam hic ad Spithami longitudinem tendit, illius brevis eſt.* Hæc ille.

Ex quibus Virum hunc Clariſſimum BRITANNICAM non cognoviſſe ſatis abundè patet. Profert enim, *Cochleariæ* radicem ad Spithami longitudinem tendere, BRITANNICÆ verò brevem eſſe. Verum hanc Doctiſſimi WIERI hallucinationem, quæ mox ſequetur, vera BRITANNICÆ noſtræ demonſtratio facilè coarguet.

Huic merito JACOBUM DALECHAMPIUM æquipa- Jacob. Dalechamp. lib. hiſtor. Plantar. 9. cap. 66.
parari poſſe ſtatuo, qui libro Hiſtoriæ Plantarum, nono capite verò ſexageſimo ſexto ineptam planè BRITANNICÆ loco Plantam omnium oculis exhibet, atque in deſcriptione *radicem fibroſam, plurimos caules, valde nodoſos, ac ad unius tantummodo pedis altitudinem aſcendentes; folia verò longa, anguſta, & hirſuta, nec non Flores planè luteos, Calendulæ perſimiles, tandemque per Aëre evolantes* BRITANNICAM proferre narrat.

Hunc in omnibus imprudenter ſequutus GUILIELMUS Guiliel. Rouillius lib. hiſt. Plantar. nono.
ROUILLIUS Vir aliàs laude dignus eandem libro ſuo Hiſtoriæ Plantarum nono BRITANNICÆ figuram omnibus proponens, eandemque legitimam eſſe ac veram Dalechampii BRITANNICAM, ante Victoriam plenis buccis Triumphum canens, tutè contendit. Verum Viros hoſce Doctiſſimos aliás, nunquam tamen BRITANNICAM veram aut vidiſſe, vel cognoviſſe ipſa ſequens BRITANNICÆ oſtendet deſcriptio.

Sed venio tandem ad obſcurorum MEDICORUM opinio- Error multorum de Britannica
nes, inter quos hodie non pauci ſunt, qui *Cœpæam*, & Herbam vulgò *Becabungam* dictam putant eſſe BRITANNICAM, quam Doctiores hodierni *Anagallidem Aquaticam* vocant.

Hujus fuit ſententiæ GUILIELMUS TURNERUS, qui Guiliel. Turneri de Britann. ſententia.
anno milleſimo quingenteſimo & quadrageſimo inclareſcere cæpit, quùm ex Anglia profugus in Friſiam Orientalem Nordæ curam familiæ gerens, Medicam olim praxim feliciter exerceret. Verum poſtea ſententiam ſuam Libro de Herbarum naturâ mutavit, *Cochleariam* BRITANNICAM eſſe dicens.

Regnerus Prædinius Vir ſanè Egregius ac conterraneus meus Regnerus Prædinius profertur.

in Græcis litteris plurimum versatus, *Cepæam* contra Scorbutum laudare solitus fuit. BRITANNICAM tamen non esse vidit, ut cui formâ viribusque nullo modo responderet.

Non desunt qui *Veronicam* BRITANNICAM esse arbitrantur, nominis quâdam similitudine decepti, sicut qui *Betonicam* pro BRITANNICA extrudunt.

Non omitto AROMATORIOS, quorum opera, peritia & Laus in Herbis & Simplium cognitione ac usu insignis est: Ut qui multarum Herbarum nomina, cognitionem & usum in integrum restituerunt.

Admiror nonnullos, qui his Viris tam diligentibus & quasi rei Medicæ conservatoribus negotium faciunt, & maledictis incessunt: Si consentire, obblandiri his, aut palpum obtrudere nolunt, non utique convitiis ad iram provocandos esse judico. Rectè faciunt meo judicio AROMATARII, quod multis sua nomina Herbis indidêre: Ne scilicet scioli & imperiti artem Medicam exerceant, ignorantiæ ab Aromatariis convicti, nullius vitæ injuriam inferre audebunt, quin potius aliò secedent, aut artem postponent: Adde huc quod MAGISTRATUS pluribus Reipublicæ curis sæpius distractus huic parti parum vacare potest. Itaque Aromatarii hoc Reipublicæ officium præstant, nec non simul promtuarium paratissimum omnis generis remediorum contra ingruentes morborum necessitates habent: Aut igitur MEDICUS praxim exercitaturus suam habeat medicam officinam ex HIPPOCRATIS DIVI præscripto, aut artis peritus Aromatariorum beneficio contentus sit, illudque EPICHARMI meminerit: *νῆφε καὶ μεμνης ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα λόγων φρενῶν. Sis sobrius & diffidere memento, hi sunt articuli vel nervi animi.*

Pharmacopolæ laudantur.

Fiet huic alioqui quod Medico Doctissimo BERNARDO DESSENIO CRONEBURGIO quondam Groningæ accidit, & quod multi alii non sine Famæ, rerumque suarum jactura didicêre.

Si Circulatores, Seplasiarii, & Sacchararii narthecia sua magno mortalium commodo, & summâ cum laude usibus invehunt, & tanquam Chironii Deorum hominumque *Nepenthe* prostituant. Si Jatraliptæ in foris sua magno applausu remedia propo-

proponant, & divendant. Si Rhizotomos olim fuiſſe honorabiles, ut HIPPOCRATES ſatis oſtendit; cur non honorificam AROMATARIORUM mentionem facimus? qui cum illis de Palma contendunt. Hic Groningæ profectò crepitans Betula, & mucronatum os, tum copiæ Sturiacæ cornu, ac ſponſus Penelopes certatim medicamenta conficiunt, ipſamque artem ne intereat ſuis egregiè potionibus refocillant: Prudentes in hoc uno nimium ſunt, quod dum BRITANNICAM non cognoſcunt, hujus loco ſumptuoſas confectiones arroganter obtrudant. Æquum eſſe quemque ad quæſtum ſuum callidum jubet PLAUTUS. Si qui ambitioſiores exiſtunt, ac de BRITANNICA nonnunquam ſomniant, illis, quod Rhinocerotis naſum habeant, objiciatur.

De Britannica multorum ignorantia.

Non tamen deſunt convitiis infracti, qui *Conſolidæ* ſpeciem *Buglam* dictam BRITANNICÆ loco oſtendunt. Alii *Symphytum*. Alii *Naſturtium Aquaticum*. Alii *Saniculæ ſpeciem*. Alii *Prunellam*. Alii *Pulmonariam*. Alii *Pyrolam*. Alii *Linguam Cervinam*. Alii *Limonium*. Alii *Trifolium*. Alii verò *Perſicariam* eſſe firmiter exiſtimant, ut apud plurimos legitur. Nam Herbarum experimenta ægrotantium periculo facere à priſcis temporibus huc uſque uſitatum & triviale fuit, deinde convenientia atque varia imponere vocabula artis eſt.

Sed horum omnium ſententias riſu verè dignas meritò rejicit, nec ſuam profert, præclare eruditionis atque Scientiæ Vir JOANNES BODÆUS à STAPEL egregiis ſuis in THEOPHRASTUM Commentariis.

Joan. Bodæus à Stapel fol. 676.

Nec ſatis mirari poſſum, quod CASPARUS, & JOANNES BAUHINUS, nec non JOHANNES HENRICUS CHERLERUS, Viri certè de re Botanicâ præclarè meriti & Doctiſſimi, BRITANNICAM non cognoverint, ac pro *Biſtortâ* aliorum errata ſequentes Tomo tertio partis ſecundæ libro trigeſimo primo capite verò viceſimo quinto habuerint: Quùm tot Autores evolverint, ac perſpexerint, atque continuis lucubrationibus tam ingens, nec non mirandum imo planè obſtupeſcendum tot Plantarum opus, *Theatrum* ſcilicet *Botanicum* tribus Voluminibus comprehenſum conſcripſerint. Sed me admirationis vis non occupat, in illis *Helvetiæ* locis, in quibus illis Medicorum Heroës vixêre, BRITANNICAM

Caſpar. & Joan. Bauhin. ac Henr. Cherler. citantur.

inveniri veram fortè non potuiſſe, quùm nuſquam gentium (quod ſciam) niſi in paludoſis FRISIÆ, TRANSISALANIÆ, GELDRIÆ, atque HOLLANDIÆ noſtræ proveniat.

CAP. VII.

Chirurgi Medicis antiquiores. Quale Privilegium Medicis ab AUGUSTO *conceſſum. Jatraleptarum audacia, atque ignorantia. Mirandum exemplum. Quorundam ſuperbia. Triſtia ac deploranda in medium adducuntur.* D. HIERONYMI *atque* GALENI *querela. Herbarum Inventores quibus olim honoribus afficiebantur.*

QUid ſuis de BRITANNICA ſcriptis promulgarunt tam Veteres, quam Neoterici Autores, audivimus. Jam autem ad CÆSARIS munificentiam, Circumforaneorum inſcitiam, nec non invidorum malevolentiam properare videor.

Prius tamen ad CHIRURGOS magnis HEROÏBUS quondam amiciſſimos vigilanter trânſeo, & qui prius in Rempublicam Romanam, quàm MEDICI admiſſi ſunt, ſtipendiaque meruêre.

Joann. Lud. Gotfrid. lib. 4. Dion Caſſ. lib. 53. Joan. Xiphilinus &c. Sueton. Tranq. in vita Auguſti. Privilegium Medicorum.

Verum enim verò anno præcedente Salvatoris incunabula decimo ſexto, vel ut alii paulo ſerius, Urbis verò conditæ ſeptingenteſimo trigeſimo quinto (quùm ex diſtillationibus jecinore vitiato periculosè laboraret OCTAVIUS Imperator AUGUSTUS, atque jamjam ad deſperationem redactus, per frigida tamen medicamenta, calidis auxilium negantibus, ab ANTONIO MUSA Medico eximio priſtinæ valetudini reſtitutus, à Cæſare, totoque Senatu Romano benignè, magniſque donis ac muneribus exceptus fuit, inque tanti Medici æternam gloriam ſtatuam ære in unum collato juxta ÆSCULAPII ſignum SUETONIO teſte erexit, ipſique aureum annulum geſtandi privilegium, omnibuſque deinde cæteris Medicinæ Docto-

Lapathum vulgare Album Folio subrotundo.

Doctoribus propter eum munificentiſſimè conceſſit) majores habiti fuêre.

Ex his hoc mihi ævo notus & familiaris fuit quidam è Chirurgorum numero JACOBUS RENEMANNUS, Vir ſingularis experientiæ in Chirurgiâ, ulcerumque curatione Reipublicæ Groningenſi fideliter dum viveret inſerviendi, qui *Artemiſiæ* ſpeciem quandam, quam nonnulli *Herbam Sancti Iacobi* (non tamen ſatis commodè meo judicio) vocant, BRITANNICAM eſſe putavit: Illâ tamen raro niſi in externis contra ſtigmata, & ulcera uſus fuit, expertiſſimum alioqui Scorbuti curandi remedium habuit, cujus adhuc infra mentionem fortè facturus ſum.

Sed quàm multi ſunt, qui vix à limine Chirurgiam ſalutaverunt, mox tamen ex ſchedulis in aromatariâ officinâ inventis, aut aliundè ſurreptis Morbum Gallicum curandi artem profiteri audent. Nec rarò contingit, quod uſu Decocti Ligni Guajaci nonnullos occultis morborum calamitatibus liberent, quorum tamen morborum curam nihilominus profeſſi cauſas & remedia ignorant. Itaque verba ſua latius extendunt, & eodem remedio Scelotyrbicos affectus curare nituntur; rem ſuſpiciunt ſimilem, ac ſi quis uno calipodio omnes calceare profiteatur.

Certè methodi ſaluberrimæ ignari, medendi rationem Morbo Gallico laborantibus, eandem ac Scelotyrbicis curandis exiſtimant; cum longè diverſa ſit ratio.

Ficta Benigne LECTOR non refero, verum ea, quæ mihi exploratiſſima ſunt. Nam quæ deploranda mala tales ſurreptitii & larvati Curatores ſæpiùs commiſerint, & quàm multis hic Groningæ, variisque in locis necem inutelerint, hic commemorare ſuperſedeo. Peritiores verò quidam ex Medicorum ordine quæſtus causâ connivent, & ut meſſis eò ſit fertilior, tales in plurimorum exitium exercere patiuntur. Deplorandа narrantur.

MONSPESSULANENSES tamen in deprehenſos curiosè animadvertunt: Aſino enim impoſitos, convitiis, flagris, lapidibus, baculis, projectuque moloſſorum quæ morſu civitate quàm citiſſimè expellunt. Vulgò haud ineptè fertur, *Ne ultra crepidam ſutor*. Externarum enim rerum jactura minor ac tolerabilior exiſtit, ut & corporis detrimenta animæ malis ſunt leviora; omni-

bus tamen malis quantum licet validè reſiſtendum eſt.

Contra circumforaneos aliosque.

Quare meritò coërcendi ſunt DEÆ MEDITRINÆ temerarii cultores, nec in ullam Rempublicam admittendi, ne quibus carere poſſumus, corporis & fortunarum omnium incommodis affligamur : Quod ſi unusquiſque ſuorum ſaltem negotiorum diligenter eſſet inſpector minus laboraremus: ut is quondam Enchuſæ articulo proculdubio Nemeſis Karulinæ trigeſimo quinto eruditus, qui uxore dubiâ, an prægnans eſſet nec ne, ejus ventrem denudatum Teleſcopii beneficio eminus proſpiciendo, & cominis lynceis oculis aſpiciendo, prægnantiæ infallibilia agnoſcere poterat indicia.

Inauditum exemplum.

Verum quemadmodum hic vitam ſuam praxeos alicujus ignaro temerè committit: Ita alter Medicinam diſpari conditione temerè adhibet. Nam uni quæſtus eſt, ut ut cadat res: Alteri præſens ſemper damnum. Etſi hominum plurimi adeò creduli, ac ſenſibus deſtituti reperiantur, ut verborum aucupio facilè ſeſe illaqueari ſinant: Chriſtiani tamen pectoris non eſt pro pane lapidem, & pro piſce ſerpentem tradere petenti : Quod facere omnes videntur, quicunque vel rudes praxeos Medicinæ incognitæ facultates, vel Herbas ægris contrarias offere non verentur.

Ad univerſos ſincera admonitio.

Itaque meminerint quæſo & illi rerum earum ignari illud quoque PERSII. *Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.*

Perſii dictum.

Sed nonnullos adeò impudentes exiſtere ſcio, ut nec præceptis, nec legibus coërceantur, vixque pœnis reprimantur; & quod juxta proverbium, θρασὺς ἡ ἀμαθία, *audax ignorantia eſt.*

Quamobrem quod mei eſt officii, non omittam, unusquisque ergo ejusmodi perſonatos *Clinicos*, in multorum pernitiem fatuorum præſertim natos, à ſe longè removeat, qui in Medicâ praxi criſtam ſemper erigentes, illudque, cæteros calumniis clam proſequendo, animo quotidie perpendentes plenis buccis exclamant: *Nos Poma natamus* : Quaſi omnia ſciant, imo ſcire velint, quùm nullam revera experientiam, niſi ægrorum ſuorum deplorandâ pernitie edocti, poſſideant, neque etiam ab aliis Viris egregiis cum laude praxin exercentibus quicquam unquam boni viderint nec didicerint.

Satis malorum multa, propter originis noſtræ peccata undique incumbunt: Ideoque incuriâ noſtrâ, & humanâ inſolentiâ

ea

ea ut augeamus, nisi pœnas amemus, opus non est. Lacum enim qui aperit, in eum plerumque incidit, & qui dolorem commovet, hunc in caput suum converti, nec non nequitiam proprium verticem aggravare sentit. Eleganter proinde canit HORATIUS.

Navem agere ignarus navis timet, Abrotanum ægro, non audet nisi qui didicit dare. Quod Medicorum est, Promittunt Medici. Tractant fabrilia fabri.

Contra tamen non solum olim, verum & hodierno hoc tempore fieri videmus, & qui ab omni Herbarum cognitione alienissimus est, de Herbis nihilominus quibuslibet, de BRITANNICA, de *Helleboro*, aliisque loqui, & Medicinam facere audet: Sicut rudis ille Circunforaneus, qui in Groningensis agri oppidulo, *den Dam* vulgò dicto, hospitem suum, quem stomachi infirmitate utpote ex nimiâ potatione contractâ laborantem dato *Helleboro* mox interemit, captus quidem statim à Judice, verum solo ignorantiæ titulo defensus, & dimissus, omnibus tamen *Ellebori* usum commendare, nec non propinare ausus fuit. Itaque sicut alibi de Poëtis HORATIUS:

Triste exemplum.

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Divus HIERONYMUS, in Bibliorum præfatione ad PAULINUM, de imperitissimo, scientiam Theologicam illotis quod ajunt manibus pedibusque suâ tempestate invadente, lamentatur.

S. Hieronymus citatur,

Imo GALENUS Medicorum omnium Princeps de impudentissimis Thessaliæ Medicis, fœrocissimis naturæ humanæ Tyrannis, plurimum ubique stomachatur: Ita nunquam hodie quorundam Jatraleptarum, nec non sæculi nostri Chimicorum ac Medicorum quorundam, indomitam audaciam satis deplorare possumus; qui nullo discrimine incognita loco cognitorum habent; unde incertis casibus sine ratione reguntur, & plurimorum sanitatis sunt prædones. Verum de his satis, qui dum gloriossissimè sibi quævis arrogant, hactenus tamen veram BRITANNICAM non monstravêre. Quod ex enumeratis tot opinionibus nullius scientiæ aut solidæ experientiæ

rientiæ fulcris innitentibus palam eſt. Reſtat autem ut clarioris ſententiæ explicationem ulterius proſequamur, quanquam multorum aliorum Medicorum, de Herbis plurima tradentium, ut, Nicolai Winckleri, Hieronymi Brunswicenſis, Ottonis Bronsfelſii, Adami Loniceri, Valerii Cordi, Joannis Manardi, Antonii Muſæ Braſavolæ, Nicolai Loniceni, Caſtoris Durantis, Tabernæmontani, Joachimi Camerarii, & ſimilium mentionem non fieri: Non tamen horum operam improbo. Id verò fieri, quia nihil de BRITANNICA ſcitu dignum prodiderunt, eamque planè ignoraſſe viſi fuerunt, & quaſi ſuâ inveſtigatione dignatam non cenſuerunt. Idcirco illud, quod deſideratur, nunc cum bono DEO ſupplere conabor, atque, ut meâ ſententiâ ac demonſtratione non parum gaudebunt, quicunque in manus ſumpſerint, atque hæc mea ſcripta perlegerint, efficiam.

Valer. Cord. Annot. in Dioſcor. lib. 3. c. 2.

Dubio procul non deerunt, qui operam meam tanquam frivolam, ac faſtidio dignam damnabunt: Quæ nimirum leviſſima videatur, quod exigui momenti rem & unius ſolummodo Herbæ demonſtrationem contineat: Præſertim quùm intelligunt eam exhiberi Herbam, quæ pluribus in FRISIÆ noſtræ, HOLLANDIÆ, GELDRIÆ, atque TRANSISALANIÆ locis abundè provenit, ac pedibus ſæpè conculcatur.

Ad Zoilos.

Eam igitur cùm pro verâ BRITANNICA proferri audiverint, ut nullius uſus, nulliusque ponderis pluribus viſam, ac ab optimis Rhizotomis, Herbarumque Clariſſimis PROFESSORIBUS inter LAPATHI ſylveſtris ſpeciem annumeratam haud parum admirabuntur. Naſutiores verò etiam παράδοξον (*inopinatum*) quid eſſe exclamabunt, nec à ſubſannatione abſtinebunt.

Adagium.

Interea tamen ſua lubens volentibus permitto lædoria; Atque hoc maximè Græco moveor adagio μαμήσεται τις θᾶσσον ἢ μιμήσεται. *Citius quis reprehendet, quùm imitabitur.* Quandoquidem Regium eſt DEI immortalis munus juvare mortales, quomodocunque licet, rerumque ignotarum, verumtamen utilium ac neceſſarium uſum docere.

Quâ de cauſâ Græci ac Latini Veteres Herbarum nomina partim Diis ſuis, partim ſummis & magnibus Regibus dedicavêre: Imo ſtatuas quoque ingentes nonnullis propter unius

Herbæ

Herbæ inventionem ac demonſtrationem, ut plurimæ teſtantur hiſtoriæ, perenni orbis & ſeculorum memoriæ conſecrarunt. Herbarum inventoribus honos.

Si improbos etiam mercatores multi laudant, quoniam res ex orbe alieno peregrinas invehunt, quùm tamen iis carere perfacilè poſſumus; quanto magis laudandi ſunt hi, qui res ignotas paratu faciles, & uſu ad defectus humanos vehementer utiles, nec non neceſſarias, etiam domi natas in medium depromunt: Quorſum Indiam in medio æſtimamus, & petitam è Mari Rubro medicinam haud periculoſo ulceri applicamus, quùm ſi ſciremus pauperrimus etiam quiſque domi ſuæ nata remedia cœnet, pedibus terat, aut agris evulſa abjiciat? Quod ex Herba, quam hic ad vivum demonſtro, ſatis apparet: Cujus cognitæ pretium inæſtimabile dicent, facilè ſcio; neque eam amplius more ſolito projicient. Habeo quoque ad manus quorum exemplo me defendam.

THEMISON enim de PLANTAGINE ſolâ etiam vulgari Herbâ integros commentarios edidit, & PYTHAGORAS Italicæ Philoſophiæ Princeps unum *Scyllæ*, alterum *Braſſicæ* librum deſtinavit. Quod & DEMOCRITUM, MARCUM CATONEM, nec non ævi ejusdem alios quibuſdam de Plantis feciſſe legitur. Quos poſtèa ſecutus fuit C. VALGIUS Vir eruditione Clariſſimus, qui de Herbis ſeorſum imperfecto tamen volumine DIVO AUGUSTO dicata plura quoque ſcribere tentavit, quamvis apud Latinos in eodem ſtudii genere multum profecit POMPEJUS LENÆUS, magni POMPEI libertus ex promptuario MITHRIDATIS edoctus. MAGNUS enim Rex ille pro ingenii ſui magnitudine materiæ peculiariter medicæ curioſus, ab ingenti hominum numero Imperio ſuo ſubjecto ſingula exquirens, illorum commentariorum ſcrinium, exemplaria, effectuſque ſuis in arcanis à Romanis devictus reliquit, quibus vitæ non minus illa quàm Reipublicæ profuit Victoria. Themiſon de Plantagine &c.

Non mirum proinde, ut reliquos tranſeam Vitos Illuſtres, ne ultra decentiam verboſius rem proſequi videar, quod PYRRHUS CASTRIOTTA Civitatis Sancti Angeli Marchio de *Rhaphano*, ſicut etiam ANDREAS VESALIUS de *Radice Chinâ* antea vix notâ, ſinguli ſingulos libros conſcripſerint atque ediderint. Pyrrhus Caſtriotta de Rhaphano.

Tanta eſt autem hujus ſtudii vis, ut ei plurimarum præclariſſimarumque Plantarum, nec non materiæ medicæ reſtitutionem, potiſſimum debeamus.

Sic FABRIANUS *Bacharim*, LUCAS CHINUS *alteram Meſpeli ſpeciem*, GUILIELMUS RONDELETIUS *Eupatorium Meſueum*, AMARANTHUS Neapoli *Tithymallum arboreſcentem*, PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS *Oxyacantham*, aliique alias priſtino uſui Herbas immortalitatem beneficio demereri ſtudentes, reſtituerunt: Pro quibus magno ſanè errore in Pharmacopærum officinis Herbis diverſis utebantur.

Sic ego nunc in Lucem' rurſum veram BRITANNICAM, diverſis in Galliæ, Angliæ, Germaniæ, aliisque Terrarum Orbis patribus ante non paucos annos ſedulo à me quamvis fruſtra quæſitam, memorabili Majorum exemplo ductus, erui.

Quamobrem eam nunc eo honore ſi digner, ut ei Commentariolum lucubrando deſtinem, haud, ut ſpero, Candidis & Veritatis Studioſis omnibus erit ingratum. Improbis, & garrulis hominibus, bonorumque fucis, ac ſiniſtris inſidiatoribus, nec non Hoſtibus, Gigantum, Cerberique oſſa perpetuò radenda relinquo.

Placeat igitur hoc meum ſtudium, munuſque meum, quo charæ meæ Patriæ (cujus amori imputo, ſi quid in laudandâ juvandâque eâ profuſior fortè exiſto) FRISIÆ olim uſitatum ac adverſus Endymicos morbos certiſſimum, naturale, ſine omni fuco, idque vivum atque domeſticum remedium trado.

CAPUT

Lapathum Vulgare Rubrum retuſo folio fol. 75.

CAPUT VIII.

BRITANNICÆ inventio quo modo facta. Plantago Aquatica à Themisone celebrata quæ. Plantarum cognitio quàm sit difficilis. Quo die BRITANNICA inventa. Moer, Broek, & Veen quid. Veneti, Vindelici, Vena, Venenum, Venus, & Venetia Urbs unde dicta. BRITANNICÆ Terræ Aquarum color, vitium, & emendatio.

COnsideratis prædicti Capite accuratè contentis, ad BRITANNICÆ tandem inventionis modum, ejusdemque Terræ Naturam, atque Nominum derivationes, nec non Aquarum qualitates deveniendum puto.

Quomodo Britannica sit inventa, ac cognita.

Enim-vero priùs mihi referendum hic esse existimo, quomodo ad BRITANNICÆ nostræ cognitionem pervenerim.

Est Herba, quam Seplasiorum vulgus *Barbam Sylvanam* (meo judicio malè) vocant, alii *Plantaginem Aquaticam*, quamque alii *Alisma* esse existimant.

Hanc Nobilis Matrona *Helprichia* Cnipensium Godensiumque Domina in Orientali Frisia mihi quondam summoperè contra Scelotyrbem, cognataque Symptomata commendabat, quo tempore Equestris ordinis Viro in pago Oldersummano per tempus aliquot commoranti, oculorum vitio Laboranti opitulabar; quem aspirante DIVINI NUMINIS gratiâ ab eo malo, & simul ab iliaco affectu, quo gravissimè affligebatur optimè brevi temporis spatio liberavi; atque inde per annos aliquot sequentes benè habuit.

Interea igitur Matrona illa verè Nobilis illic præsens inter alia narrando mihi profitebatur, suâ in jurisdictione acerbè, magnoque quasi contagio *Stomaccen*, *Scelotyrben*, & tibiarum maligna, vermiculosaque ulcera undique grassari, quæ vulgò *de Haarworm*, *de Vlegt* &c. vocant; contra quæ mala post plurima adhibita remedia, atque adeo Balnea naturalia, nec non artificialia tàm humida quàm sicca, etiam quæ in furnis fiunt, frustra

omnia à ſe eſſe tentata aſſerebat, ideoque illâ uti propoſuiſſe, quam ab aliis ſæpenumerò valdè commendatam, & inter alias Herbas contra vitia prædicta cæteris præferri audiverat. Proinde ſcilicet ſicut prudentem, ingenioſam, atque Herbarum ſtudio deditam mulierem decet, illius PLANTAGINIS AQUATICÆ plurimis in ægris jam ſe feciſſe periculum palam profitebatur.

Sed dicam nunc, quod in fœminâ extremè ex *Scelotyrbe* decumbente, & propemodum macraſmo conſumptâ illius HERBÆ vires experta fuerit : Exhibuerat autem Decoctum cum Aromatibus calidis, ut *Zedoariâ*, *Maro*, *Croco*, *Liquiritiæ* pulvere, & *Gentianæ* radice ex vino Hiſpanico per plurimos dies quantitate convenienti : Credibile eſt bonum eventum non defuiſſe, quin imo fœminam aliquam rectè fuiſſe curatam. Ipſam deinceps feliciſſimè in multis contra STOMACACCEN & SCELOTYRBEM, ſimiliaque pathemata per empiricam figurationem hâc uſam eſſe Herba. Quamobrem inſtabat, meque inportuniùs nonnunquam urgebat, ut eâdem Herbâ in curanda NOBILIS illius prædicti ſui conſanguinei ægritudine uterer; utpote quem haud ineptè, propter certa quædam ſigna, etiam ex parte Scelotyrbe laborare conjiciebat.

Plantago Aquatica Major examinatur.

His equidem haud temerè perſuaſus in ejusmodi curâ fœminæ non eſſe fidendum, HERBÆ illius deſcriptionem attentius conſiderare, vireſque ſaporis guſtu accuratius explorare cœpi.

Interim illam ceu quandam ARTEMISIAM REGINAM veram mihi demonſtraſſe BRITANNICAM ſperabam, quam diuturnis moleſtiis in variis Terrarum partibus tam cultis, quàm incultis, neque ullibi in Hortis indefeſſus quærendo, invenire hactenus potueram; tacitus itaque præ nimio gaudio exultabam, ut qui modo haud vulgarem theſaurum reperiſſem.

Magis namque unius HERBÆ utilis præſertim, quàm multarum pecuniarum inventione delectatus ſemper fui, & adhuc ſum; ad quem ſanè ipſam DIVINA benignitas artificii varietate, elegantiâ, & amœnitate hominem quoque reluctantem ſæpiùs invitat.

Neque ſanè parvum erat certum FRISIÆ, omniſque tractus

ctus CIMBRICI Endymicorum morborum addidiſſe repentè.

Qnamobrem Herbæ dictæ BRITANNICÆ Sylvanæ formam quam diligentiſſimè, eo ipſo die Junio in menſe omnibus ſuis numeris abſolutam inſpexi: Verum in paucis eam BRITANNICÆ deſcriptioni convenire animadverti, nec non in præcipuis eam diſcrepare facilè notavi. Quare ad ipſam experientiam me velle deſcendere, & infirmis ex Scelotyrbico malo decumbentibus decoctum aliquod exhibere lubens propoſui: Idque tamen eo modo, ut etiamſi res non benè ſuccederet, non tamen noxæ foret: Rurſum nullum indubitatum, magnumque effectum, BRITANNICÆ peculiariter attributum expectans, quo certò affirmare liceret, Herbam hanc ſuâ antipathiâ illos curare morbos, & ne optato ſucceſſu fruſtratus operam luderem, quænam illa eſſet HERBA, an vera ANTIQUORUM FRISIORUM BRITANNICA, non alia, & qu ibus prædita foret facultatibus, inquerire non deſtiti.

Optimè enim à VETERIBUS proditum eſſe, ſuâ Naturâ BRITANNICAM aſtringere, ſciebam. PETRUM ANDREAM MATTHIOLUM præterea ſcribere, hanc quoque *Aquaticam Plantaginem* aſtringere: Deinde REMBERTUM DODONÆUM, GEORGIUM HANDSCIUM Pragenſem Medicum haud contemnendum, aliosque plurimos eandem huic *Plantagini* facultatem attribuere, ſicut & aliis Plantaginis ſpeciebus, privatim verò Doctiſſimum notare DODONÆUM, hanc *Aquaticam* peculiare illud obtinere, quod ſcilicet applicata Hydropicorum tibiis folia ex ventre aquam in tibias derivent, præſertim verò ſi viridia applicentur: Quâ de cauſâ, Herbam hanc modici caloris cujusdam eſſe participem, conjicitur; cujus nomine aquam, aut aquoſos humores, humorumque ichores attrahere poſſit. Lib. 2. cap. 30. in add.

Folia namque *Betæ*, *Hederæ*, *Braſſicæ*, *Plantaginis*, *Ebuli*, *Sambuci*, *Nicotianæ*, nec non LAPAHI VULGARIS ex papulis, puſtulis, factisque cauterio poris, & exulceratis Erefypelatibus appoſita purulentiam ichoroſamque materiam extrahunt. Unde omnibus illis calida quædam vis quamvis multæ frigiditati immixta, ſicut etiam ANAGALIDDI, attribuitur, quæ

eâdem de causâ ſpicula extrahit, & vaporoſas oculorum materias digerit, ac lachrymantibus quoque oculis prodeſt.

Ego potius aquam detrahendi vim ex ventre in tibias *Flammulæ*, & *Clematidi alteri*, hujusque ſpeciebus aſſignarem; utpote quarum hoc eſſe experimentum, non illius, faterer.

De plantagine Aquatica quorundam opinio. Plin. lib. 20. cap. 8.

Nonnulli verò hanc *Plantaginem Aquaticam* eam eſſe exiſtimaverunt, quæ à THEMISONE tantoperè celebrata eſt, ut de eâ integrum librum conſcripſerit: De quâ re inter cætera teſtis PLINIUS capite libri vigeſimi octavo hæc tradit ſequentia.

Naſcitur in humidis multo efficatior; vis ei mira in ſiccando denſandoque corpore cauterii vicem obtinens; nulla res æquè ſiſtit fluxiones quas Græci Rheumatismos vocant.

Fuchſii contra nonnullos ſententia. cap. 12. de Aliſmate ſive Plantagine Aquaticâ.

Ad hæc non parum LEONARDI FUCHSII me movet Autoritas, qui ſuo capite duodecimo varias hâc de Herbâ opiniones concepit, & contra aliorum ſententiam, eam aſtringendi vi pollere, negat; id autem non ſine ratione, quemadmodum alias latius demonſtrabo.

Neque verò in hâc Herbâ inſignem nigredinem, neque folia adeò obſcurè vireſcentia, nec denſa, neque adeò oblonga deprehendere poſſum, ut hinc propria deſcriptionis nota petita aliquid certitudinis ad manifeſtationem illius conferat, ut pro verâ BRITANNICA habenda ſit.

Porrò radicis nigredo exigua, foriſque tantummodo obducitur, & quæ leni ablutione facilè ſeparatur: Terræ potiùs in quâ creſcit, aſperſione vel tinctûrâ, quàm propriâ Naturâ contingit: Multis enim in locis hujus *Aquaticæ Plantaginis* radices non LAPATHI vel BRITANNICÆ modo craſſas, verum planè fibroſas, intus & in ſuperficie quoque albas omninò vidi; quùm alioqui ſemper ſint albæ, ac Naturâ tenues & numeroſæ: Ita breviter & manifeſtò deprehendi, quod longè & plurimum ab omnibus LAPATHI ſpeciebus, quibus BRITANNICA aſſimilatur, abſit prorſus quoque adſtringens facultas in eâ deſideratur; tantum igitur abeſt, ut ipſo guſtu nulla deprehendatur, nec ad putreſcentia corrigenda idonea ſit; ergo multo minus putreſcentia ſanare, nervos humiditate diffluentes vel reſolutos, ut in Scelotyrbicis fit, atque laxa oſſium ligamenta, ipſa etiam oſſa putrida exſiccare, corroborare & conſolidare valebit.

Hinc

Hinc firmiſſimè concluſi, hanc *Aquaticam Plantaginem*, ſcilicet *Majorem* nullo modo BRITANNICAM eſſe: Etſi à Generoſâ Godenſi Dominâ mirum in modum contra Scelotyrben & Schorbutum commendata haberetur, & apud multos BRITANNICÆ nomine, ſicut & *Cochlearia* veniret.

Hiſce tamen auſpiciis faventibus, diverſis in locis tam paluſtribus quàm FRISII maritimis omne Plantarum genus ſeduló perſcrutari aggreſſus ſum, nullumque planè inexcuſſum omiſi, nullis quoque ſumptibus, vel laboribus gravatus fui, verum omne ſtudium, omnemque operam adhibui, ut hanc BRITANNICAM Herbam in LUCEM rurſus revocarem. Quod ſi idem & alii quoque facerent, non ſuæ tantum, verum & aliorum mortalium vitæ conſulerent, deque poſteris præclarè mererentur, atque hinc præterea FAMAM aſſequerentur æternam.

Siquidem ejusmodi beneficium poſteri cum laude Autoribus perpetuò acceptum referrent. Hoc tamen mihi ſi non licuit, id ſaltem quod potui omni ſtudio, atque induſtriâ præſtare conatus ſui; juxta illud, *quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*: Rurſum, *Vitulâ meâ niſi araſſetis, non inveniſſetis*: Nec falsò joculari jactatur adagio, *Vaccas lac dare non propter cornua, verum illas mulgendas eſſe*: Scriptum enim eſt, *Petite & dabitur vobis.* Matth. 5. Jud. 14.

Quemadmodum è molli lecto veneranda non ſurgit ſcientia, verum aſſiduo labore parta triumphat: Sic HERBARUM cognitio, ut pluribus viſum, non adeò facilis eſt: Eget labore, peregrinatione, diligenti inſpectione, nec non plurimarum PLANTARUM collatione.

Herbarum cognitio multo labore acquirenda.

Quùm verò auſpiciis res cepta malis benè cedere neſcit: Verum fælici quæ ſunt omine facta juvant, neque rei Herbariæ delectatio ullum inquiſitionis tædium ſentit: Itaque non prius ab hoc incepto deſtiti, quàm cùm votis dexter eventus ſatisfeciſſet.

Cum enim viderem noſtræ ætatis homines in iisdem, in quibus antiquæ, atque etiam in majoribus vitæ periculis verſari, nobis tamen deeſſe veram illam, ac generoſam VETERUM Friſiorum BRITANNICAM, quâ ſe à tot miſerrimis cru-

cruciatibus expeditè liberarunt omnes olim Romani, CAJO JULIO CÆSARI, cæteriſque ROMANORUM IMPERATORIBUS hiſce in PATRIÆ locis militantes, ingenui; Studioſæ tamen intentioni fœlicem ſucceſſum reſpondiſſe tandem paucis enarrabo.

Anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ex paternâ meâ GRONINGENSIUM Civitate ad febricitantis curam in pagum *Weſter-broek* dictum, medium miliare Germanicum aut paulò plus ab Urbe Orientalem Cancri Tropicum verſus diſtantem vocatus, partim naviculâ, partim Andabatarum more eò profectus fui. Accidit poſtea eo ipſo die, nono ſcilicet menſis JULII, quo hoſtem Urbi noſtræ appropinquare ab omnibus nobis obviis rumor non falſus ſpargebatur, dum interim, ægro relicto, navigando varias in foſſarum marginibus enatas Herbas in hortum meum transferendas perluſtrarem, inter alias Herbam ex obſcuro virore nigricantem quaſi, & LAPATHO effigie non diſſimilem, antea à me quidem ſæpiùs viſam, ſed non ſuo in natali loco cum ſemine & adhuc quibuſdam floſculus onuſtam, conſpexi. Ideoque ſtatim naviculum ad foſſæ marginem appellare & Herbam ut penitus novam unà cum radice quam ſtudioſiſſimè evelli juſſi, poſteaque hanc valdè nigram eſſe radicem curioſè contemplavi, deinde egregieè lotam, ſuum tamen retinere maximè ex parte colorem ſenſi, digitoſque nigredine quâdam inde tinctos fuiſſe deprehendi, à me quoque deguſtatam, incredibili aſtrictione præditam eſſe cognovi, ideoque hanc veram & legitimam Antiquorum Friſiorum eſſe BRITANNICAM non dubitavi.

Quo die Britannica fuit inventa.

Cum verò hoſtem paulò poſt eminus propius accedentem & à præmiſſo jam equitatu meum quaſi latus prementem conſpicerem, ne in illius manus devenirem, domum, varias mecum PLANTAS nihilominus deducens, illarumque foliis in proximæ VICTORIÆ Symbolum pileum exornans, properavi, atque ita trophæis quaſi ſplendidus Urbem incolumis ingreſſus ſum.

Britannica Victoria noſtræ indicium.

Eſt autem ager ille ex parte incultus, & paluſtris, ex parte verò planè cultus, & Terra nigra: Quæ vulgari idiomate *Moer* vocatur, unde nomen *Moeras* deducitur, quod paludoſam Terram

Terram profundam, veſtigiorumque impatientem indicat, ille *Broek*: Unde pagus WESTER-BROEK nuncupatus eſt.

Utriuſque nomina LATINI parum deflexa retinuerunt, ut MORINORUM & BRUCTERORUM. Qui *Bructeros* eos eſſe putant, quos nunc *Pruſſenos* vocamus, longè meo judicio errant. Bructeri non ſunt Pruſſeni.

Quod ſi Terra paluſtris quidem, verum humidior & altior variique coloris ſit, tum VEN & VEEN appellatur.

Unde olim VENETI & HENETI denominationem ſuam ſortiti, atque à Belgis, anno Urbis conditæ centeſimo ſexageſimo ſexto, & ſequentibus, in ſinu Adriatico commigerantibus geniti ſunt, atque inde, ut rectè STRABO narrat, ſuam originem referunt. Quinimò à *Venâ*, quod alibi ut *Viena* plenius pronunciatur, deductum eſt nomen *Vend*, *Vind*, & continuâ derivatâ compoſitione, deſcendit hinc appellatio *Vindelici* vulgò *Vendelen* dicti: *Venen ende Elen: Vien die an de El leggen:* Ut hinc *Vendelis*, & Latinis *Vindelici*, qui Vindelicorum adhuc in Friſiâ Orientali verè Saxonicâ Pagus reſtat, hodiè à *Vienâ* & *Morâ* nomen relinquens, diiturque VIENMORA, hoc eſt Pagus VENETORUM & MORINORUM, & alius *Wimora*, qui non longè abeſt à quodam monaſterio Dunenbroek BRUCTERORUM, quamvis ab omnibus hoc tempore corruptè admodum *Wener* vocitetur. Verum nominis *Venæ*, *Vennæ*, *Viennæ* Civitatis Auſtriacæ, & *Vienæ* Allobrogum rationem reddere, non eſt hujus loci. Veneti, unde dicti, & Vindelici. Strabo l. 4.

Quinimo *Venæ* in humano corpore LATINIS nominatæ ab eâdem dictione originem ſuam traxiſſe videntur, & *Venoſus*, *Venenum*, *Venus*, *Venerea*, atque ipſa *Venetiarum* Urbs. Cujus Terra, ut hæc noſtra, olim Naturâ verè humida, elevata, plana, *Venea* ac *Morina* extitit, imo hodierno hoc die, ut & aliis diverſis in ſinus Adriatici partibus, ejuſmodi etiamnum extare conſpicitur, quam ſummâ ſabuli copiâ miſtam, ædificationi tandem primi ejus Conditores, Anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Hunnorum in Italiam derepentè irruentium inauditâ tyrannide, VALENTINIANO Tertio Imperante, aliorumque Bellorum iniquitatibus eò ut locum in tutiorem pulſi, & à BELGIS in coloniam deducti, aptam Venarum, Veneni, Venetiarum, &c. nominum origo.

Vide Strabon. lib. 4.

fecerunt. Cujus quoque incolæ *Veneti* tempestivo Naturæ instinctu revera venerei sunt, & pulcherrimas, militares, Neptuniadas, Martis filias, & validas fœminas verè AMAZONES dictas habent, non ab eo quod sint sine mammis uxores, nec ideo quod pauperes tanquam sine mazâ, nec quod filiarum Sauromatarum, quos *Amatsons* vulgariter vocari existimant, ut scriptis prodere dignum censuêre ineptuli: Sed ab eo quod sint *Viragines*, & filiorum procreatrices.

Terra quoque omnis generis venenatis animalibus, ut serpentibus, viperis &c. nec non Herbis scatet: Neque ipsæ Aquæ veneni vitio carent, ut rectè PLINIUS notavit: Efluunt nigræ alioqui subdulces, & ni defluant summam putredinem redolent, ac variis coloribus infectæ conspiciuntur, nunc subrubræ vel luteæ, nunc auricolores, nunc cœruleæ, ÆSTATE præsertim & quatenus Arborum umbras habent: Alioqui exiccantur, vel muscum obducunt: Ex harum potu lienes magni haud dubiè generantur, quorum libro de Aëre, Aquâ, & locis, ac libro prædictionum secundo meminit Divus HIPPOCRATES.

Aquarum Veneæ Tetræ color.

Hippocr. lib. de Aëre &c.

Talium tamen Aquarum vitium decoctione ad dimidias partes emendari PLINIUS Autor est. Ipsa certè experientia idem quoque testatur. Siquidem *Baræ*, *Coitæ*, *Kilifitæ*, hoc est, Celiæ fictæ, *Cateræ*, *Cluniæ*, *Mumæ*, vel *Mommæ*, *Broihanæ*, & quocunque alio nomine dicuntur Septentrionalis POPULI SAXONICI Cerevisiæ, ex Aquis decocti potus; quandocunque fiunt ex Aquis benè, vel usque ad dimidium ferè decoctis, vitiosâ illâ facultate carent, præterquam quod ex mixturâ vim largiore hausfu inebriandi habent, sin minus satis decoquantur Aquæ, varios generant morbos.

Tenuissimæ Cerevisiæ genus est, quod à Groningani *Kilifit* dicitur.

Verum de Aquis, Cerevisiisque scripserunt quidem plurimi, res tamen nondum satis explicata mihi videtur, multaque de iis adhuc dicenda restant de quibus suo tempore cum bono DEO latiùs.

CAPUT

Lapathum Unctuosum. *f.* 83.

CAPUT IX.

Veneæ Terræ natura. Tophacea ab Antiquis dicta. Tophus, & Tophacea Terra quid. Quæ inter Tophum & Pumicem lapidem differentia.

AUditâ Veneæ Terræ, aliorumque nominum origine, par erit nunc, ut illius Naturæ proprietates, & quid de TOPHO notarunt Antiqui inveſtigemus.

Porro ergo VENETICÆ illæ TERRÆ quâ parte ſiccio-res & calidiores exiſtunt, quâ potiſſimum Auſtrum verſus ver-gunt, æſtivo tempore Serpentum, Lacertorum, ſimiliumque animalium copiâ indubitato venenatæ humiditatis indicio ſca-tent. Tum quædam ſunt VENETICÆ TERRÆ, quæ exiccatæ optimum igni fomentum & materiam præbent: Au-torum aliqui hanc alendo igni aptiſſimam, & uſitatam Terram Bituminoſam, atque ſulfuream, alii carbunculoſam exiſtimant, ac Anthracitem THEOPHRASTI eſſe divinant, alii paluda-nam vocant. Venetica Terra ad ignem effi-ciendum apta.

Ita nec dum de vero Veneticæ Terræ nomine inter Autores conſtare video, neque quisquam hactenus mihi exponere po-tuit, qualis nam ea Terra, & quo nomine PRISCIS AUTORI-BUS appellata ſit.

Quamobrem tamen quid ego illâ de Terrâ ſentiam, brevi-ter, publico non invidendo, hic aperiam.

PLINIUS libro decimo ſeptimo capite ſeptimo hæc pro- Plinius fert. *Terras Gallicas Britannasque locupletantes cum curâ dici convenit.* citatur. *Duo enim genera fuerunt: Plura nuper exerceri cœpta proficientibus ingeniis: Eſt enim alba, ruſſa, columbina, argillacea, tophacea, arenacea.* Hæc ille.

Ubi Tophaceæ Terræ meminit, Plinius Naturam ejus inda-gare placuit. Itaque invenio eundem AUTOREM hanc Ter-ram ſimpliciter quoque libro triceſimo capite tertio *Tophum* appellare.

Aqua, inquit, *ſemper dulcis in argilloſâ Terrâ, frigidior in Topho; namque & hic probatur. Dulces enim levesque facit & colando continet ſordes.*

Pontanus de Topho.

PONTANUS autem *tenuem vocat Tophum, & per quem facilè Aqua resudat.* Unde sic canit.

Rivulus è tenui manat Topho.

Quanquam *Tophus* hic multis viris DOCTIS πῶρος Asperi Lapidis genus dici videtur, qui facile in arenam deteritur, aut resolvitur; & de quo haud minorem Gentium Commentatores OVIDIUM libro tertio Metamorphosis locutum esse arbitrantur, quùm ait:

Ovid. lib. Metam. 3.

Et levibus Tophis nativum duxerit arcum.

Sed tamen quàm rectè illi sentiant, & HERMOLAUS in castigationibus Plinianis hunc locum exponat, alibi clariùs docebitur.

Statius lib. Sylv. 4.

Est enim *Tophus* sordidus STATIO libro Sylvarum quarto dictus, ubi inquit.

Cocto pulvere, sordidoque Topho.

Tum verò etiam nigricans in secundo juvencarum ventre Tophus est, nullo pondere, ægrè parturientibus remedium singulare, si Terram non attigerit, ut PLINIUS refert, & ipsemet experientâ constat.

Haud dubiè *Tophus* hic à similitudine & naturâ, quam cum Terrâ Tophaceâ habet, nomen obtinuit.

Neque contemnendum est, OVIDIUM tenues Tophos vocare, & PLINIUM referre juvencæ *Tophum* nullo esse pondere, *Tofumque* sordidum à STATIO appellatum.

Tophum certè Terrâm esse levem, mollem, & pilositate quadam muscosâ cohærentem intelligo.

Quare cum Aspero lapide in arenam friabili, contra multorum opinionem, nihil habere similitudinem convincitur.

Neque scio an ulla sit Terræ species, quæ *Tophi* in secundo ventre juvencæ enati similitudinem magis referat, quàm TERRA VENETICA, quo loco siccior, vel æstivo Sole exicca-

Primum Argumentum quo probatur Venedicam Terram *Veenaarde*

ta est.

Invenitur levissima, minus levis, & quæ nigricans ponderis aliquid habet: Quin ex pondere de ejus bonitate & soliditate conjecturam faciunt, ut quæ exiccata ignem diutius alat. Nam quæ levissima est, in flammam & cinerem facilè abit.

Verum

Verum illud manifestò erroneum est, quod scilicet pumicem vel pumicosum lapidem *Tophum* esse ideo nonnulli arbitrantur, quoniam propter tenuitatem nec non continuam apparentem raritatem multis *Tofsteen* vocatur: Idem enim pronunciatione *Tofsteen*, ac Tophum Lapidem, denotari putant.

vulgo dictam, veterum esse Tophaceam terram.

Verum PLINIUS perhibet, per *Tophum* aquam percolari, id quod per Pumicem non fit. Nam in se aquam absorbet, transitumque postea denegat: Unde operosis structuris & molibus contra aquas insumitur, sicut & puteolanus pulvis, vulgò *Sement* dictus.

2. Argum.

Atqui *Veneticæ terræ* natura rarâ est, humoribus instar spongiæ repletur, ac intumescit. Unde STATIUS haud ineptè sordidum Tophum denominavit, tanquam sordes, terreasque Aquarum partes retinentem.

Porrò PLINIUS inquit, illam è contrario æstu exiccatam contrahi; tum frigidores quas continet, quasque remittit, dulces & leves aquas reddere, quia colando sordes continet, hasque colando seorsim remittit, quâ de causâ puteorum lateribus inducitur.

Sed nemo Autorum omnium, quos equidem legi, talem vim Pumici attribuit: *Topho* autem eam omnes asscribunt.

Deinde Autorum scripta docent, aliud *Pumicem*, aliud *Tophum*. Sic enim SIDONIUS scripsit.

3. Argum.

Hic scabri fusus sub Pumice Tophi.

Atque idem rursus alio loco.

Saxa nec exesum supplebunt marmora Tophum.

Præterea, *Tophacea terra* suo tempore & paulo ante exerceri cœpit. Illud autem, quod Tophacea Terra coli, curari, & frumento conseri cœpit, significare vult. Ita enim VIRGILIUS sæpe exercendi vocabuli significatione usus est, ut in Georgicorum primo.

4. Argum.

At si triticeam in messem robustaque terra
Exercebis humum, solisque instabis aristis.

Et Georgicorum secundo:

Seminibus positis super est deducere terram
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes
Aut presso exercere solum sub vomere & ipsa
Flectere luctantes inter vineta juvencos.

Et eâ in significatione frequens est apud reliquos Autores vocabuli exercendi usus : Sed ne Grammaticorum schedas excutiamus, hic addere plura supersedeo.

Verum pumicosus ille aut Asper lapis coli non potest, neque Sementi idoneus est, neque usquam quod scio ad sationem exercetur. Omnem enim succum ebibit, quo ipsum Semen injectum ali debet; neque in solido sicco quicquam provenit: Palustris autem Terra, quam vulgò *Ven*, sive *Veen*, id est *Vena*, ego nunc VENEAM, vel VENETICAM voco, felicissimè pluribus in locis exercetur, præsertim ubi subpinguior, pauloque solidior, nec non fossis, sulcis derivato humore siccior est; conseritur Avenâ, Ferragine, Secali vulgò *Rogge*; eoque cereali, quod nonnulli *Tragotrophon*, aliis *Erysimum*, aliis verò *Panicum* vel *Frumentum Sarracenicum*, & popularibus *Boekweite* vocatur : Inde *Brumali tempore* illato omnis generis fimo, & stramine putrido lætificatur.

5. Argum. Huc quoque VIRGILIUS libro Georgicorum secundo respexit, ubi eandem Terram *Tophum* vocat: Hoc enim modo canit.

Vix humiles apibus casias roremque ministrat
Et tophus scaber, & nigris exesa chelydris
Creta, negant alies æquè serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.

Etenim hæc sola VIRGILII Autoritas quintum mihi argumentum est, quo persuasus sum, *Veneticam Terram* nòstratem palustrem, & sationi aptam, paratamque Tophaceam esse. Quin ut supra attigi, virides, nigrosque diversi generis Serpentes & Lacertas occultare, nec non illorum matrem, nutricem, & sinuosis in lateribus conservatricem existere. Pumicosi interea aut Asperi Lapides Serpentes non admittunt, nec alimenta præstant; quemadmodum Venetica hæc Terra, & quæ cretacea mollis, friabilis, nec non exesu facilis est.

Non

Non parum quoque ad opinionis meæ probationem ſtatuminandam facit, Terram illam etiamnum apud FRISIOS meos præſertim, quæ levior, & ſpongioſior eſt, *Toſland* vocari. 6. Argum.

Huic ſeptimum addendum eſt argumentum, quod ex ipſis PLINII verbis colligitur. Ille Naturalis Hiſtoriæ libro decimo ſeptimo capite quarto ſic ſcribit. 7. Argum. Plin. lib. 17. cap. 4.

Nam Tophus *ſcaber naturâ friabilis expetitur quoque ab Autoribus.*

Ex inſtituto PLINIUS ibi de Regionum & Terrarum qaalitate agit; Terriſque Tophum annumerat, ut ex ſequentibus patet. VIRGILIUS & quæ *Filicem* ferat non improbat. Salſæque Terræ multo melius creduntur, ab animalium innaſcentium vitiis tutiores.

Porro, octavum argumentum OVIDIUS mihi ſuppeditat, qui ſecundo Faſtorum libro ita ſcribit. 8. Argum. Ovid. lib. Faſtor. 2.

Antra ſubit Tophis laqueata, & Pumice vivo
Garrulus in primo limine rivus erat.

Hinc clarè admodum patet aliud Tophum, aliud verò Pumicem eſſe; tum ex Topho antra laqueata dicit. Pluribus certè in locis apud SAXONES FRISIOS antra ad ſolum arenoſum uſque excavata, & Veneticâ Terrâ contecta videre licet, tuguria quoque, quorum margines & laquearia illa ex Terrâ Veneticâ exiccatâ conſtructa ſunt, conſpiciuntur.

CAPUT X.

Ceſpitis nominis origo. Ad quæ in Friſiâ, aliisve pluribus locis Ceſpitibus utuntur. Sagma unde deductum. Saxones non à Sacis orti. Scytæ quare Sacæ dicti. Sac, Saec, Sas &c. quid. Per Sagma quid intelligitur. Saxen, & Saxo quid denotant. Saxonici nominis origo. Saxorum mores. Saxones, Franci dicti, Friſii ſunt. Franeker unde dictum. Franci olim Germani vocati. Cimbrica gens olim quæ fuit. Inſignia Saxoniæ Ducum quæ. Saxorum vocabulum unde. Ducum.

cum Saxoniæ jus in Friſios quare venditum. Alberti Ducis à Groningenſibus petitio. Quæ inter Sagmina & Verbenam differentia. Clarigatio quid. Ceſpes vivus quid.

POſt TOPHI conſideratam PUMICISQUE Lapidis diſcrepantiam, ad Ceſpitis, Sagmatis, SAXONUM, FRANCORUM, aliorumque Nominum ſcaturiginem deſcendendum ſtatuo.

Ceſpitis nomen unde.

Itaque porro quod à prædictæ Terræ ſuperficie præſcinditur, vulgo *So* ſive *Sode* dicitur: Inde forſan Latinis deductum eſt *Ceſpetis* nomen quâdam duarum Scyticarum dictionum abbreviatione, ut *So* & *Spit*, poſtea nomen *Ceſpitis* latius tranſiit, imo etiam ad ſuperficiem à qualiscunque Terræ maſſâ abſciſſam.

Hinc forſan rectè VIRGILIUS *Ceſpitis* meminit, antiquiſſimum uſum, & qui hodie in FRISIA noſtrâ paſſim retinetur, inſinuans ubi externis moribus incorrupta manſit. Sic enim inquit.

Et nunquam patrios longo poſt tempore fines
Pauperis & tuguri congeſtum Ceſpite culmen.
Poſt aliquot, mea regna videns, mirabar, ariſtas.

Etenim hodierno adhuc die meâ in Patria tuguria ædificata multa videntur, quorum culmina *Ceſpitibus* congeſta teguntur, nec non ſarta baculis & *Salicis* vimine connexa firmantur.

Antiquiſſima hæc ædificorum extat ratio, minimique impendii, & quæ ſibi quiſque parare poteſt: Quinimo homines illo tempora cœleſtia magis quærebant, & vacui inanium curarum terrenas haud adeo curabant, ſumptuoſasque ædes, ac ſplendida palatia, qualia olim BABYLONII, & deinde ejusdem progeniei Opifices ſibi conſtuxerunt: Nempè cœlo propitio & univerſali potius admirabilique illi domo, quàm clauſis ſeptis, opaciſque cubiculis includi gaudebant, & unà omnes utilitati publicæ ſe conſecrabant.

Præterea, HORATIUS quoque *Ceſpitis* mentionem facit, dum rudem & antiquam ſacrificandi formam oſtendit.

Ita

Lapathum Acutum . *fol. 88 .*

Ita enim libro Carminum primo Ode canit decimâ nonâ.

Hic vivum mihi Cespitem, hic
Verbenas ponite Thuraque
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia.

Horat. lib. carm. 1. Ode 19.

Nam ex congestis *Cespitibus*, & aræ olim fiebant, & in FRISIA nostrâ passim adhuc sepulchra eriguntur, quæ quotannis vivo *Cespite*, vel quoties opus fuerit, renouantur.

Jam quoque porcorum haræ, & pauperum tuguria *Cespite* conteguntur, quibus non solum pecora, verum ipsi etiam homines excipiuntur, seque à Cœli injuriâ defendunt.

Ac hæc sedilia ex vivo *Cespite* alibi in Hortis, Campis, & juxta ædes; alibi etiam in ædibus, & maximè in tuguriis fiunt.

Multis quoque non est alia cibi mensa, quàm *Cespes* erectus, qui nihilominus hisce exiguis contenti, quietiores ac meliores DEI memores & æternæ salutis suæ vivunt, quàm qui marmora calcant, & altiora capitibus laquearia habent crustulata, variis Emblematibus distincta.

Quæ autem Terra profundior effoditur, *Sag* vel *Sagde* dicitur.

LATINIS restat *Sagmen*, & in Bibliis LEVITICORUM decimo quinto *Sagma* legitur: Quod nonnullis placet à secando Segmen, & postea Sagmen formatum esse, ipsi viderint. Levit. 15.

Etenim σάγμα GRÆCIS usitatum est, & nostratibus GERMANIS, nec à secando illud deduxerunt: Quod clarius fiet, cognituque jocundius, si altius paulo respexerimus. *Sac* namque saccum significat, omnibus ferè linguis notissimum vocabulum, & à quo ichneo *Sacci*, *Sagi*, *Saguli*, *Sagæ*, *Sagariæ*, *Sagenæ*, & reliquorum id genus derivationes manant. Sac quid denotat.

Quin imo in SACSONIA, & Saxonibus, idem vocabulum deprehenditur; quanquam SAXONES vel SASSONES scribatur: Origo tamen & Nomenclatura antiquissima SCYTICA ab ADAMO usque perseverat.

Neque SAXONES oriundos esse à *Saceis* existimo, ut libro Chronicorum tertio cum pluribus opinatus fuit CA-

Carion l. 3. fol. 286.

RION; quoniam nulla ratio probabilis de illâ originatione afferri in medium poteſt, neque ex genealogiâ conſtat.

Crediderim potius *Saxones* eſſe *Sacis* antiquiores, & Scytas ab Europæis Saxonibus in Aſiam tranſgreſſos denominatos eſſe SACAS.

Plin. lib. 5. cap. 32. Quia PLINIUS & multi alii Autores ſunt, *ex Europâ Myſos & Phryges tranſiviſſe, & quoque Thynos, à quibus Myſi, Phryges, & Bithyni appellantur.*

Simul dicendum videtur & de Galatiâ, quæ ſuprapoſita Phrygia agros majori ex parte tenet, caputque quondam ejus Gordium; qui partem eam inſedêre Gallorum Toliſtobogi, & Voturi, & Ambiani vocantur, ut teſtatur quoque JULIUS SOLINUS POLYHISTOR; Quamvis tamen Ambituti rectius, meo judicio, quibusdam in Codicibus legitur, id Clariſſimo etiamnum atteſtante in Solinum CL. SALMASIO, quos ex JULII CÆSARIS nec non AMMIANI MARCELLINI teſtimoniis Gallo-Belgicæ Populos Martinus Antonius Delrius fuiſſe exiſtimat. Hæ namque Gentes ex Europâ in Aſiam, atque alia Europæ loca plurima Aſiæ finitima tranſgreſſæ Regionem omnem à ſe occupata Galatiam dixerunt, ut folio octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo idem Nobiliſſimus ſuis in exercitationibus Plinianis ſcribit SALMASIUS: *Qui Mœoniæ & Paphagoniæ Regionem, Trogmi dicuntur: Prætenditur Cappadocia à Septentrione & Solis ortu, cujus uberrimam partem Tectoſages, & Teutobodiani occupavêre.* Quæ omnia GALLORUM nec non Gallo-belgicæ Gentium nomina ab illorum Ducibus originem primò traxerunt, atque inde Temporis progreſſi ipſa Galatia GALLO-GRÆCIA à plurimis etiamnum vocata legitur, ut libro Geographicorum duodecimo STRABO narrat.

Solin. Polyh. c. 43. fol. 150. Cl. Salm. in Sol. fol. 876. 877. Strabo lib. 12.

Jam verò Myſi, Brygæ, & Thyni omnes eas orbis Europâ partes obtinent, quæ Saxoniæ ſunt. Itaque verè SAXONES ex Europâ progreſſi, & SACÆ ſimpliciter tum dicti Scytiam Aſiæ invaſerunt, Sacarumque nomen retinuerunt.

Tac. lib. de Germ. morib. Alterum autem Argumentum eſt, quod CORNELIUS TACITUS ſubminiſtrat: Is libro de Germanorum moribus manifeſtò ipſos GERMANOS indigenas docet, minimeque aliarum Gentium adventibus & hoſpitiis mixtos.

Verum GERMANORUM Regionem circa Amaſim, Viſurgim

ſurgim & Albim fluvios latiſſimè patentem nomine SAXONIÆ Inſignem eſſe alibi latè demonſtratum eſt. Ita ut conſtet SAXONES (quos nunc variis nominibus diſtinximus, & *weſtfalos*, *Oſtfalos*, *Friſioſque* mari vicinos verè SAXONES vocamus) potiſſimum Germaniæ Populum eſſe. Saxones qui.

Si itaque GERMANI indigenæ ſunt, nullo modo SAXONES à Scytis, Saciſque dictis, Saceiſve oriundi ſunt, nec SAXORUM filii nuncupari poſſunt. Atque adeò veritati diſſentaneum eſt, ut contrarium aſſerere, ac re ipſâ comprobare ſit difficillimum. Verum nunc expatiari nolo.

Nominis tamen rationem non omitam, ut quæ hujus rei veritati non parum ſuffragatur.

Quemadmodum verò *Sac* ſaccum: Ita *Saec* gladium, ferrumque acutum rebus ſcindendis, ac corporis defenſioni aptum: *Cniff* ſive *Cnyf* cultrum quotidianum, non longum, ſed latum & acutum in Friſiâ noſtrâ linguâ, & *Sas* per cataractas Aquæ defluentis locum ſignificat: *Saes* verò ſalcem, *Saicht* ſeculam, *Sache* ſive *Sage* ſerram: *Saece* ſive *Saeke* cauſam controverſam, quæ poſt prout quis eâ utitur, vel ſe gerit prodeſſe vel nocere gladii inſtar poſſit, cujus uſus honeſtus & neceſſarius; abuſus autem noxius eſt. Saec quid. Cnyf quid.

Præterea, *Ax* quoque gladium vel ſecurim denotat, quâ hodie adhuc omnes fabri linguarii in operibus ſuis utuntur, eam *Axe* ſive *Axe-byl* ad alterius ſecuris vulgaris differentiam vocantes: Inde Latinis etiam Aſcia dicta. Axe quid.

Porro quod COELIUS RHODIGINUS annotavit ſcuti thecam dici *Sagma*, *Ariſtophanis* interpretis Autoritatem adducens, qui in Comœdia ita: *τὶς γόργον ἐξέγειρεν ἐκ σάγματος: Quis Palladis clypeum, in quo Gorgonis ceu Meduſæ caput, è ſcuti thecâ* (hoc eſt bellum) *excitavit.*

Per *Sagma* quoque omnis armatura apud Antiquos intelligitur, ut ex SOPHOCLIS verſu manifeſtè conſtat. Inde *Sagman* armatus homo, & ſagittæ, ac ſagittarii dicti ſunt. Sagman quid.

NICOLAUS verò RIGALTIUS in ſuo Gloſſario hoc modo ſcribit. *Σάγμα, θήκη, ἢ ὅπλα; Sagma, onus, ſarcina.* Et MAURITIUS IMPERATOR 1. Strategic. capite ſexto: *ἵπποις σαγματαρίοις; Caballus Sagmatarius.* Nicol. Rigalt. in Gloſſar.

Cæterum *Saxen* vocantur populariter illi, qui induti ſunt

ſaccis, vel eo veſtis genere, quod ſacci formam retinet; Latini Sagum & Sagulum vocant, gladiiſque ſemper aſſueti ſunt: Quales quidem ſunt, quos hodie SAXONES tum de cauſâ dicimus; tum etiam quod falcatos gladios ſecuris inſtar gerunt, quos *Saxen* dicunt: Quod teſtatur GOTOFRIDUS VITERBIENSIS parte decimâ quintâ, ubi ſic:

Gotof. Viterb. part. 15.

Ipſe brevis gladius apud illos Saxo vocatur,
Unde ſibi Saxo nomen peperiſſe putatur.

Inde quoque Antiquiſſimis hiſce in verſibus (à Belgâ, qui de Sancto AMNE Colonienſi Archiepiſcopo varia in LUCEM memoranda protulit) annos ante quingentos & quod excurrit Germanicè conſcriptis hoc modo confirmatur.

Von den Mezzeren alſo Wahſin
Wurden ſie geheizen Sachſin.

De hâc porrò veritate dubitabit nemo, qui præſertim antiqua Friſiorum ſcripta avidè perſpexit, in quibus hoc inter alia memoratu dignum occurrit. ENGISTUM Friſiæ Principem feliciter in Britanniâ bella gerentem ſuos, ne illud caperent Britanni, Friſicè compellaſſe Friſios:

Nimmet oure Saxen.

Hoc eſt: *Trekt uwe meſſen of Houwerkens:* cultros veſtros ſtringite falcatos.

Withik. lib. 1.

WITHIKINDIUS etiamnum, qui OTTONIS ſecundi Imperatoris tempore floruit, atque Saxorum facta Heroïca ſcriptis promulgavit libro ſuo primo idem veritati ſubjecit. Quod præter hos quoque rerum Friſicarum plurimi fide digni ſcriptores conſtanter affirmant.

Aliam tamen nominis Saxonici originem in Tractâtu de Vitis Oddonum adfert HEROSVITHA MONIALIS; ubi ſic.

Herosvith. Monial. de vit. Oddonum.

Juſſit Francorum transferri nobile regnum,
Ad claram Gentem Saxonum (nomen habentem
A Saxo) per duritiem mentis benè firmam.

Sed illud nihil, niſi mera & vana eſt ſpeculatio. Nam videmus hoc pluribus de cauſis talibus gladiis inſtructos eſſe, & armis exerceri.

Primò,

Primò, quia contra æſtum & Oceani impetum armatâ manu, armatoque corpore ſaccis duris, coreaceis tegumentis, loricisque, & ocreis, tum furcis, gladiis, ligonibus, haſtis, claſſe & curribus dum aggeres reparant, & tuentur quotannis depugnare coguntur.

Tum quia oportet propter ingentia frigora depellenda in maximâ copiâ armatis & ferreis inſtrumentis hanc Terram Veneticam effodere, & inſolando, verſando, ventiſque exponendo exiccare, ut ex illâ ignes faciant.

Quâ de cauſâ gladiis, ligonibus, furcis, ſpathis, clypeis, & tormentis minoribus ſive ſclopetis armati tanquam ad bellum profecturi quotidie magni Virorum & fœminarum exercitus exeunt.

Ad quorum quinque armorum generum geſtamen, illorumque perpetuam ad manus promtitudinem, corporis contra hoſtes defendendi, & Maris ferociſſimi impetus aptè reſiſtendi cauſâ, FRISII omnes Legum à ſe conditarum vi, in perpetuum quondam obſtricti incedebant, quod ex Antiquiſſimis FRISIÆ Legibus titulo de Jure *Freſena* & *Schelta*; Sic & ejusdem ſententiæ Lege alterâ, quintâ ſcilicet in conſtitutione à CAROLO MAGNO, Magno FORTEMANNO Friſiorum Duci poſt captam Romam tradita, clarè ad oculum demonſtrari permittitur.

Legum Friſicar. titulo de jure Freſena & Schelta. Leg. 5. in conſtitutione Caroli Magn.

Deinde cibi quoque cauſa Terram exercere quotannis impelluntur, quæ quùm non ſit adeò fæcunda improbo labore evincènda eſt, ut Cerealia & Leguminoſa producat. Cujus quoque cauſa Ligones, falces, gladios virgultis exſcindendis, maxima aratra, furces bidentes & tridentes, nec non graviſſima inſtrumenta habent ruſtica, iisque inſtructi in campos quotidie exeunt. Adde huc quod meſſis tempore falcibus, & ſimilibus armati ſub dio verſantur.

σαίτω, ἄξω, onero, cumulo, aggerem facio, jugum impono, conſtipo, refarcio.

Si quid deinde otii ab Agricultura contigit, id armatu manu rurſus eſt impendendum aquæductibus, foſſis, aggeribus, effodiendæ Terræ, ſecandis lignis, atque ædium reparationi.

σάγμα, acervus, cumulus, congeſtus Ceſpes, congeries.

Continuam omitto neceſſitatem materiam in uſum ſternendarum viarum ſecandi, firmandorum pontium, aggerum, Cataractarum, per quas *Ceſpites* ſive *Turfæ* navibus impoſitæ propinquiora in loca devehantur, motuum Maris impetui objiciensaxorum mores.

ciendarum, fabricandarum navium, horreorum, ædium, plaustrorum, rhedarum, instrumentorum rusticorum, & similium.

Nunquam enim externis rebus importatis uti solent, quas domi elaborare possunt. Quisque suum sibi, familiæque potum, panem, cibumve faciebat, suo lanificio, & linificio prospiciebat.

Quos mores hac mea ætate & longè ante mutatos plurimum esse animadvertimus.

Quintò propter rerum suarum defensionem armatos fuisse deprehendimus, & armis uti oportuit, quia nullis aut paucis Legibus consuetudine magis quàm scripto receptis usi sunt, easque pro arbitrio, vel pro necessitate mutandi illis jus fuit, nec unquam servitute quadam à PRINCIPE vel Præfecto se premi ferebant : Sed necessitate urgente omnia voluntariè, atque proprio motu ultroneæque oblationis affectu fiebant.

Antiqua Frisiorum libertas.

Populus autem Libertatis studiosus nullis Legibus coërceri potuit, se FRANCOS id est liberos vocaverunt. Quare vetus FRISIORUM institutum fuit, ut omnes æquali jure gauderent, nulloque modo muniri Civitatem, aut validas arces extrui paterentur, ne in illis habitantium major, quàm cæterorum suis in Pagis commorantium dignitas emineret. Tandem tamen Potentissimis consensu communi concessum, ut *Burgos* ædificarent, eosque inhabitarent, seque contra externorum vim defenderent. Unde *Burgundi* & *Burgundiones* appellabuntur, qui & hodierno die in Gallia id nomen retinent. Illorum verò incolæ *Burgers*, Præfecti autem, & Rectores Burgi-comites, *Burgh-Graven*, & *Burgemeesteren* vocabantur. Quare ob frequentes hosce olim Burgos, *Burgundia* dicta. Vocabulum verò *Burg*, ædes basilicè ædificatas fossâ, muro, vel vallo munitas significans, & hodie omnium in ore versatur, atque scriptis promulgatum extat.

Francorum nomen quid.

Burgundorum, & Burgundiæ nominis origo.

Burger, Burghgrave, Burgemeester, & Burgh unde & quid.

Avorum quin imo ætate, ob communem metum ac periculum belli à CAROLO Burgundiæ Duce octavo, Groningæ Saxiæ Civitatis incolis indicti, plurimorum Frisiorum, Drentinorum, nec non ipsius Villæ Groningensis incolarum consensu, junctis viribus & amicitiis, muro tandem & vallo muniri cœpta est: Eâ tamen lege, ut qui in pagis habitarent, cum GRONINGÆ civibus communi & antiquo jure, libertate,

nec

nec non Sociorum appellatione gauderent. Quamquam id antea sæpius à Groningensibus irrito conatu fuit tentatum, dum à bellicis Drentinorum clavis, ac munitis ferro contis, Frisiorumque maritimorum securibus & lanceis cœptis operibus desistere compulsi fuere.

Strenuè postea Religionem coluerunt Christianam, ut quæ tranquillitati, & libertati esset conservandæ. Deinde iidem adeò armis libertatem tutati sunt, & suas res defendere assueverunt, ut in Proverbium tandem abieret, *Francum amicum habeas, non verò vicinum.* Proberbiũ.

Omnis enim Saxonicus Populus maximè circa Rheni fluminis ostia, Amasim, & Visurgim Germaniæ fluvios habitans, olim FRANCUS fuit, & aliquot adhuc Pagos Franci nomine insignes obtinet, Oppidumque adhæc in Frisiâ Occidentali *Franecer* nunc *Franeker* hodie re & nomine liberum restat, quamvis istius Urbis nomen nonnulli à *Froon-akker* non malè deductum existimant. Franeker unde dictum.

Super Mœnum fluvium Meridiem versus FRANCI de se Francofordum, Gentemque Francorum adhuc ibi dictam & super Oderam Fluvium Orientem versus etiam aliud insigne Oppidum Francofordum condidêre, versus Occidentem Galliæ Regnum occupavêre, ac de se Francricum, mox Francorum Regnum, inde alii puriùs loquentes Latinè Franciam dixerunt.

Qui verò diligentissimum PROCOPIUM Equestris dignitatis Virum rei hujus peritissimum, Autoremque sagacissimum legerunt, illos hæc latere non putem; ille enim JUSTINIANO IMPERATORI à libellis, eidemque in omnibus Bellorum eventibus comes individuus feræ hæc Posteritati reliquit. Procopius citatur.

Ubi Rhenus in Mare Germanicum præcipitatur, sunt non modicæ paludes, ubi primitus Germani habitabant, Gens Barbara, nec magni tunc momenti Viri, qui nunc Franci appellantur. Iis finitimi Arborici erant.

PAULUS verò OROSIUS ubi de Imperatore VALENTINIANO agit, hunc in modum libro suo septimo scribit. Paulus Oros. l. 7.

Valentinianus Saxonum Gentem in Oceani littoribus, & paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem periculosam Romanis finibus

nibus eruptionem magnâ mole meditantem in ipsis Francorum finibus oppressit.

Trebellius Pollio citatur. Saxones Franci quoque dicti.

Et TREBELLIUS quoque POLLIO in PROBI CÆSARIS vita FRANCOS ait *in inviis paludibus sitos.* Id quod de Saxonibus PAULUS OROSIUS retulit.

Sic & Antiquissimns, nec non Graviſſimus Hiſtoriographus EGESIPPUS, obſeſſâ à Romanis Hieroſolymâ, JOSEPHUM inter alia, à poſtremis mœniis, prioribus ad fundum everſis, nonnihil remotum, TITI Imperatoris juſſu, noto Judæis Civibus alloquio hoc compellando enarraſſe ſcripſit.

Egesipp. de Bello Judaica lib. V. cap. XV.

„ Quid vobis cum univerſæ Terræ Victoribus, quibus O-
„ ceani ſecreta, Indiæque patent extrema? Quid Britannias in-
„ terfuſo Mari toto ab orbe diviſas, atque à Romanis in Terra-
„ rum Orbem redactas attexam? Tremit hos Scotia, quæ Ter-
„ ris nihil debet. Tremit paludibus inacceſſa, atque inviis ſep-
„ ta regionibus SAXONIA. Quæ licet belli curam augere
„ videatut, ipſaque frequenter captiva Romanis acceſſerit
„ Triumphis. Validiſſimum hominum genus, & cæteris præ-
„ ſtans perhibetur: Myoparonibus nihilominus piraticis, non
„ verò viribus nititur, atque inde fugæ potiùs quàm bello para-
„ tum.

Hiſce autem paludibus profundis nullæ alibi reperiuntur majores, quàm ubi Rhenus in Oceanum ſeſe exonerat, in Friſia nimirum Occidentali, Groningenſi, Amaſonicâ, Viſurgianâ & Albianâ: Quare & eos ἀξανδς, SAXONES & FRANCOS olim fuiſſe neceſſe eſt.

Agathius adducitur.

AGATHIUS præterea Autor Græcus, qui JUSTINIANI Imperatoris temporibus ſua ſcripta orbi communicavit, FRANCOS *à Veteribus Germanos eſſe dictos* narrat, *quod ex eo utique ſatis liquet.*

Hi enim circa Rhenum habitant, ejusque propinquas incolunt partes, Galliarum quoque maximam nunc Regionem, non propriam, ſed vi & armis impoſterum occupatam poſſident. Habent præterea Maſſiliam Ionum olim Coloniam. Hæc ille.

Tacit. de German. moribus.

Hic profectò Populus Septentrionalis armis adeò ſemper fuit deditus, ut CORNELIUS TACITUS de Germanorum moribus verè ſcripſerit. *Nihil autem neque publicæ neque privatæ rei agunt miſi armati.* Et paulo poſt de CAUCHIS, qui maritimam

mam Saxoniam, & circa Amasim, & Visurgim fluvios mediterraneam incolunt, sic inquit. *Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, plurimum Virorum, equorumque exercitus; & quiescentibus eadem Fama.* Rursus idem. *Genus spectaculorum,* inquit, *unum atque in omni cœtu idem: Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt; exercitatio artem parat, ars decorem, non in quæstum tamen aut mercedem; quamvis audacis lasciviæ pretium est voluptas spectantium.*

Quod sanè exercitii genus adhuc FRISIÆ nostræ pluribus in Locis Nundinarum, ac Bacchanalium temporibus celebre est. OVIDIUS NASO libro Tristium quinto Elegiâ octavâ hoc modo scribit.

Ovid. lib. Trist. V.

Turba Tomitanæ quæ sit Regionis, & inter
Quos habitem mores, discere cura tibi est?
Mista sit hæc quamvis inter Græcosque Getasque
A malè placatis plus trahit ora Getis.
Sarmaticæ major Geticæque frequentia Gentis
Per medias in equis itque reditque vias,
In quibus est nemo, qui non goriton & arcum,
Talaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus verissima mortis imago,
Non coma, non ulla barba resecta manu.
Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro,
Quem junctum lateri barbarus omnis habet.

Saxónes, & Frisii verè Cimbri dicuntur.

Certè SAXONES, quibus FRISIOS etiam annumero, Gentem verè CIMBRICAM, acrius adhuc cœlo, soloque, ut TACITUS inquit, animantur, & armantur, semperque gladium lateri junctum habent, vel securim, venabulum, hastam, furcam, aut simile instrumentam militare gestant; atque induti saccis incedunt.

Valer. Maxim. lib. 2. c. 6. Antiqui Cimbror. mores.

Hi, *olim in acie,* teste VALERIO MAXIMO, *tanquam gloriosè & feliciter vitâ excessuri, exultabant; in morbo* contra, *quasi turpiter ac perituri miserabiliter, lamentabantur.* Quare illorum animi præstantiam celebravit idem Autor.

Porro Cimbrica Gens olim quæ fuit nisi Saxonica; tum

Gothica, Wandalica, inde Hunnica, poſtea Anglica, dein Longobardica, hinc Francia, demum SAXONICA? Quæ armis ſemper ferè victricibus ſuperior omnia olim invaſit: Ita etiamnum à Bellis otioſa non eſt, licet multis cladibus oppreſſa, & à ſe quaſi avulſa conſpiciatur: Etſi ubique ſtipendia mereatur, & omnia ſe velle depopulari minitetur. Unde à vitæ genere & moribus verè olim SAXFRISII & SAXONES nuncupati fuere.

Saxfriſii.

Quin-imo ipſorum Saxoniæ Ducum antiquiſſima hæreditaria & vere in hunc quoque diem τεκμήριον (fide dignum teſtimonium) VICTORIARUM & bellicæ virtutis uſitata inſignia duo Juſtitiæ gladii ſunt, Friſiis vulgò, ut modò monitum, *Saxen* dicti, ſectione in campo obliquè juncti, cujus medietas inferior nigra, & ſuperior candida eſt. Imperio rerum haud rarò potiti ſunt, & Saxoniæ DUX prætorii Imperialis Princeps, Imperiique præfectus nuncupatus, inter Electores ſæculares primum locum obtinet, ſacroſancto & antiquo inſtituto, legitimè confirmatus.

Ducum Saxoniæ inſignia quæ.

Si verò quis ad loca paluſtria, lacus, & planas Aquarum cataractas reſpexerit, & quæ *Saſſen* vulgari idiomate (ut in præcedentibus ex parte dictum) tanquam Aquarum Sacci vocantur, nuſquam gentium illa profundiora, plura, majoraque eſſe deprehendet, quam in SASSONIA, hujuſque haud contemnendâ portione FRISIA: Sive ad Terrarum planitiem, & loca campeſtria iterum quis oculos converterit, quæ *Sacſen* vel *Saxen* quoque vocantur, quod ſacci inſtar preſſa inexplanataque jaceant, & undique continuo aſpectui pateant: Unde & LATINI SAXORUM vocabulum ſolidæ planæque & continuæ rei ſubterraneæ attribuiſſe videntur: Is nuſquam planiorem magiſque Campeſtrem Terram eſſe inveniet, quàm in Saxfriſia noſtrâ.

Saxonum vocabulum unde.

Cujus tamen gubernatio integra Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo ALBERTO Saxoniæ Principi ab Imperatore MAXIMILIANO die vigeſimo Julii data & in perpetuum conceſſa eſt, quam tamen FRISII, ut GENS LIBERA, nullique mortalium, ſed ſoli DEO ſubjecta, reſpuentes, ſui juris manere, atque ALBERTO, nec non hæredibus ejus reſiſtere conſtituerunt, qui, dum indige-

narum

narum diſcordiâ nihil præter exiguam Friſiæ partem tandem acquirere potuerunt; quam tamen Bellorum diuturnitate feſſi; ſervandæ impotentes, jus ſuum Anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto CAROLO Auſtriaco, PHILIPPI filio, Hiſpaniarum PRINCIPI centum mille aureis venundedêre.

Saxoniæ Ducum jus in Friſios venditum.

ALBERTUS quoque CRANTZIUS in ſuâ Saxoniâ & Metropoli negotium hoc uberius proſequitur.

Albertus Crantzius profertur.

Quod nempe Superioris Saxoniæ Duces Friſicum fœdus & amicitiam ſervaverunt, tam diu ornamentum, ſuæque familiæ baſim ac potentiæ haud exiguum momentum habuêre.

Poſtquam verò amicitiam in ſervitutem convertere conati ſunt, & fœdere & adminiſtratione excidère, nec non vires ſuas perdidêre.

Acceſſit huc eorum, qui Chriſti Religioni præerant, avaritia, ac deteſtabilis vita, tum aliorum mutua contentio, nec non inteſtina dominandi libido, idque prævaleſcentibus quorundam opibus, & nonnullarum Civitatum munimentis admiſſis, arcibus quoque validis in Popularium oppreſſionem ædificatis.

ALBERTUS quidem Saxoniæ Dux Groningenſes ut ſuæ ditionis homines & Saxonicum Populum, bello invaſurus Civitatem obſedit. Verum paucis poſt diebus plumbeæ glandis è tormento majori emiſſæ ictu læſus, à Groningenſibus petiit (magna privilegia liberaliter promittens, & adhuc majora offerens) ut in Civitatem receptus à Chirurgo curaretur, qui tum publicis ſtipendiis conductus ob artis ſuæ experientiam mirum in modum commendabatur. Habuit certè Reſpublica illa tunc temporibus, ut & hodie Viros omni doctrinæ genere, omniumque artium Celeberrimos, & nimium fœlix, ſi, quod VIRGILIUS agricolis imprecatur, ſua bona noſceret, atque privatum commodum publicæ utilitati poſtponeret.

Ducis Alberti à Groninganis petitio.

Hoc tamen auxilio Duci denegato, Emdam tendens in Amaſis fluvii trajectu, quem PLINIUS Amaſium vocat, fatis ceſſit, ejuſque viſcera ibi in ſummo templo ſunt condita ſepulchro, affixa lamina ex ære ductili quæ SAXONIÆ inſignia, & ad æternam rei memoriam hoc continet Epitaphium.

Siſte precor gradum qui tranſis iſta viator,
Alberti Ducis Saxoniæ primi Gubernatoris
Friſiæ hic exta quieſcunt.
Qui poſt Sycambros, Friſiosque Triumphos Victor,
Principibus timor, Gentibus tremor fuit.
Obiit peſte febrili, ex Groningenſium obſidione
Sub Hyemem fugiens, hic exta remanere voluit.
Corpus Aromatibus conditum in Oppidum Saxoniæ
defertur.

Saxonēs non à Sacis deducti.

Quamobrem longè errant illi, qui Saxones à Sacis deducunt. Nec res hæc ipſos Saxoniæ PRINCIPES latere poteſt, utpote qui Genealogias MAJORUM ſuorum longiſſimas & certiſſimas, rerumque geſtarum annales, & Chronica poſſident, tametſi omnia edita non ſint: Nec ſcilicet Populus talia curat.

Feſtus Pompejus citatur.

Verum ad *Sagmina* redeo, quorum ratione ab inſtituto nimium ſum digreſſus, ut quæ plurimos & ferè omnes hactenus latuerunt, atque indiſcuſſa jacuerunt, in Lucem revocem.

FESTUS itaque POMPEJUS *Sagmina* VERBENAM interpretatur; quâ coronati Pater Patratus, & Fæciales, vel cum hoſtibus fœdera pacturi, vel iis Bella denunciaturi à Republicâ mittebantur.

Unde inepti nugantur Grammatici, *Sagmina* ἱεροβοτάνικὰ, vel θεισεφόνα Herbam ſignificare, quàm Latini VERBENAM vocant.

Plin. lib. 22. cap. 2.

Aliter PLINIUS rem exponit, qui rectè libri ſecundi & viceſimi capite ſecundo ſic refert.

Interim, inquit, *fortius augetur Autoritas, quæ quanta etiam debeatur ſurdis, hoc eſt, ignobilibus Herbis perhibebitur. Siquidem Romani Imperii Autores, Conditoreſque immenſum quiddam & hinc ſumpſêre; quoniam non aliunde Sagmina in remediis publicis fuêre, & in Sacris, Legationibusque Verbenæ.*

Sequitur apud PLINIUM. *Certè utroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt Gramen ex arce cum ſuâ terrâ evulſum, hâc ſemper & Legati cum ad hoſtes, clarigatumque mitterentur uſi, id eſt res ruptas clarè repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur.*

Non

Non dicit PLINIUS *Sagmina* VERBENAS denotari, ſed *Sagmina* Gramen ex arce cum ſuâ terra evulſum ſignificare. Vox namque *Sagminis* generalis eſt, maſſamque Terræ effoſſam notat, non Herbæ genus, ut multi falsò putaverunt: Fiebat namque Senatus conſultum in hæc verba, *ut privas Verbenas privosque Lapides prætorem poſcerent Fœciales, qui Verbenam ex arce, & Sagmina, ac Lapidem Silicem ex Templo* JOVIS *Feretrii daret.* Hic patet aliud VERBENAS, & aliud eſſe *Sagmen.*

MARTIANUS Jureconſultus in rerum diviſionibus teſtatur, quod *Sagmina ſint Herbæ, quas Populi Romani Legati ferre ſolebant, ne quis eos violaret.* Martianus tit. de rerum diviſionibus.

ALEXANDER ab ALEXANDRO Genialibus in libris ejuſdem eſſe Sententiæ videtur. Alexand. ab Alexand. Cen. Libro.

Verum his profectò ſubſcribere non poſſum: Quia nullum Herbæ genus eſt, quod à PLINIO, aut ab ullo Autore Latino vel Græco *Sagmen* vocetur. Tum quod MARTIANUS ait plures Herbas eſſe Sagmina, falſum eſt. LEGATI enim nullam aliam Herbam, quàm VERBENAM deferebant, utpote quâ cum faſcia vel lanæ filo caput velati coronatique eſſent: Quamvis olim Myrto uſi fuerunt. Martianus refutatur.

Verum id factitatum eſt, antequam VERBENAM uſurparent.

Tertiò, quoniam ex Senatusconſulto hæc tantum dabantur, ut *Verbena* ad coronam, ex arce *Sagmina*, ſilex Lapis, & ſceptrum cum mandalis.

Quartò, quia ex ritu res repetendi ſatis patet, quid SAGMEN ſit. Tum enim obſervatum eſt, Populi juſſu Fœciales ſive quatuor Oratores nuncupatos fuiſſe, qui *Verbenâ* coronati res petitum proficiſcerentur, Deosque fœderum teſtes ultores facerent. Ex quibus VERBENARIUS Gramen cum terrâ evulſum ex arce farebat, legatuſque lanæ filo capite velato res ſibi dari clarâ voce poſcebat; quæ his verbis CLARIGATIO dicta eſt. Clarigatio quid.

JOVEM *ego teſtem facio, ſi ego impiè injuſteque res illas Populo Romano dedier, mihi expoſco, tum Patriæ compotem nunquam eſſe ſinas:* Quæ ſi præſtituta die non darentur poſt tres ac triginta dies, qui ſolennes erant, PATRATUS PATER, qui FOECIALUM PRINCEPS, coronatus pariter Bellum indicebat, ca-

put & frontem Verbenâ à Fœciali cinctus; quemadmodum etiam percutiendi fœderis, aut denunciandi belli Princeps electus eminebat.

Adde Plinium *Sagmina* esse Gramen ex arce cum suâ terrâ evulsum asserere: Hoc idem est si convertatur, *Sagmina* terram cum suo Gramine ex arce evulsam esse.

Sagmen quid propriè.

Unde perspicuum est, massam Terræ effossam vel evulsam, aut erutam sive cum Gramen, sive citra Gramine *Sagmen* proprie dici. Sed de his alibi suo loco: Ne extra Oleas divagari conspiciar, ad pensum recurro. Satis enim hic genuinam Sagminis significationem attigisse, nec non à Sagmine VERBENAS distinxisse videor.

Subjicicio itaque, Terram *Veneam* vel *Veneticam* dictam Ericæ similem, & radicem serpentibus fibris plenam, optimos *Cespites* foco instruendo & alendo submINistrare.

Ad quorum certè Cespitum similitudinem etiam illud, quod ex alterius Terræ, superficie præscinditur, CESPES dicitur: Qui Gramine viridi vestitus, vivus vocatur. Hi ab omnibus *Soden* plerumque, vel *Plaggen* dici jam olim cœperunt, qui verò ex Ericæ terrestris superficie præscinditur *Schokken* appellantur, quique ad ignem alendum à paupertinâ plebeculâ æquè quàm ad tegenda ædium culmina, mortalium sepulchra, atque alia adhibentur.

Cespes vivus quid.

Verum quùm *Cespes* Venaæ Terræ muniendis ædium culminibus, & tuguriis, atque laquearibus faciendis sit idoneus, nec non olim ac hodie in multis FRISIÆ locis evenit, in *Westerwoldiâ* præsertim & *Drentiâ* huic usui destinatus habeatur: Meam de TOPHO conjecturam confirmo, & certe Tophi aut Tophaceæ Terræ nomine eam, quæ nobis *Ven-erd* sive *Veen-eerde* & *Veen-grond* dicitur, à PLINIO significari credo: Idque eò magis, quoniam ex hâc quoque Terrâ *Sagmina* effodiuntur, vel evelluntur, aut ipsis manibus luto compresso formantur: Quemadmodum iis in locis, ubi hanc Terram humidiorem nacti sunt incolæ, levi opere & operâ rem conficiunt, accidisse videtur.

Lego enim apud PLINIUM, CAUCHOS *ventis magis, quàm sole captum manibus lutum siccare*, quo luto, quoque Terrâ ignes faciunt, & sua corpora calefaciunt: Ubi notandum est,

PLI-

PLINIUM Morinam Terram, Veneamque quidem vidisse, verum *Lutum* dixisse hoc loco & Terram; neque exiccatæ aliud nomen proprium dedisse, & quatenus eam Terram coli vidit, Tophaceam putavisse, qualis etiam in Flandriâ Galliæ Belgicæ Provinciâ apud Morinos est, & quos olim BRITANNI prope Gessoriacum, Iccium portum olim, nunc Caletum dictum, & Brabantiæ Campinienses *silos* vocabant. Verba hoc loco PLINII adscribam. Carion lib. 4. fol. mihi 374.

„ Sunt vero & in Septentrione visæ nobis Gentes Caucho- Plin. l. 16. cap. 2.
„ rum; qui Majores, Minoresque appellantur. Vasto ibi meatu
„ perpetuis bis dierum, noctiumque singularum intervallis ef-
„ fusus in immensum agitur Oceanus, æternam operiens re-
„ rum naturæ controversiam, dubiumque Terræ sit in parte an
„ Maris; illic misera Gens tumulos obtinet altos; aut tribuna-
„ lia manibus structa ad experimenta altissimi æstus, casis ita
„ impositis, ut navigantibus similes sint, cùm integant aquæ
„ circumdatæ, naufragiis verò cùm recesserint; fugientesque
„ cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem hos
„ habere, non lacte ali, ut finitimos: Ne cum feris quidem di-
„ micare contingit omni procul abacto frutice. Ulua & palu-
„ stri jonco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia: Cap-
„ tumque manibus lutum ventis magis quàm sole siccantes.
„ Terrâ cibos & rigentia Septentrione viscera sua urunt.
Hactenus ille: Ex cujus verbis patet, Lutum & Terram ignis causâ exiccari.

Quo nomine propriè illud Lutum, illaque terra sit distinguenda, nemo hactenus tradere aggressus est: Quum de minimis vermibus & Insectis commentati, ac de culice elephantem facere multi & maximi AUTORES gravati non fuerunt: Quoniam in Naturæ contemplatione nihil videri potest superfluum, & nusquam NATURA magis tota est, quàm in minimis. Si idcirco hujus Terræ speciebus enarrandis inhæsero, non improbabitur, nec fastidio dignum reputari debebit.

CAPUT

CAPUT XI.

Unde BRUCTERI *dicti. Veneæ & Morinæ Terræ ſpecies quot. Ceſpitum genera, illorumque Nomina varia. Morinæ & Veneæ Terræ color, ac præparatio. Unde Mori vocati. Friſia quo tempore Occidentalis dicta. Terra Venetica quo anni tempore effoditur. Lutum Plinii quid. Vuiren quid. Dura neceſſitas quid perficit. Hodierna Friſiæ & Antiqua Inſignia quæ. Torven, Torf-land & Venne quid. Ubi BRITANNICA inventa. Veterum BRITANNICÆ deſcriptio.*

QUæ hactenus inter SAGMINA & VERBENAM diſtinctio, quæ olim apud Romanos clarigatio, quidque Ceſpes vivus ſit, annotavimus: Nunc verò de Veneæ & Morinæ Terræ ſpeciebus a colore, omnibusque Ceſpitum generibus, nec non effodiendi Tempore, pluribuſque dicturi ſumus.

De omnibus itaque Septentrionalis Plagæ Terris, quæ notæ ſunt, una eſt Bituminoſæ naturæ ac igneæ, utpote alendo igni accommoda, & vulgaris materia.

Hujus ingens copia à DEO OPTIMO MAXIMO Septentrionali EUROPÆ parti data, integras ac immenſas paludes replet, unde à multis paluſtris Terra dicitur.

Bructeri unde dicti.

FRISII adhuc noſtri uſitato nomine antiquiſſimo *Bruc* & *Broek* nominant, indeque incolas *Brucſters*. Romani enim Scriptores PRISCI paucis immutatis litteris eos BRUCTEROS appellant.

Deprehendo autem duas ejus generis Terræ ſpecies, ut *Veneam*, & *Morinam* nomine Latinis uſitato utroque in Phenicibus, Fenis, Venetis, Pœnibus, & in Morinis.

Hæc nigrior, gravior, denſior imas partes petit: Illa candidior, levior, & rarior ſummas, & Cimbricâ interpretatione juvenum naturæ inditum nomen obtinet, haud paucis in Locis FRISIÆ utraque tali ordine cohæret, ut VENERIS Symbolum

Lapathum Longi- folium Crispum *fol. 104*

bolum repræſentare demonſtrari poſſit, ſi hâc de materiâ agere mihi allubeſceret.

Alibi tamen *Venea* ſola eſt, & eam Avena, vel alterius generis Terra ſuſtinet, vel cœno aquoſo innatat.

Alibi *Morina* ſola, & ferè ſubjectam habet arenam.

Verum tum adhuc *Morinam* duûm generum Terram invenio, unam nimirum corpulentam, eamque maſſam densè compactam, ex cujus interioribus viſceribus optimi *Ceſpites* ſive Torfæ laterum coctilium duritiem habentes effodiuntur, vocanturque vulgò *Harde-Torff* vel *Harde-Turf*, à quibusdam verò in Agro Groningenſi *Klyn-Torf*, qui plerumque cæteris minores paulò, ac graciliores, verum magis compacti nihilominus ſolidiores, durabiliores, atque notæ melioris inveniuntur: *Klyn* enim Saxonicè corruptam, compactam & ſolidam Terram Veneam denotat, inde *Klyniaci Ceſpites* denominati. Alteram verò cœnoſam & fluidam, cujus quoque extracti CESPITES *Harde-torven* dicuntur quidem, at tamen non adeò durè glutinoſi, nigri vel graves, verum ſegmentis virgultorum intermeantibus & paluſtribus cannis interſici, gravitate mediocres, ac promiſcui uſus ſunt.

Torfæ.

Harde-Torf.

Klyn-torf.

Klyn quid Friſicè denotat.

Gemeinne Harde-Torf.

Atque ita *Venea* quoque altera eſt molem habens, è quâ producti CESPITES à pluribus expetiti, admodum fungoſi, valdè leves, ac rufeſcentis coloris ſunt, atque ab omnibus *Lichte-torven* dicuntur, quapropter cereviſiariorum cortinis, aut coquorum clibanis inſerviunt: Altera lutoſa, cujus CESPITES omnium leviſſimi ac viliſſimi exteriori Terræ ſuperficie inhærent, & à plebis paſſim fece *Graauwe-torf*, *Witte-torf*, vel etiam hic GRONINGÆ *Toverſchen*, Latinè præſtigiatrices appellantur, quoniam ſub veri ſpecie illud eſſe demonſtrat, quod revera non ſunt, legitimi ſcilicet ac boni CESPITES; quare plerumque negliguntur, aut replendis evacuatis Ceſpitifodinis, vel comburendâ calce, aut figulorum furnis inſervire ſolent.

Lichte-Torf.

Graauwe-Torf.

Witte-Torf.

Tover-ſchen.

Lutoſa autem & *Cœnoſa* tam *Morina* quàm *Venea* in humilibus aut defoſſis locis invenitur, ſed *Morina* nigra eſt cæni atri inſtar, *Venea* Boli vel rufeſcentis coloris, minusve fuſci quàm illa. Illam adhuc incolæ exercitam cum effoſſo ſimul luto etiam ſicciore, ſed tamen ejusdem naturæ ſubigunt, ſubactamque

Morinæ & Veneæ terræ color, ac præparatio.

Bolus apud

Medicos Terræ genus eſt colorem pallido-rubrum obtinens. Unde Mori denominati.

que pro arbitrio per planum areæ ſiccæ ſpatium palmari craſſitiei formâ diffundunt, ſiccatam ſcindunt, & in quorundam receptaculorum collibus collocatam, ut probè exiccetur, ignisque uſibus deſtinent.

MORINA talis Flandrica, & Morino Populo inde denominato tetro eſt odore, minoreve lumine, cujus igne præſentium facies mortuorum inſtar pallent, & nitroſa fuligine oculos intensè pungit.

FRISICA verò & quæ in Septentrionali HOLLANDIÆ parte nomen Friſiæ Occidentalis adhuc retinente colligitur, quo nomine ſub HARONIS quinti Friſiæ Ducis imperio, diu ante Septentrionalis per Flevum Maris inundationem, Anno Salvatoris noſtri tricenteſimo innoteſcere cœpit, excellentior eſt, Bituminoſior, atque ignes exhibet Luculentiores; multis nimirum tædarum putrefactarum, & lignorum, radicum, fibrarum, corticum, ſimiliumque marcidorum fragmentis plena eſt.

Arbores, aliaque ſub hâc Venetica Terrâ detecta.

Imo hodierno hoc tempore in DRENTIA, aliiſque FRISIÆ noſtræ locis interdum ſub eâ tellure, interioribuſque ejus penetralibus reconditæ deteguntur integræ arbores, earumque trunci, NOACHIS tempore per Diluvium procul dubio, & multi autumant, Aquarum vi, ejuſque venti impulſu collapſæ, qui inter AUSTRUM & ZEPHYRUM collocatur medius. Omnium enim cacumina ad Orientis Regionem Septentrionemque mediam procubuiſſe cernuntur. Inter quas cùm omnis generis ſint, tum illarum, quæ coniferæ dicuntur, maximum exiſtit miraculum: Prę cipuè quòd & plurimæ & longiſſimè altâ ſub humo jaceant, quùm nullæ amplius hâc ætate noſtrâ illis in campis provenire videantur: Prę ter has, *Nuces* quoque *Avellanæ*, calcei, ædium fragmenta, nummi incogniti, lapides inſoliti, atque antiquis inſcriptionibus quibuſdam inſigniti, armorum fragmenta, aliaque plura inveniuntur, quorum quędam adhuc meo in muſęo aſſervo.

Quo tempore Terra hæc Venetica annutim effoditur.

Porro corpulenta tam Morina quàm Venea integros campos occupat, alibi ſiccio, alibi humidior. Hæc hodie Aprili quotannis ac Majo menſe offoditur.

Haud ſcio an òlim manibus illam aut hanc ut *Lutum* acceperint, quemadmodum PLINIUS dixit. Quanquam non eſt ita

ita humida hæc, ſicut cœnoſa illa, tamen manibus faciliùs hæc erui, expreſſisque aquis in maſſas formari, quàm illa, poteſt, ventoque, Solique expoſita etiam citiùs exiccatur.

Quare veriſimile mihi, quod PLINIUS *Luti* nomine etiam VENEAM & MORINAM Terram intellexerit, quodque PLINII tempore, ſicut nunc, illam Terram non effoderint, vel quia tunc inſtrumentis deſtituebantur, vel quia inſtrumentis uti nolebant, ſed manibus evellentes, ſegmina indè conficiebant. Lutum Plinii quid.

Etenim adhuc in Drentiæ quibusdam locis tenuioris fortunæ homines *Veneâ Terræ* fragmenta, & humidos *Venei Luti* manipulos manibus preſſos in maſſas formant, vento, ſolique, & per æſtum canicularem Aëri exponunt, exiccantque, nec non in colliculos erigunt, & dum maſſæ illæ ſemel exiccatæ fuerunt, altiores in acervos pyramidales, quos vulgò *Vuiren* appellant, comportantur, ut exteriora, quibus reliqua incumbunt, à frequentoribus pluviis defendere queant, quæ deinde in tuguria, aut naves ignis cauſâ ſaccis aut corbibus deportant ; quibus etiam ut probatiſſimis atque omnium optimis Ceſpitibus (quos in Groningenſi Provinciâ *Bagger-Torf*, aut in Hollandiâ, Friſiâ, atque Transiſalaniâ *Baggelaar-Turf* vocitant) non ſolum tenuioris, verum potius lautioris Fortunæ homines pro ignis fomite utuntur, ubi & hodie in Hollandiâ præſertim, aquoſis è Morinis locis ac cœnoſis inferioribus Veneâ Terrâ ſuperiori, conſumptione, planè deſtitutis, *Lutum* illud retibus (quæ Belgicè *Baggelaar-Netten* nuncupantur) ferro quodam rotundo prælongæ perticæ annexo affixis, ad viginti quoque pedem profunditatem, imo ulteriùs, extrahitur, manibus deinde, ligneiſve & ferreis inſtrumentis in parvas quadrangulares, ſpondæ ſive Cereviſiarii dolii operimenti modo, formas exiccando efformatur, quare è multis ibi *Sponde-Turff*, & *Modder-Turff* paſſim appellatur, qui è *Luto* confecti CESPITES per ſaccos vel tonnas iis repletas divenduntur ; ut cujus hæc potiſſima eſt Populo Septentrionali accolis Cimbrici Oceani potum, cibumque decoquendi, aſſandique materia. Vuiren quid. Sponde-Turf. Modder-Turf.

Quare ob haſce ſtupendas Naturæ dotes, FRISIIS omnibus, ligni penuriâ laborantibus, à SUMMO rerum OPIFICE variis in PATRIÆ locis providè conceſſas, ſeptem Ceſpiti- Friſiæ inſignia hodierna

quare 7. ceſpitibus onuſta depinguntur.

bus in medio fulvorum leonum par, libertatem à CAROLO MAGNO ob indolem candidam, bellicoſamque FRISIORUM virtutem, Anno Salvatoris noſtri octingenteſimo ſecundo clementer redditam tutantium, nec non pervigili curâ demirandam hanc telluris maſſam contra omnigenas hoſtium inſidias magnaminâ fortitudine defendentium comprehendentibus, FRISIÆ olim ſplendida inſignia cincta, atque à tot retro ſeculis in hodiernum uſque diem (rejectis ab IMPERATORE dicto ſeptem antiquiſſimis prioribus, atque undecim poſterioribus rubris Nymphææ foliis in quatuor argenteis trabibus per ſcutum cæruleum obliquè ductis, quæ per mille & ſexaginta ultra annos, à FRISONIS primi Friſii Conditoris, atque BEROALDI Friſiorum REGIS quarti temporibus, ad annum uſque ſecundum CAROLI MAGNI extiterant, quæque Regni Friſiæ veteris inſignia, retinente adhuc noſtratium OMLANDIA, etiamnum reperiuntur exornata.

Priora Friſiæ inſign. olim 7. fuere in 3. argenteis trabibus rubra Nymphææ herbæ folia, quibus poſtea anno Chr. 534. 4. cum 1. trabe addidit Beroaldus Rex. Vid. Matt. Hamcon. lib. de vir. Eriſiæ illuſtrib. Suffrid. Petri de Orig. Friſ.

Altera autem eſt ignis materia, quæ ex arboribus accedit, & tædarum, quæ locis paluſtribus copiâ tantâ, quantâ alibi Vaccarum excrementa, ſimili feré modo erruuntur. Quid enim non excogitat neceſſitas, quæ durum valdè telum eſt.

Horum quamvis excrementorum ignis ſit languidus, fumus multus, mordax & tetri odoris, nec non omnia domi funeſto fœtidoque odore inficiens, & inaſſuetis aliquando noxius: Aſſueti tamen adeò hoc odore, ut Aromatum ſuffitu delectantur, alii contra odore læduntur: Nam aliqui dolores capitis intenſiſſimos ſentiunt: Alii proximi ſunt animi deliquio & deficiunt, nec niſi illato igne, fumo, aut odori-ferorum Trochiſcorum ſuffitu, curari poſſunt.

Lapis Leodienſis Bituminoſus Lithanthraces &c

Ad hæc quartum eſt ignis remedium Lapis Leodienſis Bituminoſus, quem aliqui *Anthracitem* putant & *Carbonem* vocant, aliqui *Lithanthraces*, alii *Aſpaltitem*, alii verò *Gagatem*, ignis vehementioris cauſâ omnibus fabris ferrariis valdè uſitatus & neceſſarius; cujus odor inaſſuetis, ſicut & ignis gravis eſt: Aſſuetis verò corroborandæ ſanitatis ſubſidium, utpote à defluxionibus, Rheumaticiſque affectibus præſervans.

MANTUANUS BAPTISTA manifeſtè de Tofo ſic cecinit.

Piceis domus aſpera Tofis.

Ex

Ex quibus certè verbis facilè liquet piceos *Tofos* dici. Verum inſpectores, & periti naturæ Terrarum Friſiæ noſtræ & Brabantiâ Campiniæ, & qui Terram hanc examinantes, VENEAM & MORINAM illam eſſe fatebunrur, quoniam ubique plena eſt radicibus Picearum, Pinearumque arborum fibris: Tum quod Piceārum habeat naturam, utpote quæ facilè ardet, & piceæ materiæ inſtar ignem alit; ex quâ montoſis quibuſdam in locis luculentiſſimos ignes continuè agricolas inſtruere vidi.

Cæterum effoſſa *Terra Venea*, exiccataque, coloris plerumque mellini, quem gilvum vocant aliqui, & Boli vulgo *Vaale-Torf*: *Morina* fuſca vel nigra cernitur: Hæc gravis, denſi, ac ignis validioris diu retinens. Illa levis, rarior, atque brevi tempore ignem & hunc mitem retinet, quare vulgò quoque *Torf-Torſe* nuncupatur. Quo argumento etiam inducor, & ſiccam *Veneam Terram*, *Tophaceam* dictam eſſe credo, utpote quæ lapidis duritiem poſſidet.

Vaale Torf.

Torf-torſe.

Morina Venea Tophacea dicta eſt.

His ultimum argumentum addam, ut eodem meam opinionem magis confirmem. Itaque tandem illud inferam, cur etiam GERMANIS noſtris illam effoffam Terram *Torf* dici credam.

Igne igitur vel Sole, vel vento aliquid exiccare, extenuare, vel emaciare vulgò *Torven* vocamus: Unde torreo apud LATINOS verbum ejuſdem ſignificationes manet. *Tor*, vel ut hodie à multis dicitur *Dor*, eſt exiccatus, eſtu ſqualidus. Hinc à *tor* & *ven* componitur *Torven*, hoc eſt torridus TOPHUS, vel torrida *Terra Venea*, & demum ſimpliciter *Torf*, hoc eſt, res adeò torrida, ut præ ſiccitate alendo igni inſerviat.

Torven quid.

Runc igitur (ſi modo audacia ſuam liberè dicendi ſententiam detur) ſalvo tamen DOCTORUM VIRORUM honore & ſaniore judicio progredior, ut perſcruter, quo nomine verè LATINO, apto, nec à linguâ Germanicâ diſſidente, ac ad antiquam Linguarum matriculam accedente exprimi debeat Germanica illa dictio *Torven*.

Certè AUTORUM plurimi nomini hujus Etymon, aut interpretationem veram hactenus non docuêre, aut differentias poſteritati reliquêre.

Verum ex NEOTERICIS, qui doctiores videri cupiunt,

Cæſpitem vocant, quâ tamen Nomenclaturâ non redditur dictio *Torf*, habeturque nimis procul petita hæc *Ἔκθεσις figurata abuſo*. Carbunculum verò vel Anthracitem, & Terram carbunculoſam, ut quæ ſine ullâ induſtriâ ſuâ ſponte illud habet, ut carbonis inſtar ardeat, etiamſi humida ſit, non eſſe Terram Veneam vel Morinam, nec eo nomine deſignari poſſe ſatis conſtat.

Si quid mihi interea in hoc nominum defectu, rerumque caligine poſt tot tamque diverſas multorum opiniones addere conceditur, haud dubitaverim ejusmodi ad ignis pabulum effoſſam tellurem, Soleque exiccatam vocare *Torridum Sagmen*, vel *torridum Tophum*, aut ſimpliciter *torridum*. Neque enim genuinæ ſignificationis effectibus convenientius nomen ullum invenio. Verum de TOPHO aliàs uberius.

Torven Germanicè quid denotat.

Ager etiam unde effoditur ea Terra, quæ vento & Sole ignis cauſâ torretur, ſive *Morina* ſive *Venea* in eâdem linguâ, quæ Synonyma recipit *Torf-land* vocatur; neque novum eſt uni rei diverſo reſpectu varia eſſe indita nomina.

Torf-land.

Porro agri iſtius fundus planè arenoſus, cujus ſuperficiem Veneæ telluris reliquiæ plerumque obtegunt, à Terrâ Veneâ *Venne* dicitur; atque inde omnis graminea planities, quæ foſſis undique in FRISIA, atque HOLLANDIA noſtrâ, vel aggeſtâ terrâ ab alterius dominio ſeparari conſueta eſt, aut pratum, in quo vaccæ, equi, vel boves paſcuntur, *Vaccarum Venni*, vulgò *Koeye vennen*, â Majoribus noſtris olim appellabantur.

Venne quid.

In hâc igitur Terrâ HERBAM hanc ad aquas creſcentem ipſo primo aſpectu quaſi vulgarem, neque prorſus Rumici Sylveſtri, maximè OXYLAPATHO abſimilem animadverti; qualem nunquam in omnibus peregrinationibus meis viderам.

In quâ Terrâ Britannica inventa.

Hanc (ut dictum) protinus eradicavi, & radice conſpectâ nigerrimâ, eâque deguſtatâ, & fortiſſimæ aſtrictionis facultate perceptâ, BRITANNICAM eſſe veram divinavi: Quam tantoperè hactenus quæſiveram, tot MEDICORUM acerrimis certaminibus illuſtrem. Etenim hujus Herbæ obiter inventæ formam cum BRITANNICÆ deſcriptionibus juxta bonorum & Antiquorum Scriptorum Autoritates collatam,

tam, manifestè convenire inter se oculatâ fide deprehendo: Quemadmodum id ex omni descriptione, omnibusque illius Herbæ facultatibus primum per sensuum instrumenta detectis, ac ipso postea usu comprobatis docere possum.

Ita dum ratione, certâque nitor experientiâ, me procul omni errore, & hæsitatione rem veram invenisse, fidclissimèque tradidisse censeo: Tametsi in radicis descriptione juxta PEDACII DIOSCORIDIS & Clarissimi ORIBASII exemplaria scrupulus quidam obortus sit, quem tamen Claudii Galeni, Pauli Æginetæ, Aëtii, & plurimorum ARABUM scripta consentientia eximere mihi videntur: Ut mox & sequentibus patebit.

Primò itaque BRITANNICÆ descriptionem & omnibus Veterum Autorum monumentis collectam talem esse invenio.

Veterum Britannicæ examinatio.

BRITANNICA *est Herba, quæ radices habet, caules, folia, flores, & semina omnia Lapatho Agresti simillima, nisi quod nigræ sint radices, oblongiora folia, crassiora, & illius foliis nigriora, caulis non multo major, cætera omnia consona,* ut dixi. *Herba tota omnibus suis partibus astringendi vim non vulgarem, sed insignem habet, & quodammodo validâ penetrandi potentiâ mirabilem; quùm astringentia medicamenta vim hanc ferè in superficie exerant, ipsâque astrictione penetrationem impediant, viamque præcludant.*

Pleniſſima autem hæc BRITANNICÆ descriptio est, VETERUM testimoniis comprobata, quantum hactenus mihi observare licuit. Nam quod in DIOSCORIDIS & ORIBASII vulgatis legitur codicibus, radicem scilicet esse tenuem & brevem, quis omnium nostrorum mendosissimum esse lubens non fatebitur? CLAUDIUS enim GALENUS hæc Medicorum Scholæ tradidit, BRITANNICAM *in omnibus Agrestibus Lapathis esse persimilem, nisi quatenus nigrior & densior sit?* Quod si in omnibus, ergo in radicibus quoque Sylvesteribus LAPATHIS erit similis, ut quæ OXYLAPATHA dicuntur; ideoque primo loco à DIOSCORIDE referuntur.

Lapathum sylvestre est Oxylapathum.

Neque verò DIOSCORIDES Galeno contrarius est, nec in simplicium cognitione peritior: Pluribus enim in locis à GALENO corrigitur: Tum GALENUS non minus, imo ad cognoscendam rem Medicam magis attentus, quàm

Laudatur Galenus.

DIOS-

DIOSCORIDES fuit, magisque peregrinatus commodiores discendi oportunitates habuit, nec non omnia Fortunæ bona discendi studio postponens mirum in modum omnes artis Medicæ partes illustravit, atque absolvit.

Deinde GALENUS scriptis DIOSCORIDIS adjutus, ac Prę̨ceptorum optimorum institutione fideliter eruditus, in omnigenâ Autorum lectione assiduus fuit MEDICUS, & quasi sui temporis Phœnix, ac absque controversia MAXIMUS, tali in pretio ab optimis quibusque semper habitus fuit, quamvis nonnulli RECENTIORES aliter de ipso nostrâ hâc tempestate sentiant. Omnis demum veritatis fuit amicissimus, omnisque methodi, & qualescunque materias cognoscendi peritissimus, atque in hâc contra perversos homines arte Medicâ exercitatissimus.

Prę̨terea PAULUS ÆGINETA Vir singularis lubens GALENO subscribit, & expressè, BRITANNICAM *facie, & figurâ omninò*, hoc est, in omnibus suis partibus, ergo & in radice quoque *Sylvestri Rumici persimilem esse* dicit.

Hujus exemplaria correctissima sunt, ne quis his de verbis dubitet: Quare ergo affirmavit AVICENNA, quod omnibus modis *Lapathi Sylvestris* foliis & radici assimilatur, nisi quatenus nigrior ac densior sit? Interpretes *Lapathi* loco *Acetosam* posuerunt, quod nihil aut parum ad rem facit.

Denique cur AËTIUS AMYDENUS hanc inter *Rumices* enumerans nullâ aliâ notâ à *Rumicibus* distinguat, quâm quod nigra, densa, & astringens sit? Unde & μέλαιναν vocat: Corrigendus est itaque DIOSCORIDIS & ORIBASII Codex; Legendumque censeo ῥίζαν δὲ τὴν μέλαιναν καὶ παχεῖαν, *Radicem autem nigram & crassam.* Sic enim DIOSCORIDES & ORIBASIUS GALENO, ÆGINETÆ, AËTIO, & Arabibus consentient. Rationi enim consentaneum est, ut minores & pauciores peritioribus ac pluribus cedant: Tum quia DIOSCORIDIS exemplaria multis mendis infecta fuêre, à quibus vix maximis multorum laboribus sunt repurgata, & etiamnum scatere liquidò constat: Si enim res tulerit, id facilè demonstrabo.

Dioscorides & Orobasius emendatur.

Dioscoridis exemplaria mendis infecta.

ORIBASII opera penitus habemus inutila, & infinitis erroribus plena, quæ Docti aliquot hinc inde supplere, & ex incorrectis

Lapathum Sanguineum.

correctis exemplaribus reſtituere conati ſunt, ſed plus in multis nocuerunt, ut nunquam ORIBASIUM inſpexiſſe profuiſſet, & minus me hercule errorum habuiſſemus.

CAPUT XII.

In quo de BRITANNICÆ foliorum formâ, radicis quantitate, Caulis altitudine, Floris colore, ejusdemque nominis Antiquiſſimi genuinâ ſignificatione, Bronchocele, nec non quorundam erroribus, atque aliis agitur.

DE LUTO Plinii, duris Friſiorum neceſſitatibus, in quo Terræ genere BRITANNICA inventa, ejuſdemque à Veteribus factâ deſcriptione tractavimus. Reſtat, ut ejuſdem formam, illiuſque antiquum ſignificatum, aliorumque errores detegamus.

His itaque prælibatis, nunc HERBAM, quam inveni, cujuſque magnam poſtea pluribus in FRISIÆ locis frequentiam animadverti, veram eſſe BRITANNICAM oſtenſurus ſum.

Britannicæ foliorum conſideratio.

Ut autem à Foliis ordiar. Hæc ipſo aſpectu *Sylveſtris Lapathi* foliis ſimillima ſunt, niſi, ut PLINIUS inquit, quod *oblonga* ſint. Nulla enim inter omnes RUMICIS ſpecies adeò oblonga poſſidet folia quemadmodum hæc noſtra *Herba*. Tum *nigra*, id eſt, obſcurè vireſcentia ſunt.

Hic illud ante omnia notatu dignum occurrit, quod ſcilicet Herba nulla folia habeat perfectè nigra, exceptâ SPICÂ NARDI Indicâ.

In cæteris alioqui hæc foliorum nigredo relatione ad aliquid intelligitur, ſicut familiariſſimum DIOSCORIDI, & omnibus aliis eſt.

Ille enim inquit, *Bugloſſon folia habet Verbaſco ſimilia, in Terram decidua, nigriora, aſpera, ac Bubulæ Linguæ conformia: Et Viola folia habet Hederæ ſimilia at nigriora: Rurſum perſonalia Cucurbitæ folia tamen minora, duriora, nigriora, & hirſutiora. Tum Urtica una incultior, aſpera latiformia, folia & nigriora habet.*

Olus Atrum quid.

Simpliciter folia rarò nigra dicuntur, ut quæ excellentem nigredinem oſtentant, ſicut communis Braſſicæ, & quæ Herba indè meritò *Olus atrum* dici poteſt: Folia autem BRITANNICÆ, factâ relatione ad Rumicis Sylveſtris folia, nigra prædicantur, quibus nigredine præſtant.

Poſtea tradit Dioſcorides, BRITANNICÆ folia eſſe παχύτερα, μελαντερα καὶ ἐμφερῆ λαπάθῳ ἀγρίῳ; *craſſiora, nigriora & Lapatho Agreſti ſimiliora.* Idem habet ORIBASIUS.

Hic JOHANNES RUELLIUS locum vertit: *Folia habet Sylveſtris Lapathi, ſed denſiora, & nigriora, guſtu aſtringentia.*

JACOBUS verò GOUPILIUS ſic interpretatur: *Folia habet Sylveſtris Lapathi piloſiora.*

Hunc ferè ſequutus MATTHIOLUS, *magis hirta* ſcribit. Eſt autem optimum interpretandi genus, ſi quis propriis Autoris verbis loca ejus obſcuriora enucleat.

Itaque DIOSCORIDES inquit; Potamogetonis folia ſunt δάσεα: Alii hoc verterunt *denſa*, alii verò *hirſuta*; nec malè, nam ut vult ſuo in Lexico Græco-Latino JOANNES CRISPINUS, ut & Doctiſſimus FABIUS COLUMNA, genuinum totius Italiæ miraculum, utrumque ſignificat. Verum quùm hirſuta non ſint, haud dubiè ad denſitatem reſpexit eo vocabulo uſus.

Joan. Criſp. fol. 368. Fab. Colum. Plant. aliquot hiſt. fol. 54.

Idem inquit, CIRSION folia habet Bugloſſo ſimilia ὑποδάσεα: Quod iterum aliqui ſubdenſa; alii verò ſubhirſuta verterunt, quùm tamen hirſuta nullo modo ſint; at ſubdenſa.

Joan. Bodæus Stapelius in Theoph. comment. fol. 676.

JOANNES quoque BODÆUS STAPELIUS doctiſſimis ſuis in THEOPHRASTUM commentariis folio ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto hæc habet.

Quidam Botanici Biſtortam BRITANNICAM *eſſe volunt, ac voces* μελάντερα, & δασύτερα *hunc in ſenſum exponunt.* Μελάντερα *inquientes, quæ ſaturatiore colore ſunt, ac quaſi purpuro nigricante, dicuntur, ut in Violæ Martiæ, quam* μέλανα DIOSCORIDES *vocat, alterâ parte videre licet.* Δασύτερα *verò hic non piloſiora, ſed rigidiora, denſiora, & firmiora ſignificat.* Quod reverà verum. *Quam poſtremam vocem utrumque denotare, alibi probavimus, & de voce* μελάντερα, *quod referunt extra controverſiam ponimus.* Hæc ille.

Britannicæ folia

Verum dum huic noſtræ PLANTÆ horum unum ſolummodo convenit, alterum meritò rejicimus: Folia namque re-

vera

vera & denſa, firma & conſtipata, atque ſucculenta ſunt, tum Agreſtis Rumicis foliis parumper è viridi quaſi nigriora. Eſt interim evidens nigredo, ut videri poterit; neque, ubi rerum teſtimonia, inprimis verò autopſiæ adſunt, multum opus eſt verbis. denſa & firma, non verò hirſuta.

Sequitur nunc Radix, Quam omnes in BRITANNICA verâ nigram eſſe affirmant Autores. Radicis color externus & internus.

Verum noſtræ Herbæ radix nigra eſt. Scio verumtamen DIOSCORIDEM Nymphęæ albæ, Peucedano, Symphito majori, Helleboro Nigro, Alysmati, Terræ Tuberibus, Cyclamino, Apios radici, Mandragoris, & Aſtragalis nigras appingere radices: Quemadmodum quoque & PLINIUS facit. Interea tamen nigræ tantum ſunt extrinſecus illarum quædam, intus aliquæ albedinem ſummam, aliquæ verò exiguam ſortitæ ſunt.

Verum HERBA noſtra meritò radice nigrâ depingitur, ut quæ foris nigerrima eſt, etiamſi in locis pallidam Terram foventibus proveniat, quod rarum eſt: Quamvis tamen ipſâ ſæpius experientiâ edoctus, tandem temporis longitudine aliquid in ejuſmodi terrâ, vel Hortenſi quoque, de ſuâ nigredine è Semine præſertim natam perdere, & ad fuſcum ac ſpadiceum quaſi colorem declinare perſpexi: Naturaliter alioqui Terræ nigræ innaſcitur, in quâ etiamnum valde admodum annoſas radices fuſci quoque coloris, ſenium quaſi verum indicantis, imo etiam intus planè ſpongioſas ſæpiſſimè deprehendi: Intus autem è pallido rubente alibi luteum (in adultioribus præſertim) alibi verò & ſæpius, recens nempè evulſa albicantem omninò ac candidum colorem habet; quâ parte Rhabarbarum quodammodo imitari colore videtur.

Verum & hic internus color albus tempore, dum radix interea exiccatur, fuſcus fermè evadit. In cæteris alioqui radix magna, longa, & craſſa eſt, qualis OXYLAPATHI viſitur, longè tamen corpulentior & ſpongioſior antequam exiccatur: Turget enim radix plurimo ſucco, & qui potentiſſimæ aſtrictionis ſuccus ad multos uſus commendatur. Unde verè PLINIUS ſcripſit, quod ſuccus ex radice BRITANNICÆ exprimitur: Quod utique non fieret, ſi eſſet inutilis radix, quemadmodum Clariſſimus *Andreas Matthiolus* exiſtimavit. Error Matthioli,

Huic radici optimæ facultas ineſt in adſtringendo inſignis, adeò ut haud ſciam, an alia quædam Herba illi in hâc excellenti virtute par ſit: Validiſſimè enim aſtringit, & grato amarore quodam aromatico linguam, gingivam, labia, & fauces, ſi deguſtetur, contrahit: Salivam quoque in ore detenta exiccat, quemadmodum de BRITANNICÆ radice plurimi Autores probati ſcriptis tradidêre.

Satis igitur manifeſtum eſt ex foliorum & radicis deſcriptione, *Herbam hanc mirandam*, quam hic publicè exhibere non erubeſco, veram VETERUM BRITANNICAM alexicacum Stomacaccen, & Scelotyrben eſſe.

Verum ad reliqua, quæ huc quoque non parum faciunt, par erit ut pergam.

Caulis conſideratio.

De caule igitur dubitationes quoque quaſdam tollere non omittam. PLINIUS itaque BRITANNICÆ caulem tribuit non magnum: Sicut enim omnibus LAPATHI ſpeciebus caulis non adeò magnus eſt, HYPPOLAPATHO major, & HYDROLAPATHO maximus: Ita huic Herbæ mediocris plerumque caulis, ut verè, magnum adeò non eſſe, internodiis, colore, formâ, raritate, & agnatis, cætèris Rumicibus Sylveſtribus ſimilem eſſe prorſus, dici poſſit. Etſi hanc quoque Herbam in paluſtribus juxta HYPPOLAPATHUM reperi: Folia tamen hujus ſuâ longitudine ſemper ſuperantem, caulem verò interdum altero minorem, interdum verò majorem obtinentem. Quapropter à MATTHÆO SYLVATICO, ARNOLDO de VILLANOVA in Horto Sanitatis, aliiſque magnus, vel altus meritò dictus fuit: In his enim paludoſis pro ſoli ubertate ad pedum quatuor & ultra, in illis verò ad duûm tantum, triumve altitudinem aſcendit.

Altitudo caulis.

Lapathum Paluſtre nigrum Henrici Muntingii.

Quamobrem Parentem meum piæ memoriæ HENRICUM MUNTINGIUM (cujus Nobiliſſimorum & Ampliſſimorum Dominorum hujus Provinciæ GRONINGÆ & OMLANDIÆ Procerum munificentiſſima benevolentiâ & favore in Profeſſione Botanicâ indigniſſimus ante viginti annos & quod excurrit deſtinatus fui ſucceſſor) hanc Plantam pro Rumice Aquatico Longifolio, ſive Lapatho Paluſtri nigro, Belgicè *Water Ridder* vulgò dicto (veram eſſe BRITANNICAM

NICAM hactenus ignorantem) sæpiùs nobis demonstrasse, mirum non est, neque etiam in eo, quicquam fuisse erratum, coram omnibus liberè pronuncio, quùm revera ad LAPATHI classem pertinere satis liquido constat.

Britannica, vera Lapathi species.

Verum restat ut ad FLORES hujus deveniamus, quos etiam ab Autoribus à Lapathi Sylvestris Floribus non distingui videmus. Unde BRITANNICÆ Flores Lapathi quoque Sylvestris Floribus respondere debere, satis sanè patet, quemadmodum in hâc meâ Herbâ ab omnibus deprehendetur, cujus Flores cum Oxylapathi, vel Hyppolapathi Floribus iidem visuntur.

Flos qualis.

Verum illud hic non omittendum esse existimo, quod PLINIUS scriptum reliquit: FLORES scilicet BRITANNICÆ *Vibones* vocari.

Vibones.

Hic forsan quis rogaturus est, quales illæ fuerint Nationes, quæ illis illud vocabulum indidêre? Ad quod paucis FRISIOS fuisse respondeo. ROMANI enim, omnesque qui Romanis aderant Herbam planè ignorabant. Ideoque Frisii illam Romanis demonstravêre.

Hanc tamen Frisiis nostris felicitatem invidens Clarissimus JACOBUS DALECHAMPIUS, veræque BRITANNICÆ planè ignarus ipsâ Luce clariora PLINII SECUNDI verba libri vicesimi quinti tertio capite nullo jure invertere nititùr, nec non pro Frisii, *fida*, ex HERMOLAO BARBARO, suis in Plinium notis marginalibus absurdissimè legendum censet. Sic enim postea PLINIUS. *Ergo Frisii eam etiam, ejusque Florem suis nominibus vocasse debuerunt, ut quibus esset nota, & à quibus demonstraretur:* Quare hæc nomina horumque Etyma num Frisica sint, ut diligentioribus satisfiat, quæso executiamus. Constat namque plurima nomina ROMANOS etiam à GERMANIS mutuatos, iisque familiariter usos fuisse, quæque etiamnum in GERMANIA vigent, ut ex PLINIO patet in verbis *Ganzis, Augstraniis, Glaß*, & similibus.

Dalecham. reprehenditur.

Hermol. Barbar. fol. mihi 314.

Vulgò namque adhuc *Ganser anseres, Augtranen Oculorum Lachrymas*, & *Vitrum Glas* dicimus.

Si itaque *Vibon* vocabulum est, ut dico FRISICUM, hujus utique adhuc extare vestigium debet, in Linguâ præsertim

vetuſtatis tenaciſſimâ & incorruptiſſimâ ? Ita certè, nec veſtigium ſolummodo, verum & totum nomen in hodiernum uſque diem adhuc integrum eſt, ac noſtrâ linguâ *Vibong* profertur; quod PLINIUS in *Vibones* transformaſſe viſus eſt, ut Latinis auribus, nimirum delicatis ſatisfaceret, reſpuentibus ſcilicet earum vocum enunciationes, quas ſua lingua difficulter pronunciare poterant: Unde nimis inepti veras Adamicas, ac naturales voces, vocumque prolationes Barbaras appellare non ſunt veriti. Verum enim eſt illud JUVENALIS, *quò quis indoctior eò impudentior.*

Eſt autem *Vibong* ex *Vi* & *Bong* compoſitum. Hoc eſt à *Vien*, quod diſpergere, effundere, diſſipare, & *Bong* tumorem præter naturam ſignificat, quæ cavitatem, vel tumorem, ob incluſum inutilem flatum, habet.

Vibong quid denotat.

Vibong itaque illud eſt, quod humorem præter naturam vel flatuoſum, aut ex humore collectum diſpellit. Tum verò *Bong* noſtrates *Anginam* vocant, in faucibus tumorem, ut frequentiſſimè in Scelotyrbicis contingit, adeò ut vix deglutire poſſint. Id verò Aquarum cruditati, vel Cerviſiæ inde coctæ imputatur.

Quemadmodum ex familiari propriarum Aquarum uſu in nonnullis Allobrogum, Helvetiæ, Averniæ, & Calabriæ partibus *βρογχοκήλω Bronchocele*, qui, ut libro ſeptimo CORNELIUS CELSUS, *in cervice inter cutem & aſperam arteriam increſcens tumor eſt, cui modo caro, modo humor aliquis melli, adipi, pulti, aquæve ſimilis includitur*, ut libro ſeptimo JOANNI MANARDO placet, *indigenarum plurimi laborant*: Ita noſtro in FRISIÆ tractu ex domeſticis Aquis his ANGINIS vexantur, quas ipſi *de Bong* vocant: Id autem communis Aquæ vaporibus adſcribo: BRITANNICÆ quoniam Flores Anginas ejusmodi depellunt, ab effectu rectiſſimè *Vibong* vocati ſunt.

Bronchocele quid. Corn. Celſ. l. 7. cap. 13. Joan. Manard. lib. Epiſt. Medic. 7.

Hoc autem eſt, quod Latinè reddidit PLINIUS, & à FRISIIS didicit, dum ſcripſit. *Herba contra Anginas & Serpentes valet.*

Et paulo poſt, *Flores Vibones vocabant, qui collecti priusquam tonitrua audiantur, & devorati ſecuros in totum reddunt*, ſcilicet ab Anginis.

Ita

Ita namque negotium hoc, ut latiùs infra declarabitur, explanat APULEJUS. Quod autem de Ϝonitru additur, indicium eſt Antiquos Friſios ad Deum, Cœlique operationes inferiorum virtutes ſemper optimo jure retuliſſe.

Utinam tantum & hodie ſaperent, Deumve verum immortalem in omnibus ex intimis cordis penetralibus ſubmiſſè colerent.

Hac breviſſima Etymologia difficultates infinitæ, Neotericorumque nonnullorum nugæ ſepeliuntur, & lucidi veritatis radii tandem oblivionis tumulo emergunt.

Gabriel Humelb. in Apul.

Proinde malè admodum exiſtimat Clariſſimus GABRIEL HUMELBERGIUS doctiſſimis ſuis in Apulejum Commentariis non Flores, verum *ipſam Herbam BRITANNICAM, à foliorum ſimilitudine, quam cum Agreſti Lapatho poſſidere videtur, dictam fuiſſe Bibonem. Bibone enim idem, quod Agreſte eſt Lapathum*, deſignari palam exclamat, Pandectarii pro ſe adducens Autoritatem.

Hermol. Barb. in Coroll.

HERMOLAUS quoque BARBARUS multa de hac *Vibonis* voce in medium adducit, verum longiſſimè ſuis in *Corollariis* à veri orbitâ deflectit, inter alia dum nihil certi divinare ſe poſſe aſſerit. Et *eſt*, inquit, *Vibo nomen Oppidi in Brutiis, Græcis ἱπῶνιον*; cujus Oratione ſeptimâ in CAJUM VERREM meminit CICERO: *Verum eſt hoc, & nunc Bivone dicitur, prope Oppidum, Monte Leonis in Magnâ Græciâ, quam hodie Calabriam vocant.*

Cicero in Verr. l. 2.

Sed credo potius *Vibonis* nomen à Friſiis in Italiam traductum, quàm Friſios illorum reſpectu Herbam ſuam ab illis denominaſſe. Haud dubiè longè extitère Sagaciores, ex illis etiam SACEI potius orti ſunt, quàm ut à SACXIS ipſi, unde & Saxonis nomen derivatum eſt; non obſtante aliorum AUTORITATE, qui miras Originationes architectati ſunt: Longè tamen ſecus veritas eſt.

Saxonis nomen unde derivatum.

Cui operæ precium eſt ad Caſtigationes nec non HERMOLAI *Corollaria* recurrat.

Illud addo, Hermolaum, Budæum, Eraſmum, Geſenium, Nannium, Leonicerum, aliosque plurimos ſuis correctionibus PLINIUM magis obſcuraſſe variis in locis, quàm elucidaſſe.

Quorundam errores detegunturs.

Sed

Sed aliorum errores hic impugnandi locus non eſt, in quos imperitiâ ſuâ offenderunt.

Apul. ſuo in Herb. cap. de Britannica

Apulejus Platonicus Madaurenſis civis nunc *Bibonem*, nunc *Vibonem*, jam verò *Bivonem* vocat; quod quidem à vero non eſt alienum: Quùm ſæpè B. ut V. & contra effertur; ut quidam etiam de ipſo nomine BRITANNICÆ prædicat, loco V. litteram B. poſitam habuiſſe: Quod tamen longè ſecus in BRITANNICA ſe habet, quemadmodum hic facilè declarabo, minimè dubius, quin hujus meæ diligentis, laboriòſæ, atque candidæ expoſitionis, quam apertè veritatis cauſâ facio quivis, niſi planè invidus, & malignus rei æſtimator, mihi, licet mediocris ſaltem ingenii Viro, atqui exiguo Professori Botanices (ſine cujus cognitione neceſſariâ æger vix ullus ſanabitur) ſit acturus gratias: Nec ipſi, quorum errores arguuntur, hoc indignè ferent, quorum indefeſſa ſtudia debitis laudibus extollo, atque exorno, dumque rebus obſcuriſſimis veritatem & Lucem reddo, eandem cum illis viam ingredior.

Caput XIII.

In hoc BRITANNICÆ Etymon exponitur. Quorundam opiniones adducuntur illorumve errores deteguntur. Batavia quo tempore & quare Hollandia dicta. Britanien, Briten, Bre, Bri &c. quid denotant. Prytanis quid. Britangel quid. Brittenburg. 't Huis te Britten quid olim fuit, & unde vocatum. Britannia Inſula unde dicta. Prytanæum quid. BRITANNICÆ Herbæ vera & Antiquiſſima ſignificatio.

OMnibus præcedentibus exactè conſideratis, ad perfectam tandem BRITANNICÆ vocis expoſitionem Friſicam, Hollandiæ, & Britanniæ Inſulæ, aliorumve Nominum ſcatebras non contemnendas devenio.

Quem-

Lapathum Planum Paludosum. *fol. 120.*

Quemadmodum ergo *Vibonis* vocabulum modo expoſui, ita nunc tandem mihi BRITANNICÆ quoque Etymon enucleandum exiſtimo, atque hoc eo ſtudioſius, quo imprudentius aliqui id interpretati ſunt, fœdè hallucinantes, & à vero longè aberrantes.

Equidem aliorum judicio facilè ignoſco, & promptam juvandi voluntatem laudo, ut qui me quoque humano ac ad errores præcipiti ingenio natum ſentio.

Idcirco quantis poſſum viribus errorum tenebras contra ibo; nihilque minus, quàm Veritatem opprimi, aut falſa pro veris obtrudi feram; niſi de BRITANNICÆ Etymologiâ nova nuper exorta fuiſſet opinio, pauciſſimis totam rem fuiſſem complexus. Verum nunc oportet, ut prius MAJORES audiamus.

Quidam enim è Gente FRISIUS Medicinæ peritiſſimus Dominus de AYLUA Nobiliſſimis ſuis in PLINIUM Commentariis, BRITANNICAM dictam eſſe, ab eo quod eſſet *Vriſtandica*, hoc eſt, quod fricandis vel detergendis dentibus valeret, annotavit. Vriſtandica.

Nec ſanè (meo judicio) malè. Nam olim non ſolum *Vryſtandica*, verum etiam *Rittannica* nuncupata fuit; unde adhuc manet *Ritteren*, *Rit*, vel ut nunc *Ruit*, quod FRISIIS vulgò Serpigo, Scabies, aut ulcus ſerpens dicitur. Hinc *Ritteren*, vel *Roritteren*, Herba quæ ſerpentibus ulceribus medetur. Ritannica. Rit, & Ruit, quid Friſicè denotat.

JOANNES porro GOROPIUS BECANUS de hoc Etymo libro Niloſcopii tertio prolixe agens hæc verba profert. Joan. Becan. fol. 310.

Verum ne, contra utilitatem de nomine Britten diſputem, adjiciam appendicem non contemnendam; quâ & opinionem meam confirmem, & Plinium à dubitatione quâdam eximam: Quâ de cauſá non dubito, ſi reviviſceret, quin gratias acturus eſſet. Aſcribam itaque prius ejus verba, mox deindè Lucem allaturus.

In Germania &c. Stomacace & Scelotyrbe ſymptomata ſunt ſæviſſima ejus morbi, quem nos Scorbut vocamus: A Græcis Medicis ad ægros curandos caſtra ſequentibus tum primum ut exiſtimo nomenclaturas ſuas ſortita; eò quod os & gingivas malignis ulceribus & plus quàm Chironiis depopulentur; & pedum tendines ac ligamenta ita ſolvant, ut pedes velut faſciola nonnunquam pendere videantur: Plerumque tamen à radicibus

dentium corruptus & ater ſanguinis mucor principio gingivas invadit, atque hinc malum niſi curetur latius ſerpit.

Sed nos hic de morbo & ejus cauſis ac ſymtomatibus non amplius ; alibi fortaſſis : Hoc *agimus hic, ut intelligatur, quâ cauſâ* Herba *ad hujus morbi curationem inventa* BRITANNICA *nominetur, in quâ Plinius laboravit.*

Breviter igitur reſpondeo & citra ambages Herbam *ita à Friſiis vocatam, quòd dentes ab ejusmodi labe liberaret. Vri enim ſi nomen ſit, idem eſt, quod liber: Si verbum, idem quod libero. Sed Græci V. conſonum in Beta ſuum mutarunt, eò quod hæc Latinorum conſonans peculiarem ſibi in Græcia figuram non haberet ; Sed ſi quando transferenda eſſet, pro* B. *notaretur. Quamvis aliqui imperitius loco conſonantis hujus Græcam diphthongum ſcripſerunt ; de quâ re alibi plura.*

Latini etiam neſcio quorum impulſu poſterioribus temporibus pro V. frequenter βητὰ *pronunciaverunt ; quod hactenus Hiſpani frequenter obſervant,* adde etiamnum Gaſcones, *pro Vivere Bibere, pro Vino, Bino, pro Volo Bolo (non citra riſum eorum qui Græcè ſciunt) dicentes: Pro Vri ergo Bri in uſum deſcendit : Tant dentem ſignat nobis, adeò ut Vritant vel Tan ultimo rejecto, ut crebro fit, Vritan nihil aliud ſit, quam libero dentem, vel Vritannen & Vritanden libero dentes.*

Latini igitur ſignificationis hujus ignari BRITANNICAM *appellarunt. Opinati fortè ſunt à Britannis in nominis communionem fuiſſe adoptatam: Quænam autem ſit hæc* Herba, *quam* Plinius *deſcribit, primus mihi videor inveniſſe, & nominis genuinam manifeſtaſſe interpretationem, quam plurimus deinde communicavi.*

Neque enim ea, quâ nunc ferè ad morbi hujus curationem in Friſia & Hollandia *Medici utuntur, nomine* Cochleariæ *de ſimilitudine facto dici poteſt ; propterea quòd deſcriptio prorſus repugnat, folia nigra & radicem nigram adſcribens.*

Cùm hujus folia rotunda ſint, & concava ad modum acetabulorum, ſive potius ligularum ; tum radices nihil minus quàm nigræ.

Deinde nec Anginis opitulatur Cochlearia, *nec vires contra Serpentes habet peculiares, quâ pollêre* BRITANNICAM DIOSCORIDES *tradit.*

Joannis Becani opinio de Plinio.

Erravit igitur Plinius alio loco, ubi citra hæſitationem de nomine aſſeruit BRITANNICAM *ex inſulis Oceani extra terras poſitis afferri. Sed de* BRITANNICA *alibi copioſius.*

Sicut ergo Britannica ex Vritanica, ſic Britten ex Vritten eſt corruptum

tum ab iis, qui ſignificatum, & originatum non agnoverit. Videmus quàm non ſit ſubtilius ejusmodi vocum examen negligendum, utpote de quo non pœnitenda rei cognitio exiſtat.

Sed ſunt quidam tam nauſeabundi & delicatuli ut linguæ ferè noſtræ Vernaculæ pudere ſoleat: E quâ tamen plus myſteriorum (ſi Deus adſpiret) enucleatio, quàm vel Latina vel Græca, adde etiam Hebraica comprehendat. Hæctenus ille, mirum ſane narthecium ſpirans, ac ſpirando Aromata Vento permiſcens.

In quibus certe verbis, primum præterire nequeo, PLINIUM ſcilicet erraviſſe dicens, ubi BRITANNCAM *ex Inſulis Oceani extra Terras poſitis* afferri aſſerit: Nam vel ex ipſo PLINIO didiciſſet Inſulas in Gallico Oceano extra Terras eſſe quasdam, ut Friſiorum, Cauchorum, Sturiorum, Marſatiorum &c. Etſi BRITANNICAM, BRITANNICAEQUE natale ſolum noviſſet, nuſquam hanc letiorem melioremque dixiſſet, quâm in Inſulis BATAVIÆ (*Anno* CHRISTI *viceſimo octavo*, ut Hamcomio placet, *imperante* DIOCARO PRINCIPE *aliàs* SAGONE, *per contemptum à Friſiis primo Hollandia, non propter frugalem Batavorum genium, verum ob Hollonis Friſii (Olennii Romanis dicti) inſolitum* ROMANORUM *nomine à conterraneis ſuis tributum exigentis fugam in* BATAVIAM *ex arce Flelandiæ Flevo Hollo Land, Holle-Land, indeque tandem Holland, Hollonis quaſi terra nuncupata*) & quæ Saxonicæ Friſiæ continenti adjacent, ita tamen ut ſint vere *in Oceano Gallico extra terras poſitæ & orbe*, hoc eſt, continente Terrâ, Maris exæſtuatione, ferocique impetu *penitus diviſæ*: Quemadmodum CAJUS PLINIUS recte in ſcriptis retulit; quia BRITANNICA in parte Groningenſis Friſiæ quoque luxuriat, quæ vulgò *Kleyland* dicitur.

Plinius defenditur

Tacit. lib. Annal. 4. Mart. Hamcom. fol. 11.

Et quoniam GALLIA olim quatuor in partes diviſa fuit, quarum quarta Gallia-Belgica dicta eſt, quæ ad Rhenum ántiquitus, Friſiæque terminum ſeſe extendiſſe legitur: Eò idcirco PLINIUS reſpexit, ac *Belgicum* Mare, *Friſicum* ſive *Septentrionale*, Gallicum dixit Oceanum.

Secundum, quod ex deſcriptione COCHLEARIAM non eſſe BRITANNICAM demonſtrare volens, huic *folia* & *radicem nigram* dat, eadem illi interea minimè adimit. Nam quod *rotunda & concava* dicit, ad rem nihil facit, quin

etiam nigra ſimul eſſe poſſunt: Ita etiamſi Cochleariæ folia rotunda & concava ſint, nihilque inhibeat, quin nigra exiſtant, inde tamen haud evincitur BRITANNICAM illam eſſe.

Becanus reprehenditur,

Si veram noviſſet BRITANNICAM, non dubito, quin Cochleariæ foliorum cum BRITANNICAE collatione prudentius ſtatuiſſet, Cochleariæ folia nigra non eſſe.

Credibile proinde non eſt, imo certum, illum BRITANNICAM non noviſſe, etiamſi de illâ à ſe inventâ tantopere glorietur.

Verum hæc inanis ambitio permittenda multis eſt, ut qui avem habere nequeant, ipſius ſaltem plumam in manu teneant.

Tertiò, BRITANNICAM à *Vritanne* deducit, hancque interpretationem ceu veram mundo protrudit, quùm nihil minùs, ſalvo Viri illius Docti honore, linguæ ejus ratio, cujus Vocabulum eſt, dictitat.

Optimè enim FRISII noſtri noſcunt, quid *Britten* eſt, & quid *Brit*, quid *Brittenbergh*, quid *Britze*, & *Britſchen*, ac qualia loca *Brittan* dicuntur.

Voce ergo in frequenti uſu adhuc exiſtente, veræque ſignificationis ſuæ energiam retinente, quid ab hâc ad aliam deflectere opus eſt, ac longè petitæ, nec non rei impropriæ, ejus inſuper colorandæ cauſâ inconvenienti lenocinio uti.

Sciat autem CANDIDUS ae Benevolus LECTOR inextricabilium Labyrinthorum flexibus ſuperatis, eam plenam eſſe dictionem *Friſicam*; utpote quam PLINIUS illis ingenuè tribuit: Et ubi Herba ipſa omnium primò inventa, genuino nomine inſignita, ac Romanis fuit exhibita.

Intelligit etiam non ſolam Inſulam illam, quam nunc ANGLIAM vocamus, olim *Britanniam* fuiſſe appellatam: Verum etiam Belgicæ Gallicæ partem *Oromanſacis*, & *Pago Geſſoriaco* (ubi nunc CALETUM) vicinam; uti PLINIUS teſtis eſt. Nec conjectura deforet plurima alia loca eo olim nomine claruiſſe, ſi id docendi neceſſitas mihi incumberet.

Plin. lib. 4. cap. 16. & 17.

Nam quùm tempore hyberno Aquis gelu conſtrictis rectà quis ex pago *Helm*, in Orientali OMLANDICI agri parte ſito, aut *Schyteburenſi*, vel aliundè ex Pago *Neo-eccleſienſi*, in Occi-

Occidentali ejuſdem agri regione GRONINGAM petere intendit, aut vice verſa, is primò ad ædes in tumulis tanquam ſolidis Inſulis Aquarum undique ſtagnantium copiâ cinctas, quæ *Britanien* paſſim vocantur, accedit, inde pergit *Schermeram*, atque hinc *Groningam*. Sed de hâc re aliàs.

Britannien quid.

Reſtat enim expedienda BRITANNICÆ nominis Etymologia, quæ à nonnullis è Græco reddenda eſſe videtur. Verum nimis longè petitum eſt dicere BRITANNICAM denominatam eſſe à βρέχω ἢ ὀδόντας, & per Syncopen βρεδοντικὸ, ac inde βρετανικὸ. Nos hujusmodi Syncopen, ſynæreſeſque Litteratoribus, & Caballiſtis relinquimus. Quandoquidem jam dictionem nec GRÆCAM eſſe, nec alterius penitus Linguæ, quàm FRISICÆ demonſtravimus. Itaque ratio dictitat, ut ex eâ linguâ, cujus eſt, interpretatio depromatur, & confirmetur.

Enim-verò conſtat, FRISIOS noſtros, quùm rem disjectam eſſe uniendam ſignificare volunt, vel coagmentandam, conſagminandam, comprimendam, conſolidandam, idque vi caloris, vel fortis impreſſionis, *Briten* dicunt; rem quidem unitam ac conſolidatam *Brit* vocare, ſi nomen eſt, aliàs ſi conjugatione verbi enunciatur, conſolidare, jungendo, vel coſſando unire.

Briten, & Brit, quid denotat.

Neque temerè quis dixerit, eandem eſſe cum panis ſecundarii Nomenclaturâ originem, quem *Bre* vel *Brit* antiquâ voce, vel ut nunc *Brod* aut *Brood* vocant.

Etenim Farrago, vel Hordeum, aut Avena, vel Triticum redigitur molâ in farinam, ſeparato, vel permixto unoquoque Cerealium genere pro ut placet.

Farina verò aſperſione Aquæ, multâ ſubactione, nec non fermentatione in maſſam cogitur, quæ deinde egregiè elaborata multis preſſionibus certas in formas orbiculares dividitur, vel oblongas aut rhomboides, vel ovales, fiuntque paſtilli, qui in furno calidiſſimo aut clibanis aſſatoriâ, ut ſic dixerim, coctione conſolidantur, ita ut eſui ſint, diuque ſine corruptione aſſervari poſſint.

Vide Plin. l. 18. c. 11. de ratione panis.

Unde panis ille nihil aliud eſt, quàm maſſæ ex farinâ Cerealium ſubactæ ſectio, vel paſtillus in furno aſſatione convenienti conſervationis cibique cauſâ conſolidatus, verèque nomen *Bre*

Brikke, Breen, Briet, &c. quid significant.

vel *Brit* obtinet. Verum vox *Brikke* orbiculum, *Bret* verò solidum asserem significat; ut sicut ab assando asser, ita à *Breen* vel *Breden* derivatio *Brit* & *Brik* deducatur. Adhæc *Briet*, rem solidam & latam notat, *Breet* verò duri, torridique Cespitis solidum fragmentum.

Adjectivum quoque nomen ad Viros transit, qui MAGISTRATUM in Civitate gerunt, latumque Dominum administrant. Illud namque est, quod apud Historiographos legitur, scilicet summum Hæduorum Magistratum olim VERGOBRETUM fuisse vocatum, penes quem necis vitæque potestas erat, ut legere est apud JULIUM CÆSAREM libro primo de Bello Gallico.

Jul. Cæs. lib. de Bel. Gallico.

ATHENIENSES verò post ejectos triginta Tyrannos, qui mille & quingentos cives indemnatos necaverant in Senatu, qui ex quingentis Viris constabat, in summo honore & Autoritate habiti fuêre, tamque Senatus Præfecti Quindecim Viri, amorem conciliantes, aliorum dissidia extirpantes, nec non mutuâ benevolentiâ animos conjugentes πρυτανεῖς, hoc est, BRYTANÆ dicti sunt.

Seneca profertur.

Apud SENECAM quoque sic scribentem legitur: *Non vis nisi Consul aut Prytanis vel Cerix Rempublicam administrare.* Observatum est, neminem ex Athamantis genere natu maximum Prytanen (id est Judicem) fieri.

Prytanis quid.

PRYTANES enim olim dicebantur SENATORES illi, qui Corinthiacâ in Urbe quotannis ex NOBILI Familiâ BACCHIADâ creabantur.

Nolo autem hic meam de Prætoris origine conjecturam aperire, ne VARRONI, SEXTO POMPEJO, cæterisque omnibus injuriam facere videar, quoniam ab ipsis traditâ Etymologiâ contentus non sum: Multo minus Linguæ Latinæ Studiosos in certamen provoco, haud pauca vocabula à PRISCIS LATINIS esse usurpata, quæ ipsâ origine naturaliter Germanica sunt.

GERMANI autem *Bri* vel *Brie* rem coctione unitam, pultem fritillam, fritamque; item congregationem, junctamque collectionem tum hominum tum rerum aliarum vocant. Quedadmodum in *Briareo Centimano*, in *Brigida*, *Brigada*, *Brigantibus*, *Brigantinis*, ac *Brieitis*, qui viginti sex militum numero con-

conſtat, declarare licet. Verum dictionis *Βρυ̃* Græcis omnibus notiſſimæ interpretationem omitto. Quandoquidem *Brya Helii, Calabria, Brinca* ſcilicet *Bria hinca*, ſimiliaque nomina hodierna adhuc tempore uſitata idem *Adamicum* primigenium ichnon reſervant. *Βρύον* muſcus & Terra muſcoſa.

Verum enim verò unde digreſſa eſt recurrat oratio. *Brit* enim congeſtam ſolidamque Terram, aut rem, ſi ſubſtantivum ſit, ſignificat. Brit quid eſt.

Plurimi equidem Groningenſi in agro Pagi ejusmodi terminatione denominati hoc manifeſtum faciunt, ut *Mittelbrit, Engelbrit, Letterbrit, Oldebrit*, & *Niebrit*.

Sunt enim Pagi, illorumque Templa in eminenti Terrâ congeſtâ circumquaque ſtagnantibus Aquis poſita, & Pagus *Brit* vel *Bred* vicinus Saxonum Huſiæ aggeſtus eſt ſolido in loco paululum altiore, quàm vicina Tellus: Cerealia ibi, atque Legumina fœliciſſimè proveniunt. *Britzert* & *Britzum* quoque in Friſiâ Occiduâ egeſtum locum tenet. Jam verò in ANGLIA Oppidum *Britlington*, & *Briton* ad Trentam fluvium altis in locis ſuum ſitum habent.

In Weſterwoldiâ ſolitudo, ſpatiumque quod inter Weddam, Reidam, & Aſſchendorpum verſus eſt, *Brit-angel* vocatur, ut etiamnum quibuſdam Veterum Geographorum Tabulis notatum extat; nimirum ſolida eſt, nec non alta *Venea* & *Morina* Tellus in medio paluſtrium locorum ſita, & ad Aquas pertingens; in cujus penetralibus arena alba lineâ rectâ hinc inde denudata excurrens deprehenditur, quam propriè *D'Angel, aculeum* denotans, impropriè verò DE TANGE vocant; in quâ hodie Fortalitium aptiſſimo loco, patenti ſcilicet arenoſo ac ſolo Ulvâ undique tecto & paludoſo inacceſſibili cincto cernitur, quod Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertiò ab Illuſtriſſimo Heroë ac Domino WILHELMO LODOVICO Naſſouiæ Còmite, Friſiæ, Groningæ, & Drentiæ Gubernatore extructum fuit; quodque ab eo primum in ſingularem ruſticorum vicinorum, iſtiuſque loci demonſtratorum gratiam, DE BOERT' ANGEL, non verò, ut ORTELIO Theatro in Geographico placet, *De Boeren-Tange* appellatum fuit: Quamvis illud hodierno hoc tempore ab omnibus depravatè *De Boer-tange* pro *De Brit-angel* pro- Britangel quid. Quo tempore, & à quo fundatum illius Fortalitium. Ab. Ortel. in Friſiæ utriuſque Tabulis.

pronunciatur: Hanc Terram imperitiores alii corrupte *De Birtangel* nuncupant, ut & *Middelbert* pro *Middelbrit*, &c. Idem error committitur & hodie in reliquis.

Quamobrem crediderim equidem Caſtrum in Chattorum HOLLANDIÆ vico, vulgò *Catvici*, cujus hodierno die adhuc rudera & fundamenta Maris interdum beneficio denudata viſuntur, à Romanis olim ad oſtium Rheni extructum, quod poſtea, langueſcente Romanæ Majeſtatis potentiâ, à Normannorum Barbarie immani æquè ac Maris exæſtuatione dirutum, inſigne nomine 't HUIS TE BRITTEN, & BRITTENBURG ab Hollandis non eſſe denominatum à *Vryend*, hoc eſt, à liberandis defendendiſque illis finibus contra hoſtium impetum. Tametſi illud quondam ROMANORUM Armamentarium fuiſſe haud ignorem: Cujus nomen obſcuræ atque abſtruſæ originis CLUVERUS, ejus Friſicæ dictionis planè ignarus, exiſtimat. Quod quidem Johannes Chriſtvallus Calvetus in coronationis PHILIPPI Secundi HISPANIARUM & INDIARUM REGIS, nec non Hollandiæ Comitis Itinerario ab Imperatore CAJO CALIGULA extructum fuiſſe ſcripſit; eamque molem *'T Huis te Britten* (hoc eſt, Britannica domus) ideò vocatam eſſe, Britanni quoniam eò ſæpiùs appellere ſolebant, ut Rheni oſtium ſubirent, cui imminet, vel quod facilis inde trajectus in Inſulam eſſet BRITANNIAM, quæ diu poſtea ab Anglorum incurſu ANGLIA dicta eſt.

't Huis te Britten Romanorum quondam Armamentarium.

Cluv. c. 14

Alii præterea à SEPTIMO SEVERO Imperatore molem perfectam iſſe exiſtimant, ejuſque rei ſe tabulas legiſſe affirmant; nominis rationem Britanniæ Inſulæ aſſignant; nec tamen exponunt unde ipſa BRITANNIA nominis originem traxerit.

De Britannica arce quorundam opiniones.

Ego quidem hoc Romanorum Caſtellum in plano apertoque littore à Druſo Germanico, CÆSARE Imperante AUGUSTO, non verò à CALIGULA extructum fuiſſe crediderim: Hic namque Lucio Annæo Floro teſtante, ultra quinquaginta per Rheni ripam Caſtella erigi curavit. CALIGULAM verò turrim tantummodo ingentem, è qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium curſus, ignes emicarent, memorandè addidiſſe. Ut in illius Principis vita Suetonius Autor reliquit.

Sueton. in Caligula. Florus lib. 4. cap. 12.

Quod

Quod si porrò dictio *Britten* ipsis Germanis esset incognita, haud ineptè ad *Vri-end* respicere atque alludere possemus.

Verum quùm imbricis inscriptio prodat ex GER. INF. Quæ quoque inscriptio ipsis in lateribus ex hujus Castelli fundamento Anno millesimo quingentesimo & vigesimo, item millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, ac quingentesimo sexagesimo secundo erutis, inventa fuit; quâ Germaniam inferiorem sive BELGIUM denotarunt ROMANI, quoniam à Belgis hi lateres quondam confecti fuêre; idcirco & Germani Inferiores, præsertim FRISII optimè norunt, quid vox *Britten* significat, non utique ambagibus uti, nec non diverticula quærere opus erit: Sed intelligamus, quid ipsi FRISII, ut quorum incorruptissima est Lingua, & Antiquissima, *Britten* nomine sibi velint.

Lingua Frisica omnium Antiquissima.

In agro transamasano Orientalis FRISIÆ ad Amasium Fluvium prope pagum *Leer* monticuli aliquot è Terrâ solidâ tanquam unitæ moles congesti sunt, ad eos operæ rusticæ refectionis diurnæ tempore dato inde signo plerumque conveniunt, & cibum capiunt: Ibidem sua vestimenta reponunt, & quæ servata velint ut suo tempore usurpent: Ad quas moles terreas usque festis quoque diebus spatiantur.

Lera.

Similes aliquot moles sunt in Cimbrico Pago Amasio, quem hodie admodum corruptè *Simers-wolt* pro *Cimbers-wolt* nominant, Nobilium quondam ab *Oldersum*, nunc verò civitatis Emdanæ ditionis; ubi verò illæ moles *Brittenberg*, hoc est, Britannici Montes appellantur.

Brittenberg.

Quare illud Romanorum Armamentarium ab Incolis *'t Huis te Britten*, id est, Britannica Arx, ideo vocatum fusìe non dubito, quòd congesta & in solidis finibus firmata, eminentiorique loco moles esset.

't Huis te Britten unde dictum.

Usus autem hujusmodi molis plurimus est. Etenim congregationi faciendæ, appellendis, dirigendisque navibus, rebus in inundationis periculo conservandis, Maris æstus, Belli, incendii, hostilis incursus qualiscunque, defendendis limitibus, faciendisque per Mare Speculis, per Flumina, Paludes, Terras, nec non Sylvas destinata inservit.

Dum apud ARISTOTELEM libro de Mundo, si alioqui ut vulgò habetur legitimus & verus ejus Autoris partus fuit,

Aristot. de Mundo.

omnium primum φρυκτόρια Legi, ea etiamnum ſpeculas dic eminentiores inveni, è quibus oſtentatæ faces è longinquo quid in unaquaque Regione novi fieret, vel factum eſſet, præſignificabant; adeò ut talium uſu uno die quid in totâ Aſiâ fieret, PERSARUM REX percipere poſſet: Deinde φρυκτας id genus eſſe *faces*, quibus longinquis ſignum fieret: Haud abſurdè mihi ejusmodi ſpeculas cum congeſtis illis Friſicis è Terra ſolidis monticulis conferre videtur.

Nominis interea rationem obiter attingens eandem & nominis & rei originem, ac uſum eſſe non animadvertebam.

Parva enim differentia φρυτεν & βρυτεν in ſcribendo facilè occurrentem litterarum inverſionem, immutationemque repræſentat: Res verò eadem, & quæ uſitatas priſcis temporibus ejuſmodi moles ſpecularum gratiâ fuiſſe declarat, & nunc dubitandi ſcrupulum aufert; unde domus illa in vico CATTORUM ad aliquod Rheni oſtium (cujus tum alia planè quàm hodierno hoc tempore facies cernebatur, cujusque nunc rerum viciſſitudine exitus arenoſis tumulis a Mari elevatis conſtipatus clauditur) in Hollandicum Oceanum fluentis poſita, *Te Britten* eſt nuncupata.

Nam de facibus interdiu accenſis fumi cauſâ, & noctu lucentibus, aliiſque ſignis, quæ inde navigantibus, piſcantibus, itinera terreſtria facientibus, excubitoribus, nec non vicinis agricolis deſtinabantur, non eſt hujus loci perſtringere: Demonſtraſſe namque ſufficiat, quod *Britten*, ſi ſubſtantivum eſt, molem ſiccam, altam, & ſolidam ſignificat.

Britanniæ Inſulæ nomen unde.

Quoniam verò ANGLIA in ipſo Oceano moles firma, in concuſſâ, & eminens ſit, at incolis ſedem, communiſque victus habitationem præbens, verè olim dicta fuit BRITANNIA.

GRÆCI autem haud ignorant ſuum πρυτανειον, quod Latini etiam Prytanæum vocant, cujus originem cum Britanniâ eandem eſſe, quis non vel mediocris Lectionis, Antiquitatumque Studioſus animadvertit? Neque me latet, aliquos PRYTANÆUM πυρὸς ταμειον, hoc eſt, *Tritici penum*, interpretari.

Prytanæum quid.

Alii autem nervoſius hic indicant, locum eminentem, in quo de Republicâ benemeritis victus gratis dabatur, ac ubi guber-

gubernandæ Reipublicæ Magiſtratus creabatur, ſignificare: Quod ſi ad ipſum Prytanei ſitum & uſum reſpexerimus, convenientiſſimam & maximè propriam rei Nomenclaturam deprehendemus.

Quæ verò nonnulli de BRITANNIA, DANIAVE fingunt, nuganteſque ſomniant, ac nova parturiunt, hic lubens omitto, ne in orcum delabi videamur, unde pedem revocare non licet. Nam juxta paræmiam tutiſſima via, quæ ab omnibus trita eſt; utpote quam omnes noverint.

Quocirca ad vocem FRISIIS noſtris familiarem *Britten* alacriter regredior. Ut de quâ, quatenus ſubſtantivum nomen eſt, quæ hactenus cognitu utilia viſa fuêre, ſatis copiosè egi: Quatenus autem adjectivum, idem, ut modo ex parte dictum, quod conſolidare, compingere, unire, firmare, nec non connectere ſignificat, deque reparandis, firmandisque aggeribus, ædibus, ædium tectis, navibus, viis, atque ſimilibus rupturam, rimas vel ruinam minantibus celebratis.

Verum hæc additis loquendi ſententiis doceremus, ſi Antiquiſſimæ Linguæ Germanicæ Lexicon, quæ verè Saxonica eſt, condere propoſuiſſemus.

Brit ergò conſolidandi ſignificationem habere indicavimus. *Tan* verò dens eſt, res ſcilicet omnium partium humani corporis ſicciſſima & duriſſima, cujus contrarium eſt *Nat*, quod huhumidum & molliſſimum corpus denotat. Nunc vulgò Delta ſubjungitur, ſcribiturque *Tand*.

Vera Britannicæ nominis Antiquiſſimi ſignificatio.

Porro *Ica* vel *Hica* idem quod ejectio valet. *Hyc* enim geminatâ vocali, quemadmodum in compoſitis à jacio, & in adjicio, vel injicio auditur, ejectionem rei alicujus, vel excuſſionem notat.

Hyc quid.

Ipſe enim ſingultus, in quo cum Luctatione halitus vel corporis flatus ejectio eſt, vulgò dicitur *Hyc* vel *Hyck*: Ipſa etiam pullorum excluſio, fœtus ruptis ovorum teſtaceis putaminibus ſe exerunt, eoque vocabulo uſitatè ſignificatur.

Ica, Tan, & Tanica quid.

Nunc verò ut penſum abſolvamus, â poſteriore dictione progreſſi totam explicamus. *Ica* eſt ejectio, *Tan* autem Dens; unde *Tanica* dentium ejectio eſt.

Talis namque Naturæ morbus SCORBUTUS deprehenditur, quòd corrodendo dentes, ipſaſque gingivas conſumen-

do efficit, ut dentes excidant, excutianturve nisi remedium in tempore adhibeatur: Quod verò contrariâ facultate pollet, id debet, quæ fluida, flaccida, labilia, dissolutaque diffluunt, unire, densare, firmare, ac ita solidare, ut naturalem suam molem, integritatemque recuperent, diciturque *Britten*, vel *Brilen*, non *Vrien*.

Quamobrem si Herba est, quæ oris medetur malis, nimirum quæ halitibus, dentibus, diffluentibusque putredine ginguivis opitulandi virtutem obtinet, & dissolutas oris partes, aut aliorum membrorum astringendo in pristinum habitum reducere, ac ne quid amplius depereat, inhibere, utque naturaliter partes nutriantur & augeantur præstare valet, inprimis autem hoc corporis vitium, & cartilaginosa, ac ossea substantia, ossibusque & dentibus, ut quibus hic moribus potissimum tenaciter inhæret, difficulter eradicari potest.

Hæc utique HERBA summo rationis jure BRITANNICA nuncupari potest: Nam Ortographiæ exactum adeò hâc in voce, LATINIS omnibus peregrinâ, judicium non curamus; eadem res designatur, sive BRITANICA, sive BRITANNICA, aut BRITANHICA scribitur.

Britanica, Britannica sive Britanhica, idem.

CAPUT XIV.

BRITANNICÆ Herba cognitio quando periit. Quo Tempore de novo inventa. Covordia quo die recuperata. Groninga quandiu obsessa. Anglorum classis perdita. BRITANNICA ab effectu dicta. Frisiorum nomina in vocali desinentia. Lingua Frisica pluribus difficilis. BRITANNICA dictio Frisica. Dentilaria quid. Scorbuti notæ describuntur omnes.

PRytanis, Prytanæum, & quid *Brit-angel*, *Brittenbetgh* &c. significant, exposuimus. Jam vero ad BRITANNICÆ perditionis, inventionisque Tempus, nec non FRI-

SIORUM

Lapathum vulgare minus.

fol. 132

SIORUM, aliarumqve Provinciarum ferreum sæculum progredior. Quemadmodum verò hæc Nobiliſſima, atque efficaciſſima Planta, omniumque in Friſiâ, atque Hollandia naſcentium RÈGINA, ſub Gothorum Normannorumque in FRISIOS crudelitate inauditâ ſævientium horribili armorum ſtrepitu periit, ita Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, unitis fermè omnibus BELGII Provinciis quaſi climacterico, ſub terribili tubarum, tympanorumque ſono de novo à me inventa eſt: Et quidem eo ipſo die, nono nempè Julii menſis, nobis Groningenſibus revera triſti ac nigro: Illo enim hoſtis noſter, omnibus ex æquo inimicus, Potentiſſimus Galliarum REX Chriſtianiſſimus LUDOVICUS, nominis iſtius decimus quartus, Principis Electoris MAXIMILIANI HENRICI Colonienſis Archiepiſcopi, nec non BERNARDI à GALEN Monaſterienſium Epiſcopi ductu; primò Geldriâ, Trajecto ad Rhenum, Tranſiſalaniâque Provinciis, nec non Veſaliâ, Zutphaniâ, Covordiâ (quæ vigeſimo die Decembris ejuſdem Anni à nongentis militibus licet cuſtodita, violentâ tamen manu per undecim GRONINGANORUM centurias (mirabile dictu) gloriosè rurſum expugnata fuit) aliiſque Urbibus, ac Arcibus, non regiis victricibus armis, ſed ſceleratâ quorundam militum Præfectorum vecordiâ, ipſorumque MAGISTRATUM ac PROCERUM, in propriam ſubditorum ſuorum (hoſtili ferociæ miſerè ingemiſcentium, & Provinciarum ſuarum ſtatum, tot copiarum invaſiones, puplicas devaſtationes, Religionis & Dominii mutationes, LIBERTATIS privationem, ſervitutis iugum, nec non innumeras alias calamitates, quas premere ſilentio magis, ſi fas eſſet, quàm meminiſſe hic allubeſceret, triſti ac horribili ſanè ejulatu deplorantium) pernitiem fluctuantium, turpiſſimâ atque deteſtabili quâdam arte fucoſe deauratâ ſex ſeptimanarum ſpatio ſubactis, in campum noſtrum proceſſit, & ingentem ad viginti tria hominum millia ex omnium Gentium colluvione commixtum poſt ſe trahens exercitum, atque in nos fatale ferrum ſtringens, quo cervices noſtras demeteret, GRONINGAM Urbem paternam per integras ſex ſeptimanas à parte auſtrali obſedit.

Britannica Gothorum tempore periit, Gallorum verò denuo inventa.

Covordia recuperata

Groninga per 6. ſeptimanas obeſſa, non verò capta.

Quùm verò nec per innumerabiles tormentorum majorum in

eam explosiones, nec per quatuor millia & ultra injectorum minorum ac majorum globorum, qui continuò volitantes Granatas ac sibilantes BOMBOS vulgò appellatos, aliasque Pyrotechnices machinas ad incendium propagandum paratas, quas *Branders* inde & *Stink-potten* plerumque nuncupant, quoniam ad humanam altitudinem ter distinctis vicibus editâ flammâ, ter quoque plumbearum glandium imbres cum explosionibus ad ignem extinguendum neminem admittentes ejiciunt, nec non pessimum post se fœtorem spargunt, quibus ingens ædium ad fundum eversarum numerus cernebatur, ut ad Septentrionalem Urbis plagam se conferre, atque exiguo commorandi loco contenti esse viginti, triginta, & ultra sæpius, homines fuerint coacti; imo quod magis, sub proprio ædium mearum tegmine mortales numera sexaginta receperim, ac cesso variis amicitiæ ac notitiæ meæ VIRIS PRINCIPIBUS requiescendi loco, in domesticis meis tabulati asseribus non sine propriæ vitæ discrimine lectulum mihi sterni lubens curaverim: Nihilominus tamen ob PROCERUM Groningensium plurimorum indefinentem curam & vigilantiam, Civium omnium, mortis faciem non reformidântium, inviolabili atque adamantino fœdere junctorum unanimitatem, virtutem, & strenuitatem, STUDIOSORUM (qui & arma, rebus nostris adeò in arcto ac quasi in summo periculornm apice veluti quâdam Crisi positis ad Patriæ quoque defensionem sub Generosi Capitanei Vir-juvenis WICHERI WICHERS, Optionis RUTCHERI TEN BERGH, ac signiferi SCATONIS GOCKINGA fœlici auspicio susceperant) omne periculum subeuntium (unde ab ILLUSTRIBUS ac PRÆPOTENTIBUS Provinciæ ORDINIBUS per NOBILISSIMOS & AMPLISSIMOS Academiæ CURATORES in æternam fortitudinis memoriam Numisma insigne excusum omnibus exhibitum) animositatem, nec non Militum bellicosam generositatem, Civitatem, amissis in eâ feruente obsidione, vix octoginta hominibus in universum, ad deditionem cogere non potuit: Perditis verò ex suis duodecim circiter hominum millibus, ruptisque quibusdam Tormentis, ac Mortariis Bellicis, clam, postquam jam ultra Mensem in fossæ Limine (eam transire non audens) hæsisset, à decimo septimo ad vicesimum

Groningensium animi imperterriti ac fortissimi.

Studiosis Numisma datum.

Quot ex civibus periere, & quot ex hostibus.

Mensis

Menſis Auguſti diem caſtra movens, ac furtivè fugiens, turpiter deſeruit. Hoſtis fuga.

Quæ ſanè GRONINGENSIUM Bellicoſa Virtus tribus reliquis Provinciis conſervationis exitit cauſa. Illis enim debellatis, totum Fœderatum Belgium debellatum viſum fuiſſet: Quùm impoſſibiliter à Maris littoribus ab hoſtili duorum Potentiſſimorum, GALLIÆ ſcilicet, & ANGLIÆ REGUM claſſe, centum & quinquaginta navibus unà conſtante (quæ Anno nihilominus milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſemel tantum, ſeptuageſimo verò tertio undecim hebdomadarum ſpatio, ſeptimo licet ac decimo quarto Julii, nec non viceſimo primo Menſis Auguſti (Stylo novo) DEO nobis propitio, à BATAVORUM noſtrorum claſſe naves vix octoginta numerante ter generosè triumphata, & in fugam ignominiæ planam conjecta fuit) à Terræ etiam parte ab infeſtis tribus Gallorum exercitibus (ad ipſa jam Hollandiæ viſcera penetrantibus) undique cinctum ac preſſum, ſubſiſtere amplius potuiſſet, quod ad unam quoque omnes BELGII Fœderati PROCERES unanimi conſenſu fateri coguntur. Regum duorum Claſſis ter ſuperata.

Sed ita viſum eſt DEO Omnipotenti ac Clementiſſimo, qui durante Groningæ Urbis obſidione, Anglis è Mari per Texelum, & Flevum Fluentum ad Texelanam arcem omni jam milite, omnique apparatu bellico deſtitutam, ad FRISIAM quoque ſimul & GRONINGAM à Septentrionali parte occupandam, Auſtrinum Mare ingredi volentibus mirificè reſtitit: Voluit enim MAXIMUS illi Cœli Terræque MONARCHA, ut eo ipſo die, ſexto, ni fallor, Menſis Auguſti unda marina ultra octodecim horarum ſpatium ſupernaturaliter defluceret. Divinæ manus potentia miranda.

Ejus deinde in accretionem rurſum mutato curſu, Ventum ex Occidente movit vehementem, quo per freta dicta denuo introitum illis non ſolum denegavit, verum etiam plurimam illorum claſſis partem planè diſſipavit, atque divinæ ſuæ manus beneficio funditus evertit, ut navium etiam fragmenta, abjecta onera, emporeumata varia, nec non plurima inſtrumenta bellica Hollandis prædæ ceſſerint. Anglorum claſſis dituta.

Nos itaque, poſt COVORDIÆ Urbis, ac tam Veteris, quàm Novi Fortalicii per Groninganos ſex Menſium ſpatio fœli-

fœlicem recuperationem, DEI TER OPTIMI MAXIMI clementiâ à ſervitute intolerandâ benignè liberati, dictarum Provinciarum infortunatarum incolas hoſtiliter adhuc premi videmus: Quod ſolâ veſtrâ indefenſibili culpâ O! PROCERES, qui non publicum, ſed privatum veſtrum commodum per tot pauperum ſubditorum deploranda ſuſpiria atque indefinentes cruciatus illo verè ferreo ſæculo in perpetuam ignominiam quæſiviſtis, accidiſſe comperimus: Cujus aliquando rationem DEO reddituri eſtis.

Videmus enim ſtatus veſtri rationem in iniquitate quâdam deteſtandâ ut plurimum fundatam, dominandi libidinem, titulorum aucupia, vanæ gloriæ fumos, vindictæ ſtudium, aliaque ſimilium ineptiarum portenta, quæ fæcundiſſimum quoddam odiorum ſeminarium ſunt, firmiores apud vos fixiſſe radices, quàm ut evelli ſe facilè patiantur.

Quapropter O temerarii! quorum artus univerſi malâ conſcientiâ preſſi levi etiamnum cadentes folii murmure tremunt, domicilia veſtra ſuſpenſa certè Hederâ egent, dum poſſeſſores illorum venales exiſtere videntur: Miſera plenè ac infelicia illa eſſe TROPHÆA neſcitis, quæ de trucidatis civibus excitantur: Sordidum quoque omne eſſe aurum, quod miſerorum lachrymis & cruore diſtillatur: Nec ad alienas poſſeſſiones per ſanguinem deſcendere, magnificum ac diuturnum.

Quare ſequitur vos omnium luctus & comploratio, comitabuntur vos devotiones & execrationes, orieturque omnium Ordinum publica deſperatio, quin & ipſi Lares veſtri, quos utique fœdi hujus incendii fœtor etiam adflavit, ac TAXO & CYPRESSO onerati, quam in occurſum laturi erant, indignabundi triſtes ac pullati vos excipient. At tempus quandoque violenta illa inhumanaque veſtra conſilia proſperè fluunt, & mox in pejus ipſâ mole ſuâ ruent: Fortunâ nihil fugacius, nihil levius; ſæpè dum ridet iraſcitur; dum blanditur fallit; vitrea planè eſt, dum ſplendet maximè, ſæpè rumpitur.

Ad miſeros noſtrates allocutio.

At vos, O miſeri! quos jam Fortuna novercans ſequius habet, quibus opem nunc præſtare non poſſumus, quamvis trementes miſerè nos eminus aſpiciatis, & ſublatis vocibus ac manibus noſtrum imploretis auxilium, ne cadite quæſo animis, durate illos, erigiteque ſpe meliorum; in nullius illa contubernium

bernium ſemper manſura conceſſit: Servat **illa** ſibi jus ſuum, quod eſt ad minimum auræ flatum pro libitu mutari; ſicut raris ſe proſperam ſemper; ita raris ſemper exhibuit adverſam. Ferendum jam vobis eſt, quod aliter noluit eſſe DEUS, & cum ipſo DEO conſtanti pede gradiendum. Bellorum eventus ancipites ſemper deprehendi, imo ſæpè fatales IMPERIORIORUM periodi fuerunt. Melius jam vobis erit temporum furori ac neceſſitati nonnihil præſenti cedere, & illatas per vim contumelias, ac damna, Chriſtianâ fortitudine potius, quàm ut illa ulteriori ruinâ ultum eatis, devorare: Rependet dies, rependet vobis DEUS, ac ea quæ Bellorum iniquitatibus ſubtracta ſunt, copioſo cum fœnore aliquandò refundet.

Verum ut redeam, unde digreſſus fui, TEMPUS me vocat.

Ad HERBAM igitur cujus antea mentionem feci gradum rurſus facio. Illâ enim Nomenclaturâ, ac Etymo ad rei proprietatem ſignificandam, ejuſque effectus exprimendos, ad declarandas facultatum vires, aptiſſimo BRITANNICA olim à PRISCIS FRISIIS vocata fuit: Herba nimirum ſolidarum partium præſertim dentium contabeſcentiam, aut ejectionem conſolidans.

Britannicæ nomen ab effectu inditum.

Quod autem dictio in vocalem deſinit, ideoque multis à LATINIS efformata, & è Barbarico, rudique ſono in politiorem traducta videtur, paucis hic eâ de re Sententiam meam aperiam.

Primò, conſtat in FRISICA Linguâ nomina in vocalem & hanc præcipuam Alpha deſinere, novum non eſſe: Quemadmodum in Familiarum, Dominiorum, & Titulorum inſcriptionibus palam eſt. Itaque paſſim audiuntur *Manninga*, *Tamminga*, *Grevinga*, *Ailua*, *Burmania*, *Alberda*, *Ripperda*: Et *Brinca*, *Selvarda*, *Huſinga*, *Frama*, *Ludema*, & quæ his ſunt ſimilia.

Friſiorum nomina plerumque in A, O, & E deſinentia.

Tum verum ANTIQUUM jus FRISICUM ſcriptum hoc docet, in quo dictiones plurimæ vocalem terminationem ſortiuntur, ut obvium eſt in *Frivilingo*, vel *Fivilinge*, *Hunſingo* vel *Hunſinge*, & cæteris. Deinde ſi à Latinis dictio hæc ad certum typum redacta fuiſſet, non tot, tamque diverſis modis ea in libris Autorum exarata inveniretur.

Unus enim APULEJUS nunc BRITANICEN, nunc BRETANICAM, inde BRETANNI, rursum BRITANNICAM vocat.

Totum autem negotium ex eo pendere videtur, quod olim in nostrâ Terra Frisicâ ROMANI, & qui in Romanorum castris aderant GRÆCI MEDICI, diligentes rerum Naturæ indagatores, pronunciatæ à Frisiis BRITANNICÆ sonum non imitari, imo multo minus exprimere convenientibus litteris potuerunt.

Frisica Lingua ab exteris non intelligibilis.

Nam etiamnum externi, qui in FRISIA nati non sunt, nec à teneris ejus Linguæ sonum imbiberunt, vix aut difficilè eum fando consequuntur.

Britannica nil nisi Frisica dictio est.

Omnis igitur BRITANNICA dictio FRISICÆ originis, & pronunciationis est, eamque, quam modo paucis contra plurimorum opinionem habet, veram tamen ac indubitatam Etymologiam reddidi.

Cessent igitur curiosæ multorum quæstiones; neque opus est, ut se quisquam hujus nominis causâ amplius torqueat, vel alios divexet, aut inutile negotium faciat.

Nec verò GRÆCI idiomatis voces huc applicare animus est, ne prolixior commentarius modum excedat, & qui jam opinione meâ longè amplior excrevit.

Possem alioqui hoc loco originem multarumque dictionum GRÆCARUM vim non sine utilitate forsan exponere, ut βείζω, βρίθω, βρίθος, βρίαω, πυτάνειον, πυτάνης, & denique Pritannicæ Insulæ.

Cæterum aliò me revocat BRITANNICA, obiterque perstrigendus eorum error, jam tamen sæpiùs explosus, qui Betonicam vocant BRITANNICAM; ut in multis Græcis Lexicis legitur: Non est autem Grammaticorum novisse *Amaracum*, aut BRITANNICAM: Longè aliud *Betonica* significat & suo Etymo, & suo pariter usu: Hæc verò Herbam labiles dentes, horumque varios affectus consolidantem notat: Ita ut quæ HERBA inveniri potest excellentia hâc atque occultâ vi, & simul apertâ facultate prædita, ut Stomacacen scilicet oris vitia, dentium dolores, instabilitates, erosiones, vermiculationes, stupores, gingivarum putredines, & Phagedænica, similiaque Ostonopici morbi Symptomata,

Betonica non est Britannica

mata, aliorumque curet: Ea jure optimo non DENTILARIA ſolum, verum etiam BRITANNICA vocetur. Dentillaria.

Jam verò neſcio ullum ſimplex in rerum Naturâ, quamvis aliquâ ex parte huic ſtudio me tradidiſſe profitear; quod qualitatibus manifeſtis, tum etiam propriâ & naturali ſuâ virtute adeò dentibus, gingivis, ſimilibuſque non ſolum oris, verum etiam faucium vitiis, quàm hæc mea HERBA, pròſit: Quam idcirco veram eſſe BRITANNICAM affirmo.

Eodem plane modo in eo, quod PLINIO aſſcribitur de Remediis ad omnes corporis morbos Volumine capite triceſimo octavo traditur. Plin. volum. de remed. c. 38.

Si Agreſtis Lapathi, quod Aliqui RUMICEM *quoque vocant, radix commanducetur, & ſuccus in ore contineatur, ſtatim dentium dolorem tolli, Rheuma ſiſti; at cum aceti cyathis tribus vel quinque radice coctâ, aceto in ore detento idem fieri.*

Quo loco non alia Herba intelligitur, quàm hæc noſtra BRITANNICA: Utpote quæ ſola ex omnibus LAPATHI ſpeciebus, atque unica adſtringit, omnibuſque oris vitiis eſt utiliſſima. Sola Britannica inter omnes noſtri orbis Lapathi ſpecies aſtringit.

Sic namque VETERES FRISII ab ipſis mundi incunabulis, & ROMANI, aliique omnes poſtea per tot annorum centurias hâc Herbâ ad dentium varios affectus maſticando, fricando, ſuccum inungendo, ac decoctum ore continendo uti conſuevêre.

Ejus tamen uſus plurimus fuit propter *Scorbutum* familiariſſimum, & ut antea ſæpiùs monitum Endymicum Friſiæ morbum, propter *Stomacacen* & *Scelotyrben* hujus morbi Symptomata non modo in FRISIA, verum etiam in ipſâ ARABIA, teſte STRABONE graſſantia.

De Romanorum enim exercitu, DUCE ÆLIO GALLO, in Arabiæ locis, hoc morbi genere DIVI AUGUSTI tempore divexato libro ſuo Geographicorum decimo ſexto ſic refert. Strabo l. 5.

Quare in album vicum pervenit, jam exercitu oris & crurum vitiis, cæterisque ejus loci malis tentato: Quorum illa circa os, hæc circa crura reſolutiones quædam ſunt ob Aquas & fructus provenientes.

CRATERI quoque *Medici ſervum*, referente PORPHYRIO, *novo quodam morbo* (nempè Scorbuto) *captum fuiſſe, ita ut carnes ejus ab oſſibus abſcederent.* Porphyr. lib. 1. de abſtinentia ab animal.

Neque verò hic mihi disputandum erit, an sint morbi, an Symptomata; non magis, quàm si contendam, an Lippitudo GRÆCIS ὀφθαλμία, sit morbus, an Symptoma: Quis enim morbos esse nescit, si per se & principaliter ingruant, & actiones impediunt; esse symptoma si alium morbum sequuntur, nec actiones solum lædunt, verum & actionum ipsarum læsiones sunt factæ? usitato tamen & proprio vocabulo quid vetat uti, & simul approbatum Frisicæ dictionis usum sequi? *Schorbuc* dicitur, & sic morbus cognominatur.

Vulgò enim fertur, *De Schorbuc krankte*, Scorbutus morbus, vel *De Scheurbuik-siekte*; JOHANNES etiam WIERUS in suo observationum Medicarum libri *Scorbutum* inscribit. Est autem intemperies frigida & humida, ossa, osseasque partes, nervos & nervosa resolvens, cui portio venenata haud dubio adest, ideò quod variis accidentibus & labificiis corruptionibus corpus alterat: Quorum omisso horrore, quatuor præcipua genera perstringam.

Wier. observ. libro.

Scorbuti qualitas.

Primis duobus GRÆCI MEDICI, qui Romanorum castra sequebantur, Græca nomina indiderunt, quoniam FRISICORUM nominum Etymon ignorabant aut ipsa etiam vocabula exprimere non poterant: Posterioribus duobus necdum quis vera nomina GRÆCA vel LATINA tribuit.

Primum est autem & vulgare, ac quod morbi initio erumpit Symptoma, oris nigredo, dentium mobilitas, livor, erosio, gingivarum putredo, & ulceratio, nec non sanios & fœtidi cruoris subatri effluxio, dolor cum pruritu, ut etiam in Serpigine, vulgò *de Sprouw* (à serpendo dictâ) verâ *Scorbuti* specie, laborantibus cernitur, quod GRÆCI σηπεδαννλω, oris malignitatem xocant; quia dentes potissimum laborant; alibi *Schormond* sive *Scheurmond*, id est, buccæ vel oris rupturam dicunt, quâ gingivæ à dentibus discedunt: His medetur BRITANNICA: Ideo hoc nomen à dentium solidandorum curâ ne excidant sortita est.

Scorbuti notæ.

Schormund quid.

Alterum est quod sequitur, si morbus ab initio non curatur, resolutio scilicet nervosarum partium, compagisque in genibus, anguium instar, & quasi mortua membra tremore vacillant ipsa crura; GRÆCIS nuncupatum est σκελοτυρβὴ; alibi verò pronunciatur *Schorbein* vel *Schorbeen*, hoc est tibiarum

biarum ruptura; qui dolor aliquando ossa penetrando percipitur, vel sensum fractorum ossium infert: Unde aliqui putant hoc Frisiæ malum vocandum esse *De Schorbut*, & Latinè ostraginem, vel ostaginem, aut juxta MARCELLUM Oscedinem: Quamvis à quibusdam etiamnum Belgico idiomate *De Lamme Schorbot* vocetur. Ostago. Oscedo. Lamme Schorbot quid.

Qui verò σκελοτύφλω, Scorbutum, aut saltem Scorbuti speciem non esse existimant, illi mihi vero Scorbuto laborantes nunquam vidisse videntur, cujus definitionem in definitionum libro ponit CLAUDIUS GALENUS: Cui quoque malo BRITANNICA opitulatur, sed diverso modo, quàm Stomacaccæ, quemadmodum postea declarabitur.

Tertium est Symptoma cutis decoloratio, multorumque nigrorum stigmatum in tibiis, partibus nervosis, ac frigidis eruptio. Hoc sæpè per se usu venit in hoc morbo, maximè initiò si pauca materia est, vel in morbi statu, si Natura morbum superat: In multis hæc stigmata perseverant, & curationem admittunt, in nonnullis exulcerantur, & malorum ulcerum principia sunt GRÆCI & LATINI nomen non dederunt: Vulgò aliqui Icterum Nigrum, Frisii *De Blausucht*, Hollandi verò *De Blau-schuit*, sic Frisii quoque puniceas maculas *De Flekken* vel *Plekken* vocant. Tertium. Icterus niger. De Blausucht quid.

Quartum est quasi principale & inseparabile accidens, ventris dolor cum torsione subito ingruente & mox recedente; & nisi provideatur, intendi, & lentas febres ipsum corpus sensim exhaurientes inferre solet: Ne hoc quidem Græci aut Latini, ut notum est, aliquo nomine donaverunt. Quartum.

Frisii *Schorbuik* passim nominant, tanquam inviduum quid, & morbo, qui inde nomen obtinuit, semper conjunctum: quasi totus venter, & hypochondria rupturæ sensu distentionem patiantur. Verum de hoc satis. Schorbuik quid in specie.

Grassatur autem hic morbus apud eos potissimum, qui Vinum non bibunt, verum quibus continuus Cervisiæ potus est, præcipuè qui in Seri defectu, vel aquæ decoctæ crudam aliquando degustant.

CAPUT XV.

Nonnulla BRITANNICÆ experimenta in medium proferuntur. Et ad quæ BRITANNICA conducit hoc loco dicitur.

BRITANNICAM veram esse dictionem Frisicam perspicuè vidimus, omniumque Scorbuti specierum descriptiones narravimus. Nunc autem, ad quæ BRITANNICA valet, annotandum propero.

Quas igitur facultates ad Stomacacen curandam in hâc meâ Herbâ expertus sum, paucis enarrabo, ut ejus usus, & quod pariter vera hæc BRITANNICA sit, omnibus constet.

Seminis consideratio.

De BRITANNICÆ semine nihil, præterquam quod superius annotavi, tradunt AUTORES: Qui quidem omnes satis superque illud semini Oxylapathi esse persimile demonstrant, dum BRITANNICAM Rumicibus Agrestibus in omnibus esse similem scribunt.

Hujus autem, quam hic ad vivum depingo, cum Sylvestribus LAPATHIS prorsus idem semen est, nigrius paulò, quanto illud est rubicundius, magis etiam hoc, quàm FLOS astringit.

Quibus malis prodest. Joann. Fernel. lib. V. de part. morib. cap. 8.

Valet itaque faucium malis, Aphthis sive uleribus in quamvis oris partem sæpenumero serpentibus, ut scribit Clarissimus JOANNES FERNELIUS, Dysenteriis, Cœliacisque: Malignis omnibus medetur ulceribus, nec non venenatis ictibus universis, si pulveris modo inspergatur.

Gal. lib. 2. de Antid.

Quod autem inter Antidota hujus usus non sit exiguus, id ne quidem GALENUM latuit. Sic enim libro de Antidotis secundo apud eum legitur, ubi inter alia Alexicaca contra Hydrophobiam BRITANNICA inter DEMOCRATIS versus commendatur; quos sic JULIANUS MARTIANUS ROTA vertit.

Hanc

Lapathum minus dentatum *fol. 142*

Hanc quoque ad eos qui timent aquam ſibi
Dicebat Niceratus conſtare & ſimul
Amicis, qui mirandas judicare
Medicinarum proprietates queant.
Titii Patricii optimi tres obolos
Præſtaret indicium ſi id adeſſet tibi.
Dies jubebat viginti duos dare
Jejuno ut dixi nuper morſis, & ex aqua
Facere ſuccus BRITANNICÆ *fertur idem*
Datus quo Lycium præcepimus modo.
Hoc quidam etiam multum admirantur.

Huc refer PLINII verba, ex quibus ſatis eluceſcit ad venenata, & Serpentium ictus BRIT Herbam plurimum valere. Verum hæc mea Herba contra venena, morſuſque venenatos inſignes habet effectus. Contra venena efficax.

Succi porro expreſſi è foliis & radice BRITANNICÆ Antiqui ferè omnes, & LATINI mentionem faciunt. Succum medicatum *Rob* Arabes vocant.

Primò, quod ſuccus omnibus ex partibus BRITANNCÆ collectus, ad Stomacia, Scelotyrben, malaque ulcera faciat, argumentum eſt, Herbam antipathiâ, ac proprietate occultâ illa propulſare mala; quemadmodum in hâc noſtrâ BRITANNICA Herbâ erpertus ſum. Nam quod tibiæ quoddam ulcus nullis emplaſtris in milite quodam mihi vicino, item aliud in quâdam fœminâ Dorotheâ ſimile curari potuit, illud equidem hujus HERBÆ ſucco expeditè ſanavi. Succus ad ulcera.

Tum autem ex nullâ Herbâ, quod ſciam, expreſſus ſuccus ita facilè igni condenſatur, coquendo enim brevi temporis ſpatio ſpiſſatur, & denſi mellis inſtar fit, nec non vehementer ſtipticus eſt, ac aciditatem quandam penetrantem retinet.

Poſteaquam igitur collatâ deſcriptione, Etymisque, hanc veram eſſe Herbam BRITANNICAM, ſatis demonſtravi: Non contentus tamen his, idem facultatibus, quas ipſâ experientiâ cognitas habeo, quod nec inutile, nec cognitu injucundum erit, confirmabo.

Inter

Inter facultates igitur, quibus hæc BRITANNICA pollet, primò occurrit, illam dentium malis (ut jam dictum) mederi.

Adversus dentium dolores.

Clarissimus AËTIUS AMIDENUS plurimum *ad dolorem & dentium mobilitatem* commendat, ut jam in Rumice Nigro superius ostendi.

Plin. Volum. de Remed.

Idem facere PLINIUS videtur, qui eam præterea contra dentes Rheumate vexatos usurpat, ut ex tricesimo illius capite constat.

BRITANNICÆ *succum*, inquit, *cum vino veteri & aceto ad tertiam decoques, posteaque ore contineas.* Idem paulò post tradit, quod *ad cavum dentem* BRITANNICA *Herba commasticetur.*

Alii igitur Stomaticam esse Herbam, & contra Stomacaccem pariter valere prodiderunt. Nunc quid ego expertus sum hic obiter referam.

Experimentorum meorum enarratio.

Paulo ante, quàm Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo Groningâ EMDAM proficiscerer, civis quidam Groningæ dolore dentium, gingivarumque humiditate diu vexatus fuerat: Hic post multa à se, ac aliis applicata verum effectu inutili remedia, à me hujus Herbæ BRITANNICÆ usu citissimè sanatus fuit, idemque semper fatebitur.

Alius etiam faber ferrarius Stomacace per biennium, & amplius lavoraverat; omni Sorbitionum genere usus in extremam valetudinem reciderat.

Adhunc accercitus meæ BRITANNICÆ ex Saccharo, Zinzibere, & Glycirrhiza Decoctum exhibui, & postea paulatim melius ille habuit, rectius ingredi, quietè dormire, sine doloribus, suasque res peragere cœpit, & ad debita NATURÆ, suique opificii munera reversus est.

Recurrente interea morbo subinde idem Decoctum repetere suasi; unde pristinæ sanitati restitutus adhuc pancraticè vivit.

Tertium experitum.

Tertium nunc quoque experimentum addam, ut in ore duorum, triumve omne stet & verbum, & veritas.

Quidam nomine Jodocus Petri GRONINGÆ Frisiorum morbo implicatus fuerat Scelotyrbico, in fœtidam primò cloacam delapsus, impuris sese aquis ingurgitaverat, ac ex non probæ

probæ Cerviſiæ potu per multos annos malè affectus à nemine curari potuerat: Huic equidem Decoctum Herbæ meæ BRITANNICÆ per viginti ſeptem dies calidum exhibui, ac ſubindè vinum antiquum perpotare juſſi, unde leniùs habuit.

Verum poſtea LEOVARDIAM & ulterius profectus, in itinere refrigratus fuit, morbuſque recruduit; quare ad me reverſus priorem medicationem commendavit, ſuumve errorem profeſſus auxilium petiit.

Interea tamen meis dum utitur Medicinis, à Vetulâ quâdam novo & ut curaretur modo perſuaſus in peſſimam valetudinem relapſus eſt. Tertio itaque ad me reverſus tandem hujus BRITANNICÆ uſus optimè curatur.

Præterea, hoc ſine jactantiâ dictum volo in omnibus, qui mihi, meiſque conſiliis obtemperarunt, BRITANNICÆ Herbæ fœlicem ſemper ſucceſſum Stomaticis, Scelotyrbis, item Spleneticis, Hepaticis, Dyſentericis, nec non Rheumaticis hominibus comperi. Ideoque quartum adhuc experimentum hic addere non diſplicebit.

Quartum Experimentum.

Ergo Joannes Loudewel Leovardienſis ac publico ſcribæ munere ſatis notus, frequenti circa Æſtatis medium piſcatus labore defatigatus, ſoliſque æſtu quaſi torridus ac ſitibundus ſubitaneo cereviſiæ hauſtu, circaque Bruma retis cauſâ præcipiti in Aquas lapſu morbum non ſine præſenti vitæ diſcrimine contraxerat: Febre enim continuâ, maximâ atque indeſinente cephalalgiâ, inexhauſto ad ſuffocationem uſque vehementer pectus petente capitis rheumatiſmo, nec non deplorandâ tuſſi cum ſummâ tam dexteri quàm ſiniſtri lateris punctione trium menſium terminos ultra miſerrimè fuit excruciatus. Quare Medicorum auxilium à morbi principio imploravit; Sed nullis Pharmacoporum viribus curari, aut laterum cruciatibus potuit liberari: Verum macie tandem exeſus, & à Medicorum turbâ pro deſperato habitus crudeliſſimè derelictus eſt.

Ægri hujus conditioni non ſine commiſerationis aculeo indoluit Nobiliſſimus Dominus ISAACUS DE SCHEPPER, octo Pagorum in Friſiâ, vulgò *Acht Carſpelen*, GREETMANNUS Digniſſimus, meque confeſtim, ut huic miſero ſalutari conſilio ſuccurrerem, rogavit. Annui,

eique ſimplex meum BRITANNICÆ Decoctum ſine marâ exhibui, quo ſeptimum poſt diem imminuta parumper viſa eſt vehemens illa deſtillatio, atque ab eo ſe melius indies habere cœpit. Eodem igitur iterato, priorumque Medicorum rejectis pharmacis priſtinæ reſtitutus valetudini, vegetiſque pollens viribus à conterraneis non ſine ingenti eorundem admiratione publicè conſpicitur.

Quintum Experimentum.

Tandem, ut reliqua prætcream, Wynoldus Jacobi pro tempore Hortulanus meus, poſtquam jam ultra biennium malè ſeſe haberet, ac indies miſerè afflictus in pejus ad maximum meum incommodum ruens, tandem adeò incurvatus proceſſit, ut erigere ſe amplius impos planè exiſteret, quapropter ad me accedens ſe per totum corpus miſerè cruciari præſentibus aliis profitebatur, ſimul nudatis brachiis, varias lividas, imo nigreſcentes fermè & quaſi ſubluteas intermixtas Scorbuti maculas oſtendebat.

Ilicò propterea BRITANNICÆ Decoctum ſimplex, quod ſequitur, paratum exhibui, quo dum utebatur, octavo die prædictæ omnes maculæ ita evanuêre, ut illarum ne quidem minimum veſtigium amplius ſuperfuerit, poſt decimum quartum quoque diem benè habuerit, atque erecto corpore incedere potuerit, nec non ligonem rurſum arripiens opus ſuum ſolito more perfecerit.

Aliud.

Porro, Vetula quædam admodum deformis Bellingawolda à multis jam annis Scorbuto laborabat, cujus uno Symptomate, quod os invaſerat intolerabiliter cruciabatur, jamque os nigricabat; dentes corroſis gingivis ac quaſi per gangrænam corruptis tanquam ſtyli, vel parvæ fiſtulæ inſtabiles, exeſi, ac atricolores non ſine ſummo dolore omninò eminebant, palatum lividis etiamnum maculis undique variegatum apparebat. Hæc quùm GRONINGAM veniſſet auditâ hujus HERBÆ inventione, ilicò ad me properans remedium obnixè petiit, ſimulque nihil ſe habere pecuniæ, quam mihi exhibere poterat, palam profitebatur.

Verum perceptâ illius mulieris integritate, parumque pauperis pecuniam curans, protinus juſſi, ut hujus meæ Herbæ radicem, quam veram eſſe BRITANNICAM profiteor, ore per noctem contineret: Paruit illa, & poſtridie ad me reverſa

versa ingentes mihi gratias egit, multisque in Horto præsentibus mirabiles planè hujus operationes, perceptamque inde utilitatem laudabiliter narravit : Non pruritum solitum, non puncturas, non salivæ, & puris copiam, non oris fœtorem, non denique ullam dentium corrosionem sensisse; quin etiam horum confirmatas esse radices, omniumque dolorum se expertem dicebat.

Ad dolorem dentium.

DENTIFRICIUM proinde ex hujus Herbæ radice, scillingio illius, quod mihi tradere velle videbatur, spreto, unà cum Decocto BRITANNICÆ simplici, quod sequitur, liberaliter dedi, quibus usa paucis diebus à terribili illo malo Stomacace dicto ex inopinato curatâ est. Possem hic plurima mea experimenta referre, verum hæc pauca aliorum omnium loco sufficiant.

Herbarum quarundam facultates.

Prumpta sanè mirandæ hujus BRITANNICÆ operatio satis ostendit, illam occultâ quâdam qualitate contra plurima mala operari: Quemadmodum enim propriâ vi PŒONIA comitialem morbum curat, Lignique Guajaci decoctum Morbum Gallicum : Millipedes aurium dolores, Succus Cyrenaicus columellæ inflammationes, Hyrundinum nidi terra Anginam: Galgulus avis Icterum Morbum, Majoris Chelidonii Succus oculorum suffusiones, & ungues, Anagallidis succus oculorum obscuritates, ASPLENION vitia & Lienis inflationes, EUPATORIUM jecinoris affectus, ALOË ventriculi, RUTA intestinorum Absinthium utriusque mala, Oenanthe renum, Solanum Vesicarium vesicæ, Liquiritia & Pulmonaria pulmonum, BUGLOSSON cordis, ARTEMISIA uteri, SALVIA Cerebri, & nervorum, nec non STOECHAS arteriarum vitia depellit.

Sed de hâc Simplicium proprietate aliàs cum bono DEO pleniùs tractabo. Eodem profectò modo BRITANNICA nostra dentium, oris, faucium, & ligamentorum, omniumque ossium mala propulsat.

CÆTERUM omnium vi occultâ agentium Simplicium coruscat perfectissima, illiusque infallibilis semper succedit operatio, corporibus nullo alio modo, quàm eo contra quem antipathiâ BRITANNICA pollet, affectibus : Si verò corpora impura, aliisque implicita malis distenduntur, ab illâ

auxilii parum ſortiuntur, quin imo ſæpiùs pejus habent. Quar illud verum eſt.

Lumina quot quondam Junonius Argus habebat
Tot circumſpectus debet habere Medens.

Nullum adeò præclarum medicamentum, niſi ſuo tempore & modo detur, quin venenatam in vim tranſeat facile, eſt. Sic,

Temporibus Medicina valet nam tempora proſunt,
Et data non apto tempore Vina nocent.

OMNES itaque RESPUBLICÆ bene conſtitutæ à medicâ praxi imperitos ſtrenuè ſemper removerunt.

Verum Barbaris reique hujus ſtupidis nulla cura eſt, ut quorum (ſi DIIS placet) corpora medicamentis virtute, operationeque ſalubribus indignantur, & pejus habent: Imo ſine periculo per dolores tutum, multorumque mortes medicamentorum periculum facere exiſtimant.

Catalogus foret nimis longus, ſi quos hic GRONINGÆ ſolummodo Alyptarum, nec non Pilicreporum, aliorumque inſcitiâ interemtos ſcio, recenſerem: Ubi & Vetulæ meretricio quæſtu deſtitutæ plerumque veneficæ fiunt, ac impunè in hominum vitam graſſantur.

Ad Proceres.

Sed viderint PROCERES illi patriæ, quibus commiſſa Reſpublica eſt, quique dubio procul ejuſmodi admiſſorum aliquando rationem DEO reddituri ſunt; avertat ter OPTIMUS ille ac MAXIMUS ne Schiſmaticis factionibus fovendis peccandi feneſtra magis aperiatur, quàm Reipublicæ tranquillitati, hominumque ſaluti conſulatur.

Verum nemo, niſi medicâ methodo à DIVO HIPPOCRATE, Magnoque GALENO perfectè traditâ fuerit exercitatus, remediorum uſum rectè noverit.

A quâ quidem re Seplaſiorum illud, & Circumforaneorum vulgus longè non ſolum abeſt, verum etiam plurimi ſolo nomine Medici; quibus certè ſtivam tractare, quàm Medicinam infamando HERBARUM judicium profiteri præſtaret,

quorum

quorum curæ ne canem meum malè habentem committere vellem.

Equidem primò nunquam BRITANNICA, nisi corpore benè cognito atque etiam præparato, cui illam applicarem, usus sum : Quamvis postea, necessitate urgente, longè sæpiùs aliter sine noxâ tamen.

Hinc est, quod cum magna multorum utilitate illa semper à me usurpatâ fuerit, nullâ sæpiùs habitâ ratione ægrotantium Temperamenti, imo illius omninò neglecta qualitate, quemadmodum quoque experimentur illi, quibus remedia applicandi ars satis cognita est. Britannica cujuslibet temperamento conveniens.

Sed tamen sciet hic Benevolus LECTOR, plurimis Scorbuticis ante Herbæ hujus usum, hanc, vel ejusdem generis alteram, præscribendam esse purgationem : Scilicet.

℞. Rhabarbari electi. ʒj.
Agarici Trochiscati.
Seminis Anisi. ana ʒss.
Spicæ Indicæ.
Cinnamomi. ana grana x.
Foliorum Sennæ mundatorum ʒij.
Aquæ Fumariæ ℥iij.

Macerentur per noctem in loco calido. Manè expressioni adde

Syrupi è Cichorio cum Rhabarb. ʒss.
Cremoris Tartari. ʒss.

Misce fiat Haustus, manè jejuno stomacho sumendus.

VEL.

℞. Extracti Catholici mei. ʒss.

Fiant inde Pilulæ numero quinque vel septem : Inaurentur, & jejuno stomacho manè sumantur. Paratur autem illud Extractum hoc modo.

℞. Pulpæ Colocynthidis ʒ. x.
Radicum Hellebori Nigri.
Rhabarbari optimi.
Aloës Lucidæ.
Scammonei ana ℥j.
Foliorum Sennæ mundatorum ℥j ſ.
Turpethi Gummoſi ℥ſ.
Agarici Trochiſcati ʒvj.
Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Nucis Moſchatæ ana ʒj.
Specierum Diarrhodonis Abbatis ʒij.
Spiritus Vini optimi quantum ſatis.

Miſce, fiat Extractum ſecundum artem.

Interim notandum, in SCORBUTO laborantibus venæ Sectionem inſtitui quoque poſſe, ſi ſanguis abundat.

Verum hæc in genere paucis hactenus ſint obiter perſtricta.

CAPUT XVI.

Vires ac BRITANNICÆ qualitates omnes, nec non præparationes deteguntur. Quo tempore & quandiu à Romanis uſurpata fuit. Quando periit. Pulveris & ſuccı ſervandi modus. Mixtionis ritus. Folia per ſe quid efficiunt.

ADductis quibuſdam BRITANNICÆ Herbæ experimentis, ad illius Naturam & facultates medicas, compoſitiones, nec non ad varios ſanandi morbos præparationes efficaces properandum reſtat.

Britannicę Vires.

Hujus ergò BRITANNICÆ facultates ac qualitates, tempus eſt, ut porrò quàm diligenter perveſtigemus, ut ex his tum Herbæ veritas, tum optimus illâ utendi modus manifeſtetur.

VETE-

Bulapathum Plinii. *fol. 150*

VETERES omnes ac RECENTIORES unanimi consensu testantur, BRITANNICÆ Radices, Folia, Caules, Flores, Semina, & denique Succum intensè adstringere.

Astringentium tamen medicamentorum magna est varietas: Quæ ad duo genera revocare quibusdam fortè non displicebit: Statuo igitur astrigentium quædam calida, quædam verò esse frigida: Nam quæ medium obtinent, nulla hactenus invenio.

Rursum Stypticorum calida mixtarum qualitatum, vel diversarum, aut pugnantium, vel subcontrariarum sunt: Horumque alia leniter calida, ut EUPATORIUM, Mastiches, Spica Nardi, & Schœnanthos: Vel calida intensè, ut CINNAMOMUM, Absinthium, ALOË, Macis, & Caryophylli: Vel fortiter calida, ut Alumen Ustum, Calchantum, Chalcicitis, CINNABARIS, Diphryges, Æris Squama, & cætera.

Contra astringentia frigida, alia acida, alia verò acerba sunt.

Hæc magis terrea, crassarumque partium, illa aquea, & partium tenuium.

Acerba sunt Gallæ, Hypocistis, BALAUSTIUM, Solanum, Glaucium, ACACIA, Prunellorum succus, Tormentilla, ipsa recens, atque hujus BRITANNICÆ exiccata radix.

Acida vel simpliciter habentur, ut post Acetum est Oxalis, OXYLAPATHUM, Aizoon, Bistorta, &c. Vel dulcibus saporibus permista, sive acribus, sive amaris, ut MALA PUNICA, & vinum ex his, Pruna, Vuæ immaturæ, Omphacium, Mora immatura, ut et Cerasa, Stibium, Rubus, Equisetum, Lysimachia, &c.

His annumerabitur viridis BRITANNICÆ Herba, ejusque Flores. Ut in quibus gustu aciditas, astringendique summa vis cum dulcedine in amarorem deprehenditur.

Talia vero quæ sunt, omnia illa humidarum, atque aliarum etiam partium ulcerationibus opitulantur, nec non nervosa membra confirmant, quæ putridis ac acribus humoribus fluxa infirmantur.

Verè igitur ad quæ olim commendata est BRITANNICA,

NICA, ea in hâc meâ Herbâ quotidie, imo multò plura, quorum veneranda ANTIQUITAS planè ignara fuit, experior: Quippe quæ vulnera exiccat, & conglutinat: Quæ oris fauciumque malis ſubvenit, ibique ac aliis in corporis membris putreſcentia ſanat, quæ ſerpentia coërcet, nervos atque oſſa corroborat, humores ſuperfluos abſcindit.

Etſi HERBA acriter adſtringat; radix tamen eâ potiſſimum vi pollet, ſed Folia & ſuccus leniùs paulò guſtum contrahunt.

Tanta nihilominus ſemper adſtringendi poteſtate prædita ſunt, ut ANGINAS etiam curent, vel prægustata præſervent.

Nam quod PLINIUS de Florum collectione prodidit, antequam Tonitrua audiantur, non omninò vanum, nec magicæ ſuperſtitionis eſt; quoniam Tonitrua diebus fiunt ut plurimum Canicularibus, ante quos, FLORES hujus collegiſſe, expedit, ut ſucci plenos, nec externo calore alteratos.

Prima hujus Herbæ qualitas.

Primæ igitur BRITANNICÆ facultates hæ percipiuntur, ut in gradu primo FOLIA ſint frigida, ſicca verò in gradus tertii initio.

RADIX autem in primo gradu ſimiliter frigida, & in tertii gradus fine ſicca eſt: Non minus enim exiccat, quàm ALUMEN, Ærugo, Æris flos, & cætera, quæ tertio gradu recenſentur.

Secundæ Britannicę qualitates.

Porrò ſecundæ BRITANNICÆ qualitates manifeſtò etiam in hâc meâ Herbâ explorantur, ac VETERUM AUTORUM verbis reſpondent. Omnibus enim in partibus aſtringit Herba, indurat item & conglutinat; intus idem operatur, niſi quando FOLIA alui dejectionem propter aſtrictionem ex accidenti moliantur, uti & ſuccus, cum ſcilicet corroboratis viſceribus vis expultrix aucta irritetur: Propter aſtrictionem, & refrigerandi vim omnia putreſcentia, ut ERESYPELATA tam ulcerata, quàm integra, Erpetes, Phagadœnica, Gangrænas, & cætera inhibet, & ſanat: Undecunque fluentem ſanguinem, HÆMORRHOIDES, ſimul & menſes ſiſtit: Diſſolutionem, Hypochymatis in Jecinore, Liene, & Renibus, gingivarum, omniumque adenoſarum partium cogit, tollit, ac in-

tegræ

tegræ unioni reſtituit; unde ſanguificam vim, caloremque naturalem reparat, atque conſervat.

Tertia quidem hujus BRITANNICÆ qualitas eſt, illam nervis, eorumque incommodis, ruptis, vulſis, contractis, tremulis, ſpaſmo, paralyſi, febrilibus æſtibus, nec non rigoribus mederi: VENENA, & ſerpentes abigere, ac ictus eorum ſanare, quare jure inter ALEXIPHARMACA numeratur. Tertia qualitas.

Omnes ANGINÆ ſpecies, quas vulgò Scharantias vocant, uvulæ relaxationem, Pariſchenia, ſimiliaque oris, faucium, nec non ventriculi mala aſtrictione egentia, ac apoſtemata, tumores, & ulcera probè depellere, variaque Rheumata auferre: Unde in mentem mihi hæc venit conjectura, BRITANNICAM hanc ei ſimilem eſſe, quam adeò ſub Plantaginis Aquaticæ nomine THEMISON celebravit, quemadmodum verbulo ſuperius notatum.

Quarta denique & ultima utpote occulta hujus BRITANNICÆ qualitas eſt, à FRISIIS noſtris comperta, & divulgata, illam latentium cauſarum morbos, Stomacacen ſcilicet, Scelotyrben, cruraque ulcerata antipathiâ ſuâ curare. Quarta qualitas.

Folia imponuntur ulceratis partibus per horas duodecim viridia, renovanturque alia: Succus quoque caniculari SOLE induratus, aut igne inſpiſſatus inungitur.

Credo majori NATURÆ inſtinctu rerum vires olim meliùs fuiſſe cognitas, quàm hodie ſunt. Optima quoniam ab ANTIQUIS tradita nunc partim ignorantur, partim verò intelligi prorſus nequeunt.

Uſitatiſſima quondam apud Friſios Herba, & à ROMANIS, GRÆCISQUE admodum expetita in uſus fuit BRITANNICA.

Quùm enim CAII JULII CÆSARIS tempore, quadraginta circiter annos (ſalvo calculo) ante CHRISTUM Dominum noſtrum natum, item OCTAVII AUGUSTI, Duce Quintilio Varo, ob ſuperbiam haud ſecus quàm ſevitiam omnibus Germanis odioſo, qui ingenti ſtrage Anno CHRISTI decimo à Belgis & Germanis HERMINII Principis ductu inter Lippam & Amiſiam fluvios fuit affectus, Quo tempore uſi ſuerunt Romani Britannica. Flor. lib. 4. cap. 12.

in quâ ultra triginta ſex Romanorum millia, per ſaltus, frutecta ſimul & patientia paludoſa, cœnoſaque retrocedentes, atque inſuetâ BELGICI Aëris inclementiâ Brumali tempore tremebundi, imbriumque potentiâ madidi miſerè occubuêre; quo commotus OCTAVIUS, eum quotannis cladis diem mœſto animo lugubrem fecit.

IMPERATORIS etiam TIBERII, Duce GERMANICO Cæſare, DRUSI filio, ejus adoptivo, qui Anno CHRISTI decimo ſexto Cattos & Bructeros, Belgii populos, omnes inopinatâ clade attrivit, ac ſuperavit; atque Anno ſexto poſt cruentam & exitiabilem QUINTILII VARI cladem Romanorum oſſa nondum humata honorificè ſepeliri, illorumque ſepulchra vivis Ceſpitibus probè tegi, atque exornari curavit.

Hic LUCIUM APRONIUM Inferioris Germaniæ Proprætorem, liberis FRISIIS tributi pretium ſtipulato majus ſolvere negantibus, Friſicam tellurem ut invaderet miſit, qui à DIOGARO Friſiorum PRINCIPE magna armorum contentione in fugam verſus, nongentos ex ſuis apud Lucum *Baduhennæ* nomine ingentem, ubi hodie, luco tam maris per Amaſim inundatione, quàm terrâ levi ſubmerſo, partim verò cœſo, pagus *Boddegawolda*, *Benningawolda*, vel ut nunc *Billingwolda* dictus, in Veteris Præfecturæ, Civitati GRONINGANÆ ſubjectæ, finibus ſitus extat: Atque ſecundo die VICTORIAM proſequens, in *Villâ Cruptoricis* vulgò *Cropswoldâ*, ut rectè Libro Geographicorum ORTELIUS, & PETRUS BERTIUS poſuiſſe viſi, milliare Germanicum Orientalem verſus Cancri Tropicum ab Urbe GRONINGA diſtante, infinito elapſorum gemitu ultra quadringentos ex utroque latere paludibus incluſos, deque ſuo periculo conterritos, ac morte præſente pallidos miſerabili ſtrepitu trium horarum ſpatio, ingenti prædâ FRISIIS relictâ, perdidit.

Abr. Ort. in Antiq. Friſ. Tab. Petr. Bert. in Belg. Vet. Tab. Dion. l. 60. Tacit. lib. Annal. 4. Sueton. in Claudio.

De hâc autem clade hoc modo TACITUS loquitur.

Mox compertum à transfugis, nongentos Romanorum apud Lucum, quem Baduhennæ vocant, pugnâ in poſterum extractâ, confectos: Et aliam quadringentorum manum, occupatâ Cruptoricis quondam ſtipendiarii villâ, poſtquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuiſſe.

Hunc

Hunc *Baduhennæ* Lucum (ut hoc obiter dicam) PHILIPPUS CLUVERUS in eo Frisiæ tractu, in quo hodie *Septem Sylvæ*, vulgò *Seven Wouden* sternuntur : ROMANORUM verò ac FRISIORUM pugnam inter Leovardiam & Snecam Urbes commissam fuisse autumat. *Cruptoricis* quoque *Villam* propè *Baduhennæ* lucum collocat. In quibus Vir ille sagaci ingenio quamvis præditus, leviter nihilominus hic errasse videtur. Universis enim FRISIIS notissimum stat, *septem Sylvas* ab oppidis hisce binis longè remotas, adque ad Transisalaniæ hodiernæ, BRUCTERORUM olim, terminos sitas esse; illa verò Flevum lacum versus, nunc Austrinum Mare dictum, sese præsenti hoc ævo, ut antiquitùs extendisse. Proinde idem in *Cruptoricis Villâ* collocanda error committitur. Cluver. cap. 25.

ROMANOS enim, illis postquam innotuisset, FRISIOS, Flevi castelli solutione factâ, ad sua tutanda in Frisiam digressos, APRONIIQUE adventum in armis stantes gnavitèr observare, per Vadosum Mare vulgò *het Wat*, & Oceanum ad Amasim flumen velis secundis navigantes (quod à Flevi exitu unius diei cursu peragi potuit) eò appulisse, Frisiosque eodem in loco planè securos, ut putabant, aggressos postero die à tergo fuisse, atque Romanos, è pugnâ conservatos, per *Cruptoricis Villam*, compendiosam scilicet ac viam tutissimam paludibus undique munitam, nec non BRUCTERORUM, nunc DRENTINORUM, agros, Vidrum fluvium, Sociorumve Castra ad Rhenum posita petere proposuisse, tutè existimo. Bructeri antiquitus, nunc Drentini, Transisalani, & Twentani dicti.

Häc ergo DIOCARUS VICTORIA potitus, magisque apud Romanos teste TACITO inclarescere cœpit Frisiorum fama, à quibus postea & virtute & amicitiâ in Romanos præcellentibus, iisque fortitudine terribilibus per annos aliquot abstinuère: Quare à suis DIOCARUS PRINCEPS *Segon*, id est, Victor (*Sege* enim Frisiis idem, quod Victoriam denotat) cognomento dictus est, filiumque Dibbaldum CLAUDII CÆSARIS per tempus aliquot militiæ commisit. Tacit. lib. Annal. 13. Wins. Chron. Fris. lib. 1.

Hic post parentis obitum domum reversus, inque Principem electus, ob vacuos Tubantum agros ROMAM Verritum & Mallorigem Legatos mittit, qui fortè fortunâ Urbem perlustrando in Magni POMPEI Theatrum deducti, inter Abr. Ort. Theat. Geogr.

SENATORES intrepidi locum occuparunt, quod dum humaniter à Patribus acceptum viderent, nullos aut armis vel fide Germanos FRISIIS præferendos esse ad unum omnes palam exclamarunt.

M. Hamcom. Frisfol. 12. Cappad. in Eccl. Frisi. hist.

Deinde à NERONE crudeli PRINCIPE ambo Civitate donati, & per Petrum CHRISTI Apostolum conversi, fidem Christianam amplexi sunt.

CÆTERUM CAJI etiamnum Imperatoris CALIGULÆ, qui Frisiam & Bataviam avidè ingressus, præter turrim altissimam Brittannicæ Romanorum arci, BRITTENBURG vulgò dictæ, ad Rheni ostium extructæ additam, dignum notatu nihil peregit. Unde de tanti Principis severi facinoribus heroicâ virtute perpetratis CAJUS SUETONIUS hæc posteritati reliquit.

Sueton. in Caligula cap. 44.

Admonitus de supplendo Batavorum numero, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cœpit, neque distulit. Et mox infra:

Cap. 45.

Postquam castra attigit, ut se acrem & severum Ducem ostenderet, legatos, qui auxilia seriùs ex diversis locis adduxerant, cum Ignominiâ dimisit. Et deinde: *Mox deficiente belli materiâ, paucos de custodiâ Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit, ac sic post prandium quàm tumultuosissimè adesse hostem*, FRISIUM nempè GERMANUM, *nunciari. Quo facto, proripuit se cum amicis, & parte equitum prætorianorum in proximam sylvam; truncatisque arboribus, & in modum trophœorum adornatis, ad lumina reversus eorum quidem qui sequuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit: Comites autem & Victoriæ participes, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas solis,*

Cap. 46.

ac lunæ, syderumque species, exploratorias appellavit. Et paulò post: *Postremò, quasi perpetraturus bellum, directâ acie in litore Oceani, ac ballistis, machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante, quidnam cœpturus esset, repentè ut conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperavit: Spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque digna.*

Præterea, CLAUDII quoque CÆSARIS, qui devictis Britannis, per paucos dies in Belgio commorans (sex enim mensium spatio Româ exiens, totam Britanniam subegit, & ROMAM denuo ingressus est) audita ab AULO PLAUTIO Senatore (quem Brittannorum, ademptis prius armis, ducem constituerat, postquam fratres Catarctum & Togodunium illorum Imperatores superasset) hujus cum admiratione

BRI-

BRITANNICÆ famâ, ſibi ilicò demonſtrari, in tabulâ depingi, Romam deportari, inter cætera ſpolia cum navali quâdam Britannorum coronâ, claſſicis eâ in regione Victoribus exhiberi conſuetâ, aliiſque, teſte SUETONIO, domiti quaſi Oceani inſignibus in TRIUMPHUM duci, nec non in CAPITOLIO ut Palatio debitam ſuſpendi curavit, quæ tamen poſtea NERONIS Principis mandato cum ipſius propriâ centum & viginti pedum longitudine figurâ, ut CALLISTENES Hiſtoriarum ſcriptor aſſerit, in Hortis locata Marianis fulmine accenſa, cum Horti parte potiori conflagravit. Caliſtenes Hiſtoric.

Deinde & NERONIS Imperatoris, Ducibus Pompejo Paullino, ac Didio Avito, ut ſcribit libro decimo tertio Annalium TACITUS. Tacit. lib. Annal. 13.

Tum quoque VESPASIANI nondum CÆSARIS, in hiſce Belgii oris Anno CHRISTI, atteſtante Paulo Merula, quadrageſimo ſexto, CLAUDII Imperatoris voluntate, Militum Tribunum agentis, à quo in Germaniam primò ac Belgium, deinde in Britanniam miſſus, tricies & bis, ut refert libro ſeptimo de Romanorum geſtis EUTROPIUS, cum hoſte dimicavit, & VICTORIA potitus fuit. Eutrop. lib. 7. de Romanor. geſtis.

Sic & DOMITIANI Cæſaris, Duce Lucio Maximo, qui Antonium Belgarum Gubernatorem Anno Chriſti octogeſimo octavo ingenti prælio vicit.

Nec non aliorum Romanorum IMPERATORUM temporibus, cùm Belgis ſupcratis, incognito, & inſolito morbo Romani Stomacace & Scelotyrbe miſerè cruciarentur, ad unum omnes BRITANNICÆ hujus uſu in priſtinum ſtatum ac meliorem valetudinem reſtituti ſunt.

Quam ſingularis hujus Herbæ mirati facultatem Romani, eam in ſummo honore habuerunt, & ab omnibus poſt (ut ante ab ipſo mundi exortu) morbo Scorbuto afflictis ultra octo annorum centurias frequenter uſurpata fuit. Quandiu Britannica à Romanis fuit uſa.

Quùm verò, Anno CHRISTI SERVATORIS noſtri ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, octingenteſimo nono, aliiſque ſequentibus GOTHI & NORMANNI, homines crudelitate ac in rabiem præcipites, inopinatè, & quaſi ex Aëre rapti cum magno prædatorum exercitu obſtinato furore, ut crudeles Tyranni, in FRISIAM irruiſſent, & libertate Quando periit ejus cognitio.

oppreſſâ, atque extinctâ Religione in turpem, miſeramque ſervitutem Populum nulli parcentes, adegiſſent, omniumque fortunas voraciſſimo ac inſatiabili hiatu abſorpſiſſent: Atque deinde omnibus in confuſionem funeſtumve horrorem actis, Urbes maximâ ex parte incendio conſumpſiſſent, agros devaſtaſſent, phana combuſſiſſent, ac tot millium innocentium ſanguinem atrociter effudiſſent, nec non innumera ſtupra commiſiſſent, diſciplinaſque ad unum omnes extinxiſſent, oblivioni penitùs conſecrata NOBILIS hæc PLANTA fuit.

Horror profectò mihi eſt, illud vel ſolâ cogitatione TEMPUS percurrere, atque utinam ſæpiùs percurreremus, & vel ſolâ meditatione ſummam illam FRISIORUM noſtrorum calamitatem delibare non dedignaremur; fieri quippe non poſſet, quin ad commiſerationem adamantina etiam pectora romperentur.

Quid enim tum in FRISIA miſerâ inventum eſt, nihil certè, niſi florentiſſimæ Regiones totæ jam moribundæ, ac noviſſimæ lachrymæ ſanguinis voces obviis omnibus propinantes? Quid niſi longa viduarum ſuſpiria, viduitatem ſuam ac maritorum cædes jugiter deplorantia? Quid niſi diſpalantes orphani de parentum, quos truculentus gladius abſumpſerat, orbitate, anhelis ſingultibus balbutientes? Quid niſi decrepiti ſenes, dulciſſimi pignoribus ac ſenectutis ſuæ fulcris, quæ martius furor disjecerat, ſublatis, domeſticæ ſolitudini acerbè ingemiſcentes? Quid denique niſi innumerabiles omnis generis & ſtatus homines, omnibus divitiis paulò ante affluentes, mox IRO pauperiores, omnibus exuti, incertis paſſim ſedibus oberrantes & vagantes? Ipſa Literarum ſtudia, quibus ad gloriam & æternitatem juventus alitur, quantum illa deliquium, quantumve eclipſin paſſa.

Hòc inquam miſero fatalique FRISIORUM tempore hujus BRITANNICÆ Herbæ planè periit cognitio. Quamvis poſtea ab AVICENNA rurſum demonſtrata fuit, nihilominus tamen in hunc hodiernum uſque diem, in quo nunc illam LUCI de novo lubens reddo, ac publico non invideo, nec non rerum DIVINÆ MAJESTATIS mirandarum omnibus ſtudioſis repræſento, pedibus quaſi conculcata & ſpreta latuit.

CÆ-

CÆTERUM, ut ad inſtitutum revertamur compendio Platonicus ille APULEJUS natione Afer, qui HADRIANI Imperatoris tempore floruit, hujus BRITANNICÆ vires optimè complexus eſt, quas noſtrâ hac in Herba frequentiùs expertus ſum.

AUTOR ſanè ille omni fide dignus, Herbariæ ſtudio excelluit, ejuſque veri ſunt, qui exſtant Commentarii, ut Albinus Torinus Vitodurenſis, & HERMOLAUS BARBARUS, aliique credidêre, qui illius Autoritatem ſubindè citant.

Nam & voces Latinis inſolentes, & APULEJO dignæ inſunt; plurima linguarum peregrinarum congeſſit vocabula, quod ſtudium eò ſpectat, ut ſi fortè ùnius Nationis Nomenclatura res parum perſpici poſſet, alterius magis peculiari evidentius eluceret: Quemadmodum hac in BRITANNICA curiosè obſervavit.

At utinam exemplaria ejus correcta, nec adulterata extarent.

Britannicæ Vires ex Apulejo lib. de Herbar. Medicam. cap. 29.

BRITANNICA, inquit, libro ſuo de Herbarum Medicaminibus capite mihi viceſimo nono, *vel BRETANICA, hoc eſt Beta altera, ſcilicet nigra; Damaſinion, vel Damaſineos, Italis BRITANNICA, aliis Bido vocatur (malè enim Bibo legitur) vel Bivo. Græcis dicitur Britanni, vel Britannice: Sed horum nonnullis etiam Beta, vel Plantago, aut Plantaginis Beta, vel Vidon nominatur.*

Hæc ad vitia, quæ in ore naſcuntur, ut nomas, tonſillas, & ſimilia valet.

Herba enim viridis ſumpta in modum Lactucæ ea ſanat, vel per ſe trita, & expreſſus ſuccus ore ſi detineatur, ac vel aliquid ex ipſâ devoretur Herbâ.

Ad hæc ad oris ulcera proficit, ac ad oſcitudinem commendatur; rectiùs Baſilienſis typus oſcedinem habet; melius tamen oſſedinem quis legeret, quæ Scelotyrben ſignificat. *Unde Herbam, ſi viridem non habueris, etiam aridam contuſam, & cum Vino coctam, ut mellis craſſitudo fiat, ſumito.*

Eodem modo viridis aſſumpta parem effectum habet. Ad dentium dolorem, & ſi hi laxi fuerint, Herba BRITANNICA mira ſuccurrit potentiâ.

Reponendus eſt autem per hyemem ſuccus, vel ejus pulvis. Nam non Succus, & *ſemper* Pulvis

quomodo servandus.

semper apparet. Succum ejus Herbæ in arietino vase, vel ejus cornu servabis: Pro arietino cornu Abietinam vas multi, sed malè accipiunt: Verum (meâ sententiâ) argenteum multo melius posuit Doctissimus HUMELBERGIUS suis in APULEJUM Commentariis, quamvis vitreum omnium optimum existimarem. *Pulverem quoque eo in cornu reponito. Nam ad eosdem usus cum vino quoque sumptus efficaciter æquè prodest. Ad concitandam alvum valet: Herbæ enim succus pro viribus cujusque sumptus per se sine periculo purgat. Ad paralysim viridis* BRITANNICA *contusa cum radicibus, ac cum vino mero epota optimo ad duos tresve Cyathos prodest mirificè.*

Ad Anginam, quàm Græci Synanchen vocant, BRITANNICÆ *Herbæ Flos antequam quis tonitru audiat, collectus, & devoratus eam per totum annum declinabit; ad oculorum & dentium dolorem Herba* BRITANNICA *æquo pondere cum vino æger accipiat, & in præsenti cessabit dolor.* Hæc hactenus de Herba BRITANNICA, ut Codex meus antiquissimus habet, retulit APULEJUS, quæ hujus meæ Herbæ experimentis confirmata sunt.

Mixtionis modus & usus.

Reliquus adhuc mixtionis ejus modus est, & usus. Equidem aliquando ex aceto & oleo foliis, vel ejus pulvere, aut etiam Decocto eoque ex vino cum Saccharo, vel melle utor; aut Apozema, quemadmodum communis praxeos ratio postulat, ut in sequentibus conficio.

Ex sero lactis quoque, vel ex Ptisanâ, aut aquâ & aceto, febris præsertim cum adest, Decoctum dedi.

Præcautio.

Herbæ pulvis, ut & radices aridæ, per se esitatæ jecinoris, & splenis emphraxim, nec non alui duritiem habentibus nocet: Validius enim æquo in ejusmodi corporibus adstringit. Quocirca per se Dysentericis, Cœliacis, Lienteriis, Diarrhœis, nimiis vomitibus, cognatisque malis utiliter præbetur: Aphthis quoque, oris ulceribus, ac dentium doloribus applicatus succurrit.

Quemadmodum radix per se sumpta alvum sistit & sanorum viscera nimis constipando lædit; ita ex vino, aut aquâ mulsa, vel sero minus nocet radicis Decoctum: Quinimo contra magnos lienes, Hepaticos, Stomaticos, Stomacaccios, Scelotyrbicos, & Paralyticos, atque Convulsos usus est incredibilis, præsertim si hoc modo decoquatur.

DE-

Oxylapathum Ameri-canum Tuberosum.

DECOCTUM BRITANNICÆ COMPOSITUM.

℞. Radicum Britannicæ ℥iiij.
Herbarum Brittannicæ man. ij.
Centaurii Minoris.
Betonicæ.
Cichorii.
Buglæ.
Majoranæ.
Chamædris.
Chamæpitys.
Linguæ Cervinæ.
Melissiæ.
Rorismarini.
Epithymi.
Fumariæ. ana man. ſ.
Florum Stœchadis.
Seminis Anisi.
Fœniculi. ana ℥ ſ.
Zinziberis. ʒij.
Corticum Citri.
Aurantiarum. ana ʒiij.
Sacchari ℥ vj.
Vini albi optimi lib. vij.

Incidantur, contundantur, ac in Vino per noctem macerentur; Manè lento igne ad tertiæ partis consumptionem in Balneo Mariæ, ut vocant CHYMICI, per bihorium decoquantur. Coletur postea, & fiat DECOCTUM. Hujus dosis Unciæ tres sunt, manè jejuno stomacho per quatuordecim dies continuos sumendæ.

ALIUD.

℞. Herbarum Britannicæ Man. iij.
Becabungæ.
Nasturtii Aquatici.
Cardui Benedicti. ana Man. ij.
Fumariæ.

Aquilegiæ.
Chelidonii majoris.
Meliſſæ.
Lupuli.
Saniculæ.
Conſolidæ majoris.
Raphani Ruſticani.
Rutæ Murariæ ana Man. ſ.
Radicum Britannicæ ℥iij.

Incidantur & coquantur in Vini albi lib. viij. aut Aquæ hordei, vel lactis caprini libris xij. Quod ſi fiat, hujus media pars ægro ſufficiet. Colaturæ nondum frigefactæ adde,

Sacchari Lib. ſſ.
Piperis longi pulveriſati.
Macis.
Radicum Galangæ pulveriſat.
Gentianæ.
Tormentillæ ana ʒj. & ſſ.

Denuo parumper coquantur. Et in vitreo, vel ſtanneo vaſe decoctum ſervetur. Hujus capiat æger manè ℥iiij. Poſt conſumptionem verò, ſi opus fuerit, detur Purgatio.

DEINDE.

℞. Theriacæ optim ʒj.
Aquæ Boraginis.
Cardui Benedicti ana ℥j.

Miſcè fiat Hauſtus, ſequenti die poſt purgationem ægro manè jejuno ſtomacho ad ſudores eliciendos calidè exhibendus. Vel præparari poteſt hoc modo, quo ſæpiſſimè utor,

Decoctum Britannicæ ſimpl.

DECOCTUM BRITANNICÆ SIMPLEX.

℞. Foliorum Britannicæ manip. ij.
Radicum Britannicæ ℥iiij.
Glycyrrhizæ ʒij.
Zinziberis ʒj.
Sacchari ℥iiij.
Vini Gallici optimi lib. iiij.

{Brumali verò atque Hyberno tempore, foliis virorem negantibus, Radicum ℥vj.

In-

Incidantur, & contundantur groſſo modo, macerentur per noctem, atque ad tertiæ partis conſumptionem vel per ſeſquihoram in duplici vaſe lento igne decoquantur. Coletur poſtea, & fiat DECOCTUM. Hujus doſis, unciæ tres erunt, manè jejuno ſtomacho per quatuordecim dies continuos aſſumendæ.

Adverſus Hæmorrhoides.

Quod non ſolum, ut præcedens compoſitum, contra prædicta mala omnia efficaciſſimum eſt, verum etiam HÆMORRHOIDES, earumque dolores atque ardores internos facili negotio depellit, nec non mirabili ſucceſſu HYDROPEM nondum inveteratam tollit. Quod primò in duodecim annorum puero expertus ſum, qui ita intumuerat, ut incedere amplius non potuerit.

Ad Hydropem.

Et quamvis in hoc Vini loco, cereviſiam ad medietatem decoctam, ſumptuum ratione, applicui, nihilominus tamen intra quindecim dies omni Hydrope liberatus, in hodiernum uſque diem optimè habet.

Idem poſtea eodem fœlici ſucceſſu in adultioribus me docuit experientia : Quod hic ſanè in multorum commodum reticere nolui. Verum tum Unciarum quatuor radicum BRITANNICÆ loco, ſex, immo plures interdum, ratione ſubjecti, Brumali præſertim tempore, ſumendæ ſunt.

Idem DECOCTUM Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto civi cuidam Leovardienſi morbo omnibus notiſſimo Belgicè vulgò *De Sprouw*, ſive *Squinancie* dicto (acutum æquè quàm peſtiferum morbi genus, ut libro, & capite quarto ſcribit inſignis Medicus AURELIUS CORNELIUS CELSUS, cujus ab his tres, ab illis verò quatuor ſpecies, ex Scorbuto originem ducentes, annumerantur) Latinè Squinancia, Græcè verò Synanche, verâ Anginâ periculoſiſſimâ, jamjam ſuffocationis metum incutiente (unde Græcis rectè *συναγχη ἀπὸ τ συνάχειν, à ſuffocando* dicta cernitur) miſerè laboranti, cujus nomen *Ietzo Petertilla*, exhibui: Ad hunc enim, dum LEOVARDIÆ per aliquot dies commorarem, decimo quarto Septembris die vocatus acceſſi.

Corn. Celſus ſol mihi 67.

Contra Anginam.

Hic poſtquam manè & veſperi per triduum hoc Decocto Simplici, ut & ſequenti Syrupo, atque Gargariſmo uſus fuiſſet, die decimo ſequenti octavo menſis dicti Septembris omni

planè faucium inflammatione, rubore, acerbo dolore, transglutiendi ac respirandi difficultate, internis ardoribus, nec non acutâ febre, quam bilioſi ſanguinis fluxio è venarum jugularium ramis in fauces repentè irruens excitaverat, liberatus fuit, atque non ſine cognatorum, vicinorumque adſtantium admiratione inopinatò validè ſatis locutus eſt, ac poſtea materiam omnem depravatam & phlegmaticam abſque omni moleſtiâ exſpuit, atque ab eo momento planè convaluit.

Fuit autem huic ægro SYRUPUS, & GARGARISMUS hoc modo præſcriptus.

SYRUPUS.

℞. Diamori.
Mellis Roſarum.
Syrupi Florum Britannicæ.
Violarum. ana ℥ſ.
Salis Prunellæ. ʒſ.

Miſce fiat SYRUPUS. Quo os & guttur ſæpius lavari neceſſe eſt.

Componitur autem Syrupus Florum BRITANNICÆ hoc vulgari modo.

℞. Succi Florum Britannicæ depurati libras tres.
Sacchari clarificati libram unam & ſem.

Decoque ſecundum artem in Syrupum.

GARGARISMUS.

℞. Aluminis.
Salis.
Gallæ. ana. ℥ſ.
Nucis Moſchatæ. ʒij.
Corticum Granatorum. ʒj.
Roſarum Rubrarum. Manip. ſ.
Seminis Britannicæ. Manip. j.
Aniſi.
Staphiſagriæ. ana ʒſ.

Contuſis contundendis, coquantur in Aqua, vel Vino Rhenano, aut Gallico rubro per mediæ horæ ſpatium. Colaturæ adde.

Mellis

Mellis quantum ſatis.

Miſce fiat GARGARISMUS, quo guttur interdum gargarizatur.

Vel hoc modo præparari conceditur.

℞. Succi Britannicæ.
Plantaginis Aquaticæ ana libr. ſem.
Aceti ℥iij.
Mellis ℥ij & ſem.
Salis Prunellæ ʒij.

Miſce fiat GARGARISMUS, in hoc morbo omnium optimus.

Cæterum, attentè conſiderabit hoc loco Lector Beneficus, ANGINAM, hoc ſequenti CATAPLASMATE, unius diei civilis decurſu tolli, nec non omninò curari poſſe.

℞. Foliorum Britannicæ.
Lentis paluſtris. ana manip. iiij.
Malvæ manip. unum & ſem.
Florum Britannicæ manip. ij. vel
ejus loco Radicum Britannicæ ℥iiij.

Coquantur in Cereviſiâ veteri lento igne ad molliciem, addendo

Farinæ Secalæ Libram unam.
Mellis Roſarum.
Olei Chamæmelini.
Aceti Sambucini ana. ℥ij.
Salis Prunellæ ℥ij.
Croci ʒj.

Cataplaſma.

Denuo coquantur ad ſpiſſitudinem. Et fiat CATAPLASMA. Quod calidè linteolo involutum gutturi applicandum.

ALIUD.

℞. Pulver. Florum Britannicæ manip. tres.
Meliloti.
Chamomillæ ana manip. ij.

Lentis Paluſtris cultro in particulas diſſectæ.
Foliorum Britannicæ ana manip. iiij.
Farinæ Fœnugreci.
Secaloe.
Lini. ana. ℥ij & ſem.

Decoquantur in lacte, vel cereviſiâ veteri ad pultis conſiſtentiam.

Addendo Olei Chamemælini.
Liliorum Alborum. ana ℥j.
Miſce fiat CATAPLASMA.

ALIUD.

℞. Foliorum Britannicæ manip. octo.
Florum Britannicæ manipul. duos.
Butyri Veteris ℥vj.
Farinæ Secalæ ℥viij.

Coquantur in Lactis libris quatuor per horam, & fiat CATAPLASMA. Quod inter duo Linteola calidè gutturi applicandum; & ſexies aut ſæpiùs, pro re natâ, dum frigeſcere incipit, viginti quatuor horarum ſpatio (lacte interdum admixto, ſi ita ob craſſitudinem videbitur) renovandum.

Idem Decoctum Medici Clariſſimi MATTHÆI SYLVATICI, nec non ARNOLDI de VILLA NOVA ſcientiâ edoctus, Alettæ *Hylkens*, Joannis Jacobi *van Noord*, Groningæ pictorem agentis uxori per viginti ferè annorum ſpatium Tabe propemodum conſumptæ bibendum dedi; quo per quatuordecim dies continuos aſſumpto, ab internis inflammationibus ex parte liberata, melius habere cœpit. Quare decoctum idem, aliis medicaminibus neglectis omnibus, repetii, atque tertiò iterare propoſui, eoque ſex tantum ſeptimanarum ſpatio ad priſtinum ſtatum DIVINO favore pervenit, ac proſperâ valetudine jam fruitur.

Eodum rurſum Decocto Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio quater iterato Henricum *Oorland* vicinum meum ſub cohorte ſtrenuiſſimi Capitanei Reinoldi *Solkema* mili-

militantem per DEI clementissimi gratiam felicissimè curavi.

Hic verò ultra nouem menses cruentissimis dejectionibus, ab intestinorum exulceratione profectis laboraverat antequam auxilium meum imploravit. In eo autem veram & propriè dictam Dysenteriam dominari facilè observavi, dum brevibus intervallis & cum torminibus cruoris parum à læsis intestinis excernebatur; nec ea levis quidem, sed jam ad extremum magnitudinis gradum erat perducta, cum non cruenta modo, verum & ramentosa dejectio, imo & ipsamet carnosa intestinorum substantia exesa per alvum non sine dolore ingenti secederet. Ad Dysenteriam.

Hic tamen trimestris spatio immortalis DEI clementiâ solius hujus Decocti BRITANNICÆ simplicis usu ad prosperam valetudinem pervenit, atque hactenus firmis planè viribus utitur.

Eundem optatum successum tam in Dysenteriâ biliosâ, pituitosâ, quàm lienteriâ, & cœliacâ passione plusquàm semel obtinui.

Item in homine Diarrhœâ melancholicâ periculosâ laborante, ut non modo ex nigris alvi dejectionibus sine febre ultrò procedentibus, verum etiam temperamento ægrotantis frigido & sicco manifestè conspiciebatur: Scribit enim Aphorismo libri quarti vicesimo primo DIVUS HIPPOCRATES ἀποχωρήματα μελαινα ἑκοῖον αἷμα μέλαν, ἀφ' αὑτομάτου ἰόντα ἢ ξὺν πυρετῷ ἢ ἄνευ πυρετοῦ κάκιστα. *Dejectiones nigræ sanguini atro similes, sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre, pessimæ, præsertim in principio.* Pro Diarrhœa. Hippocr. lib. 4. Aphor. 21.

Nam quicquid tum excernitur, cum nulla adhuc apparent coctionis signa, certum est id morbi vi & humoris malitiâ fieri, à quo NATURA vehementer irritata cessat, ut docet quarto medendi Legum titulo Clarissimus Medicus NICOLAUS ABRAHAMUS Framboisiæ Dominus. Nicol. Abr. Med. legibus.

Idem præterea Decoctum ægro nuper mihi sanguine propinquo HÆMORRHOIDIBUS non apertis, sed cæcis, atque cum ingenti inflammatione ac atrocissimo dolore admodum tumentibus miserè affecto, quæ à multis jam annis illi statis periodis erumpere consueverant fæliciſſimo effectu propinavi.

Post-

Ad Hæmorrhoides internas.

Postquam enim & utendo septem, octo, vel decem dies effluxissent, non modo ingentibus cruciatibus, quibus deplorabiliter torquebatur, liberatus, verum & ab aliis inde imminentibus morbis gravioribus atque periculosis, ut Epilepsiâ, Anginâ, Peripneumoniâ, Cachexiâ, Hydrope, nec non affectibus aliis Lethalibus vindicatus fuit.

Valet præterea idem in Hæmorrhoidibus apertis omnibus: In quibus etiamnum hoc præsens VNGUENTUM adhibendum censeo.

℞. Vitellum ovi unum cum dimidio.
Olei Britannicæ cochlearia duo.
Cretę pulverisatę.
Lapidis Calaminaris. ana ʒij.

Misce fiat VNGUENTUM, cum linteo subtilissimo parti affectę applicandum.

Adversus mensium fluxionem.

Quid levamenti porrò ejusdem DECOCTI usu in Ægrâ quâdam NOBILI immoderatâ mensium purgatione, Syncopem brevi futuram, Hydropem, vel, nisi quàm primum sisisset, mortem prętentem minante, ex bilioso sanguinis plenitudine ortâ laborante senserim, hic protrahere lubens supersedeo, ne LECTORI Benevolo fastidium pariam, atque in immensum hisce excurram.

Contra Pleuritidem.

Hoc tamen unicum CORONIDIS loco hic addendum judico: scilicet, ægrum quendam prętorito anno BRITANNICÆ hujus Decocto simplici sanatum fuisse, verâ Pleuritide, punctorio nempe lateris immani dolore ad utramque thoracis partem protendente, cum magnâ sprirandi difficultate, sine sputo tussi, atque acutâ febre, vitæ plerumque

Nobilis. Framb. Dom. lib. Med. leg. titulo VI. fol. mihi 551.

(ut suis medendi legibus scribit modo dictus FRAMBOSIÆ Dominus) periculum portendente, ex bilioso sanguine, ac æstu ingenti agitato, & mox ab intempestivo frigidiore potu exortâ laborantem: Sectâ nihilominus in brachio lateri affecto directè opposito venâ, atque JULAPIO ægro hoc modo præparato exhibito.

℞ Aquæ

℞ Aquæ Papaveris Rhœadis. Julapium.
Florum Britannicæ, ana libram unam.
Syrupi Papav. Rhœadis.
Florum Britannicæ, ana unciam unam.
Sacchari Candi albi, ʒj. & ʒiij.
Miſce fiat IULAPIUM.

EMPLASTRUM quoque ſiniſtro lateri applicandum hoc modo addidi.

℞ Pulveris Britannicæ, ʒij. Emplaſtr.
Picis navalis, ʒj. & ſem.
Sulphuris triti, ʒj.
Ceræ flavæ, ʒviij.
Terebenthinæ Venetæ, ʒſ.
Olei Chamomælini quant. ſatis.
Miſce fiat EMPLASTRUM, in alutâ extendendum.

Præter hæc, ejuſdem ſolius Decocti beneficio, omnibus aliis neglectis medicaminibus, planèque rejectâ veneſectione, feliciſſimè tamen eodem anno Pleuritide Nothâ, à pituitoſo ſanguine è venâ cavâ per ramum thoracicum in externos coſtarum muſculos effuſo genitâ correptum, unde non valdè acuta febris, nec vehemens dyſpnea, neque valida tuſſis cernebatur, in integrum brevi temporis ſpatio cum DEO reſtitui. Quod hoc loco oblivioni tradendum non omninò fuiſſe exiſtimavi.

Tandem & ipſa Pecora, per veſicam ſanguinem reddentia, qui Morbus à Noſtratibus vulgò *De Wee* pronunciatur, quo brevi temporis ſpati oextinguuntur, hoc ſequenti DECOCTO curantur. Ad Pecudum morbum.

℞ Radicum Britannicæ, manip. unum.
Tormentillæ, manip. duos.
Coquantur per horas duas in ſero lactis.
Et fiat DECOCTUM, per os exhibendum.

Alia nunc ſequitur univerſalis BRITANNICÆ potio VULNERARIA: Hoc eſt, omnibus tam internis, quam externis vulneribus, enſe, cultro, vel ictu ſcolpetario infixis conducens, atque in fractis oſſibus, ulceribus malignis etiam phagæde-

gædenicis, Herniâ & fiſtulis præſtantiſſima.

Potio vulneraria univerſalis

℞ Herbarum Britannicæ, manip. quat.
Saniculæ.
Pyrolæ.
Verbenæ.
Conſolidæ majoris.
Betonicæ.
Alchimillæ.
Chælidonii majoris.
Agrimoniæ.
Roriſmarini, ana manip. j.
Vincæ Pervincæ manip. ſ.
Radicum Britannicæ, ℥ij.
Tormentillæ.
Zedoariæ, ana. ℥j.
Oculorum Cancri, ℥ſ.
Mumiæ.
Galangæ minoris, ana. ʒj.
Florum Britannicæ pugilla tria.
Verbaſci.
Hyperici.
Centaurii minoris, ana pugill. ij.

Incidenda incidantur, contundenda contundantur, & macerentur per noctem in Vini albi optimi libris 6. Mane in duplici vaſe conquantur lento igne ad tertiæ partis conſumptionem. Doſis Unciæ tres ſunt mane jejuno ſtomacho, vel, ſi res poſcat, veſperi quoque ſumendæ.

VULNERARIA POTIO ALIA.

℞ Herbarum Britannicæ manipulos quatuor.
Pyrolæ.
Conſolidæ Majoris.
Saponariæ.
Nicotianæ, ana manip. duos.
Radicum Ariſtolochiæ, ℥ſ.
Calami Aromatici.

Mu-

Mumiæ, ana ℥j.
Spermatis Ceti, ʒj.
Vini quantum satis.
Misce, fiat Decoctum lege artis.

ALIA.

R. Herbarum Britannicæ manipulos v.
Cyclaminis.
Virgæ Aureæ.
Chelidonii Majoris.
Nicotianæ.
Serpentariæ, ana manip. j.
Agrimoniæ, manip. ij.

Omnibus probè purgatis, Vino imponantur, panis similaginei tantundem addatur, atque ita, porcinâ in vesicâ optimè ligatâ, equino in fimo calidissimo ter renovato digeri permittantur.

Potionis hujus unicus mane atque Vesperi hausti cum Salis BRITANNICÆ momento sumatur.

FOLIA præterea per se etiamnum mansa, sitim levant, concoctionem adjuvant, nimios stomachi ardores tollunt, animam exhilarant, corpus totum corroborant, & urinam provocant. Folia per se quid possunt.

Recens SUCCUS foliis extractus cum Saccharo ex Vino albo, ad viscera omnia corroboranda, nec non superpurgationem planè tollendam intrò assumitur.

Verum RHABARBARUM, omnisque LAPATHI Herba ventrem soluit. Dicit enim HORATIUS.

Sed si dura morabitur alvus Horat. Sat. 4. lib. 2.
Mytulus, & Vites pellent obstantia conchæ
Et Lapathi brevis Herba, sed alvo non sine Coö.

Contra autem ex BRITANNICA, ejusque omnibus partibus alui fluxus sistitur, vel sine aliis, aut cum vino albo, vel simili liquore nisi per accidens laxetur. Rhabarbarum & Britannica contraria.

SUCCUS ulceribus inungitur, UNGUENTI instar, ita

& vulneribus, ac ſanguinis profluvio opitulatur. Idem ſuccus ad oris, fauciumque inflammationes, madoreſve nimios gargarizatur.

Succo, Flore, & Semine ad quæ, & quomodo utimur.

FLOS per ſe, vel aceti beneficio ſumitur. SEMEN ex Vino ut plurimum capitur.

CÆTERUM Peritus MEDICUS cognitæ Herbæ uſum facilè obſervabit.

Verum Idiotæ dum Herbas miſcent, & coquunt pharmaca, permultis funera & exequias parant.

Quare ne his malefaciendi occaſionem præbeam, hæc declarandæ HERBÆ, ejusque uſui referendo ſuffecerint.

VETERUM Compoſitiones, quibus miſcetur BRITANNICA, hactenus apud Galenum, Aëtium, Æginetam, atque alios nullas legi. Illi enim quorum compoſitiones recitat, GALENUS, haud dubiè BRITANNICAM Agreſtis Lapathi ſpeciem fecerunt. Unde ad dentes Lapatho uſus fuit Galenus quinto de Compoſitionibus ſecundum loca libro in aliquot mixtionibus: Sum idcirco illorum, ut & GALENI veſtigia ſemper ſequutus; & quemadmodum illi illisque exactè preſſis, Lapatho in Odonticis, Stomaticis, atque Epaticis, ego BRITANNICA utor.

Gal. lib 5. de Comp. 2. loca in aliq. mixtion.

Fœminæ verò, cui dentes propè inſtabiles exciderant, hoc modo DENTIFRICIUM paravi.

Dentifricium.

℞ Radicis Rumicis mei nigri, hoc eſt, Britannicæ ℥viij.
Galangæ Majoris, ʒiij.
Cyperi rotundi, ʒij.
Thuris.
Maſtiches.
Myrrhæ, ana ʒj.
Oxyſacchari, ℥ij.
Syrupi de Abſinthio compoſiti, ℥ſ.

Incorporentur ſimul terendis, tritis, pulverizatisque fiat DENTIFERICUM. Quo gingivas illinat.

Dictu incredibile eſt, quàm citò indè confirmatos, & ſine dolore dentes, fluxuque fixos illa ſenſerit, à ſtomacace ſimul liberata fuerit; Verum Scelotyrbi curandæ ex BRITANNICA confeci ELECTUARIUM, ut vocant, eodem

dem modo, ut illud Diacorum, aut Diagalanga, vel etiam Diapœonios, &c. Vel etiam hoc modo, ut amicorum primipilos partim docendo, partim juvando, amicitiæ meæ ilia in illos effundam.

℞ Conſervæ Britannicæ, ℥iij.
Chamædris.
Meliſſæ.
Roſarum incarnat. ſiv. Pallid. Provincial.
Acetoſitatis Citri, ana ʒvj.
Conditi Calami Aromatici.
Corticum Citri.
Radicum Pimpinellæ conditar. ana ʒiij.
Extracti Juniperi.
Abſinthii.
Seminis Sinapi.
Erucæ, ana ʒiij.
Cinnamomi.
Cardamomi. ana ℥j.
Tartari Vitriolati, ʒj. & ſem.
Olei Aniſii, ♃j.
Cinnamomi, ♃ ſem.
Cum Spiritu de Britannica, & Cinnamomo quant. ſatis.
Miſce fiat ELECTUARIUM.

Electuarium Britannicæ.

Hujus doſis eſt Juglandis magnitudo, manè jejuno ſtomacho ſumpta.

ALIUD BRITANNICÆ ELECTUARIUM.

Ad peſtem, Serpentes, & rabidi canis morſum.

℞ Radicum Britannicæ conditarum, ℥j. & ſem.
Helenii.
Valerianæ.
Imperatoriæ.
Angelicæ, ana ʒij.
Theriaces Diateſſeri, ℥j.
Herbarum Rutæ.
Scordii, ana ♃ij.
Confectionis Alkermes, ♃j.
Croci, ♃ſ.

Electuar. contra venena præſervans.

Succi Rutæ, ʒj.
Specierum Diambræ, ʒij.
Cum ſufficiente quantitate Syrupi Acetoſitatis Citri.
Miſce fiat ELECTUARIUM.

Hujus capiat æger bis in die, mane ſcilicet & veſperi juglandis magnitudinem.

Sequitur BRITANNICÆ Extractum, in omnibus convulſionibus vulgò *Termyn* ſivè *Stuypen*, Epilepſiâ, cæteriſque ejuſdem generis affectibus præſtantiſſimum, hoc modo ſequenti Chymico paratum, ſcilicet,

Extractum ℞ Radicum Britannicæ.
Pœoniæ.
Vici Quercini, ana partes æquales.

Macerentur in Aquâ Lavendulæ, Florum Britannicæ, & Tiliæ, vaſe calente tecto. Hæc ubi per horas duodecim in infuſione ſteterit, ac Radicum vires prolectaverit, transcolata ſeorſim adſervetur, & prioribus radicibus alia rurſus Aqua LAVENDULÆ & BRITANNICÆ fervens affundatur, idque eodem modo ter iteretur.

Tandem omnis Aqua radicum vim habens, juncta ac diligenter colata ampullæ vitreæ indetur, extilleturque inde omnis humiditas, donec extracti ſpiſſitudo mellis inſtar in cucurbitæ fundo reſideat.

Hujus EXTRACTI doſis eſt Drachma unica cum Aquâ Florum Liliorum Convallium.

Joſeph. Quercet. Pharmac. Dogmat. reſtit. fol. mihi 681.

Vel præparatur hoc modo, ut docet celeberrimus JOSEPHUS QUERCETANUS ſuâ Pharmacopœâ Dogmaticorum reſtitutâ capite viceſimo quinto.

℞ Radicum trium dictarum, vel
ſolius Britannicæ quantum volueris.

Purifica optimè, contunde ac exprime ſuccum, hunc in Phiolâ digere Balnei Mariæ calore, donec in rubeum colorem convertatur.

Materiâ in rubedinem converſâ, omnique hypoſtaſi ſive craſſamento ab eâ ſeparato, ſeparetur liquor, qui colore albo inde

Acetosa vulgaris sive Rumex Canpserinus

inde deſtillabitur, extracto in fundo remanente ſub ſapæ rubicundæ formâ. Quod excellens eſt omni in Scorbuti genere, cæteriſque morbis ex eo originem ducentibus, nec non innumeris aliis, ſi nempè ex BRITANNICÆ tantummodò radicibus EXTRACTUM perficitur.

ALIUD.

℞ Herbæ Britannicæ libram unam.
Ejuſdem Aquæ libras decem.

In ampullâ per viginti dies ad ignem macera: Per ſetaceum poſtea cola. Colaturam in anguſti oris vitrum deſtilla. Deſtillatum liquorem teſtæ inditum, eâque tenui linteo obductâ evapora: Illud ſemper quod margini adhæſerit abſterge, & cum ſidente ſucco remiſce. Exhauriatur tenui foco, atque quùm ad juſtum craſſamentum deventum fuerit, recondatur. Junctum datur hoc EXTRACTVM cum juſculo, vino, aut liquore alio, vel aliis mixtum medicamentis à Drachmâ unicâ ad duas, ſtomacho manè jejuno.

Non ſolum omnibus exhibendum Scorbuticis, verum etiam Aſthmaticis, Tuſcientibus, Tabidis, Paralyticis, Hydropicis, &c.

CÆTERUM, ad eoſdem morbos præſtans eſt præſens hic BRITANNICÆ SPIRITVS, hoc modo ſequenti Chymico confectus.

Spiritus.

℞ Radicum Britannicæ recentium conſciſſarum quantum placet.
Spiritus Vini tantundem in vaſe terreo vitreato ſuper-infunde, ut unius digiti latitudine ſupernatet; macerentur per octiduum: deinde per Mariæ Balneum, lege artis, evocetur SPIRITUS.

Ex BRITANNICÆ Semine SPIRITVS.

℞ Seminis Britannicæ probè contuſi libram ſem.
Spiritus Vini ſimplicis menſuram unam.

Maceretur per octiduum, & SPIRITUS per Balneum Mariæ eliciatur.

EM-

EMPLASTRUM verò BRITANNICÆ ad vulnera & ulcera efficaciſſimum hoc modo parare conſuevi.

℞ Herbarum Britannicæ ℥xij.
Nicotianæ.
Betonicæ.
Conſolidæ Majoris.
Salviæ.
Agrimoniæ.
Hyperici.
Pulegii, ana ℥v.

Emplaſtr. Britannicæ.

Myrrhæ.
Maſtiches.
Thuris, ana ʒiij.
Ireos.
Ariſtolochiæ rotundæ, ana ʒvj.
Ceræ albæ.
Terebenthinæ, ana ℥viij.
Reſinæ Pini, ʒvj.
Olei Abietini.
Vini albi, ana, quantum ſatis.

Miſce, fiat ſecundum artem EMPLASTRUM.

ALIUD.

℞ Pulveris Radicum Britannicæ.
Olei ex Ranarum Spermate per macerationem ac coctionem legitimo modo confecti, ana libras tres. Ceruſſæ cribratæ. Libr. duas & ſem.

Coquantur leni igne ac lento rudiculâ continuò agitanda; deinde in ipſâ admiſce coctûrâ.

Vitrioli albi.
Aluminis crudi in ſ. q. Ranarum ſpermatis reſoluti, atque per linteum ſponte deffuxi, ana ℥iij.

Omnibus jam per coctûram ad debitam Emplaſtri conſiſtentiam redactis, adde

Ceræ albæ ℥viij.

Tum

Tum ab igne remove, atque immiſce
Pulveris Maſtichis.
Thuris ana ℥ij.
Demum EMPLASTRUM dum ferè refrixerit, adde
Camphoræ in ſ.q. olei Roſar. prius diſſolutæ ℥ij.

Et fiat EMPLASTRUM, in omnibus vulneribus, nec non inflammationem, &c. Nobiliſſimum.

ALIVD.

Ad omnium ulcerum genera præſtantiſſimum, ea exiccando, mundando, aſtringendo, excreſcentia reprimendo, ſordes malignas eliciendo, ſaniem detergendo, putredinem abſumendo, duritiem emolliendo, & carnem proferendo ſanans, nec non ad cicatricem perducens.

℞ Succi Britannicæ libram unam & ſem.
Lithargirii.
Olei Olivarum, ana libr. j.
Ceræ flavæ ℥viij.
Magnetis ℥iij.
Gummi Ammoniaci ℥iij. & ʒiij.
Bdellii ℥ij.
Galbani.
Myrrhæ ana ℥j. & ʒij.
Thuris ℥. & ʒj.
Maſtiches.
Opopanic.
Ariſtolochiæ longæ.
Æruginis ana ʒj.

Miſce fiat EMPLASTRUM lege artis.

Et BRITANNICA etiamnum LAVAMENTUM, ad omnis generis ſcabiem valdè efficax hoc ſequenti modo paratur.

Lavamentum.

℞ Radicum Britannicæ recentium ℥iij.
Foliorum Britannicæ, manip. ij.
Nicotianæ.
Buxi, ana manip. ſem.
Aceti libras tres.

Coquantur ad libram unam; & fiat LAVAMENTUM.

Sequitur BRITANNICÆ UNGUENTUM. ad omnem ſcabiem &c. valdè commendabile.

Unguentum Britannicæ.

℞ Radicum Britannicæ recentium, ℥ij.
Herbarum Britannicæ manip. j.
Nicotianæ.
Buxi, ana manip.
Butyri vetuſtiſſimi, ℥iiij.
Cereviſiæ primariæ vetuſtæ.
Aceti ana libras ij.

Coquantur ad medietatem, poſtea dum frigefactum fuerit, recipe Butyrum, eique probè commiſce pulveris Radicum BRITANNICÆ ℥j. & ſem. Et fiat bonæ conſiſtentiæ UNGUENTUM.

ALIUD.

℞ Radicum Brittannicæ ad mollitiem in aceto decoct.
Butyri veteris, ana libram ſem.
Sulphuris.
Aluminis crudi, ana ʒvj.
Miſce, fiat ſecundum artem UNGVENTVM.

ALIVD.

℞. Radicum Britannicæ in Aceto decoctarum, ℥iiij.
Butyri recentis ℥v.
Olei Roſarum ℥viij.
Terebenthinæ.
Lythargyrii.
Ceruſſæ albæ, ana ℥j. & ſem.
Aceti Roſacei ℥ij.
Sulphuris vivi ʒvj.
Salis communis ʒiij.
Miſce, fiat UNGVENTVM.

ALIVD.

Ad Ambuſta, Vlcera, Vulnera, &c.

℞ Succi

℞ Succi Britanuicæ ℥ij.
Nicotianæ ℥j.
Olei Roſacei ℥ij.
Thuris pulveriſati.
Corticum Sambuci, ana ℥j.
Ceræ.
Terebenthinæ, ana quant. ſatis.
Miſce, & fiat VNGVENTVM.

ALIVD.

℞ Succi Conſolidæ majoris.
Pervincæ.
Nicotianæ, ana ℥iiij.
Britannicæ ℥vj.
Plantaginis.
Serpentariæ, ana ℥iij.
Olei Britannicæ.
Nicotianæ, ana libram ſem.
Coque ad formam Vnguenti. Deinde adde
Viſci Lumbricorum ℥ſ.
Medullæ cruris bovis, ℥iij.
Ceræ.
Mumiæ, ana ℥v.
Miſce, fiat lege artis VNGVENTVM.

Lumbrici fœce terrenâ exinaniri, & ter aut quater fontanâ aquâ leviter ablui debent, aquam ſemper abjiciendo, aliamque innovando, ut omnis terreſtritas auferatur. Cum jam præparati, atque cum oleo BRITANNICÆ & NICOTIANÆ cocti fuerint, ſeparatim bovis medullam inda, poſtea Mumiam: Quibus modò coctis & conſumptis, ſuccos ſtatim injice, adque eorum conſumptionem coque. Poſt verò Ceram minutim inciſam immitte, & VNGVENTVM confice.

ALIVD.

℞ Butyri majalis inſulſi, libram unam.
Herb. Britannicæ cum toto quant. ſatis.

Contunde, macera, & inſola per dies aliquot. Deinde ad humiditatis conſumptionem coquatur. Et fiat lege artis UNGVENTVM.

ALIVD.

Ad nervos corroborandum, defluxiones acres, & tumores peſtilentiales tollendum, vulnera & ulcera ſordida ac difficilia emendanda, detergenda, glutinanda, exeſam putrilagine carnem reſtaurandam, emolliendam, & contra ferarum morſus, atque aduſta.

℞ Succi Foliorum Britannicæ, ʒviij.
Nicotianæ ʒiij.
Olei Terebenthinæ.
Olivarum, ana ʒviiij.
Ceræ flavæ, ʒj. & ſem.
Reſinæ puræ ʒj.
Gummi Ammoniaci in aceto diſſoluti.
Opopanaci, ana ʒſem.
Terebinth. communis. ʒj.
Pulveris Foliorum Rorismarini.
Sabinæ.
Britannicæ, ana ʒvij.
Olei diſtillati Majoranæ.
Roriſmarini.
Mucis Moſchat. expreſſi, ana ℈j.
Spica, ʒſ.
Miſce fiat lege artis UNGUENTUM.

ALIUD.

Ad prædicta, nec non Eryſipelata validiſſimum.

℞ Radicum Britannicæ ad mollitiem in aceto decoctarum.

Butyri

Butyri veteris, ana libr. ſem.
Gummi Ammoniaci in aceto diſſoluti.
Opopanaci ana ʒiiij.
Terebenthin. communis.
Pulveris Foliorum Britannicæ, ana ʒvj.
Roriſmarini.
Sabinæ, ana ʒiij.
Nicotianæ ʒij.
Myrrhæ.
Maſtiches, ana ʒv.
Sulphuris ʒiij.
Olei Olivarum.
Terebenthin. ana ʒj.
Miſce, & fiat VNGUENTVM.

Tandem OLEUM BRITANNICÆ, ad ambuſta ſananda, vulnera glutinanda, atque contuſa membra corroboranda Excellentiſſimum, hoc quoque loco non negligendum ſequitur.

℞ Olei Omphacini.
Succi Britannici, ana libr. ſem.
Summitatem Hyperici cum Floribus ʒvj.
Terebinthin. clar. ʒv.
Croci ℈ & ſem.
Vini Rubri quant. ſat.
Miſce, fiat ex lege OLEUM. Oleum Britannic.

Stent Hyperici ſummitates in vini rubri infuſione calido cinere per triduum; coquantur poſtea in duplici vaſe per medium horæ ſpatium. Colato & expreſſo adde ex Hyperici ſummitatibus tantundem, & rurſum poſt tertium infuſionis diem coque; atque tertiò repete. Deinde adde Oleum Omphacinum, BRITANNICÆ Succum, Terebenthinam, & Crocum pulveriſatum, atque unà ad totalem Vini exhalationem coque: Et uſui ſerva.

ALIUD.

℞ Seminis Britannicæ contuſi. libram unam.
Aquæ fontanæ, lib. x.

Stent in digeſtione per dies novem, addendo Manipulum Salis.

Deſtilletur per veſicam, & OLEUM ab aquâ ſeparetur.

ALIUD.

E Floribus.

℞ Flores Britannicæ ſiccos.

Contunde, & in vas fictile vitreatum pone, addito ſale, atque Aquam ſuperinfunde calidam. Stent per quatuordecim dies, deſtillatis, OLEUM per veſicam extrahatur.

Caput XVII.

Quid de BRITANNICÆ Compoſitionibus Antiqui. Panacea Belgarum quid. Quibus in locis BRITANNICA vireſcit. Aquarum Bituminoſarum, illarumque Cereviſiarum qualitates. Mirabilis Naturæ operatio. Unde Clunia dicta. Radicum, Foliorum, & Seminis BRITANNICÆ collectio quando. Contra Scorbutum inveteratum remedium præſtantiſſimum.

QUandiu ROMANI olim uſi fuêre BRITANNICA, deque illius ſervandi, ac mixtionis modo diximus: Itaque par erit, ut ad illius loci Naturam, nec non Temporis collectionem pervigili ſtudio notatam deveniamus.

Endymici ergo FRISIÆ morbi, Inſularumque Gallici Oceani Priſcis Medicis GRÆCIS, LATINIS, nec non ARABIBUS penitus incogniti, vel ſolo tantum nomine ex aliorum relatu auditi, modiceque perſpecti fuêre, niſi ROMANORUM exercitus in iſtis partibus endymicis iſtis malis ſe afflictos ſenſerint.

Mirum

Acetosa Minor Lanceolata.

fol. 182

Mirum igitur minimè eſt, illos adverſus horum morborum miſerias nullas ex BRITANNICA nobis compoſitiones reliquiſſe. De Britannicæ compoſitionibus Veteres nihil.

Quum præter hos plurimos fuiſſe morbos, quos nec ab aliis cognitos, nec eos curandi modum indicatum eſſe conſtet: Quoniam non VETERUM ignaviâ, aut rerum imperitiâ illud effecerunt, ſed potius infinita gulæ blandimenta, inexplebilis libido, immenſaque voracitas, quibus, ut ſapienter SENECA diſputavit, & poſt ipſum PLUTARCHUS novæ morborum ſpecies genitæ ſunt, & adhuc quotidie gignuntur, quarum aliæ ſerò, aliæ nunquam medelam receperunt. Quamdiu enim homines rebus contenti pauciſſimis lautas menſas, opiperave convivia non cognoverunt, atque ante inductam paulatim propinationis conſuetudinem (id quod primis illis ſeculis extitiſſe memoriæ non proditum eſt) morbi diverſi neque apparuerunt, neque eorum etiam nomina innotuerunt: Nam ad SOCRATIS uſque tempora diſtillationum quas GRÆCI καταῤῥύσις (LATINI Catharros) dicunt, nomen, quo nihil hodie frequentius, ignoratum eſſe tradidit Libro de Republicâ DIVINUS PLATO. Quâ de re eo Tempore Medicinæ aut paucos omninò, vel uſus planè nullos, nullaque principia extitiſſe certum. Seneca Epist. 95. Plutarch. lib. 8. Sympos probl. 9. Plato lib. de Republ.

Nos tamen obſervatâ illorum methodo nunquam BRITANNICA utimur niſi cum iis, quorum Sympathia morbis depellendis nata deſtinataque mixtio perfectiorem illius operationem ſortiatur.

Ad hanc autem methodum nos Compoſitiones illæ perducent, quæ LAPATHO, ACETOSA, PLANTAGINE, atque BALAUSTIIS conſtant, quas apud GALENUM, alioſque peritos MEDICOS numeris infinitas in AUTORIBUS paſſim obvias colligere licet.

Illis propterea ſuperſedeo.

Quod tamen Scorbutus altas adeò in quibuſdam egit radices, ut ex ſolius BRITANNICÆ Decocto optimo & excellentiſſimo, certiſque experientiarum fulcris ſaluberrimo parum commodi ſentiant, hanc ob cauſam confectum medicamentum, à nemine mortalium hactenus, quod ſcio, ſcriptis publicatum, in hujus Libelli calce apponere volui, ut omnes noti-

notitiam illius haurire, ſibique facili negotio parare poſſint; eſt enim auro pretioſius, ac domi adverſus omnem morbi SCORBUTI ſuſpicionem inæſtimabilis inſtar Theſauri habendum.

Panacea Belgarum.

Quibus omnibus Ingenue LECTOR probè perſpectis, palam hic profiteor, BRITANNICAM hanc FRISIORUM non ſolum, verum etiam BELGARUM omnium jure meritiſſimo poſſe PANACEAM vocari. Quùm non tantum in omnibus prædictis ægritudinibus atque mortalium incommodis, verum & univerſis fermè morborum generibus hodiernis hiſce diebus à me feliciſſimè uſurpatur.

Locus.

Quæ jam in Herbarum deſcriptionibus obſervari ſolent, *Loci* ſcilicet reſtant conſiderationes. De Nomine enim in præcedentibus ſat dictum. VETERES quanquam Locum BRITANNICÆ particularem, niſi quod ultra Rhenum apud FRISIOS Herbæ hujus Indagatores creverit non expreſſêre: Certum tamen divinare mihi ſi fas ſit, è paluſtribus, humidis, Bituminoſis, & foſſarum præcipuè marginibus ſine controverſiâ crevit: Expreſsè enim PLINIUS narrat, FRISIOS *eam, quà Caſtra erant, demonſtraviſſe:* Et priùs: GERMANICUM CÆSAREM *maritimo tractu Caſtra, quò aquæ dulcis fons erat, promoviſſe.*

Veget. l. 3. cap. 8.

ROMANI enim ad Aquas & Fontes aquarum cauſâ caſtra metabantur: Ut ex VEGETII libro de re militari tertio capite octavo ſufficienter doceri poteſt.

Jam dulces Aquæ paluſtribus FRISIÆ locis ſulphureis, ac Bituminoſis potiſſimum tanquam fontibus ortum ſuum habent, & per foſſas Mare verſus defluunt.

Hujus generis extant hodie Fontes Groningiaco ſylvarum in agro, in Drentiâ, nec non Weſterwoldingæ ditionis territorio. Juxtaque Fontes illos HERBA hæc, & in foſſarum lateribus, Rivuliſque provenit copioſiſſimè.

Sic enim SUPERIS viſum eſt, & NATURÆ, ut ex venenatæ Aquæ potu contractis vitiis, juxta ejuſmodi Fontes enata, harumque noxam frangens reperiretur medela.

Miranda Dei providentia.

Aquæ Bituminoſæ,

Aquæ illæ inſalubres etiamnum ſunt, quod, ſalvo meliore judicio Bituminis ac ſulphuris admixti prædominio imputandum ſtatuo; eandemque ob cauſam in ejuſmodi aquis, aliis quoque limpidioribus licet permiſceantur, nullos aut perpaucos

cos inveniri piſces ; potæ quoque crudæ lienis inflationem, febres quartanas, dentium dolores, Stomacaccen, Scelotyrben, aliaque mala confeſtim accelerant.

indeque Cereviſiæ, noxæ.

Quin etiam coctæ inde Cerviſiæ nocent, malave ſimilia ſed tamen TEMPORIS progreſſu ſenſim ſine ſenſu inferunt.

In hiſce aquis quare piſces nulli reperiuntur.

His meam notatu dignam (ut ſaltem ſuſpicor) opinionem adjungam.

Indis ad laxandam alvum, ut & vicinis Gentibus, quod cibo potuque, ac Cœli temperie alvus aliàs nimis illis foret aſtricta, RHABARBARUM dediſſe NATURA videtur : Sicque ibi Aëris, Cibi, nec non potus proprium incommodum, utilitate & RHABARBARI veri, Herbæ nullibi ſpontè aliàs, quàm ibi creſcentis commodo compenſat Natura.

Natura quàm mirabiliter operarur.

Verum GALLICI OCEANI Inſularum ſedes colentibus FRISIIS cum laxantem ventris Aërem humidum, & maximè aquam, quâ potâ diſſolvuntur, ac corpora diffluunt, viſcera humore nimio interna lubricantur, NATURA tribuiſſet, Herbam ſcilicet BRITANNICAM ſimul his ſolummodo Inſulis ut neceſſariam, ita & propriam addidit, quæ noxas aquæ aſtringendo corrigeret, ac exterminaret, RHABARBARI facultatibus omninò contrariam, quamvis formâ aliàs non valdè diſſimilem, niſi nigra foris quod ſit, atque anguſtiora folia producat.

Quod autem AQUÆ illæ BITUMINOSÆ Friſiæque paluſtres ventrem deturbandi, dejiciendique vim habent, quotidiana in hominibus, bobus, vaccis, & equis nobis oſtendunt exempla : Unde iſtis in locis boves, vaccæ, & oves pabulum non quærunt, aut illis immorari videntur ; vel ſi quærant, aliò ad arenoſarum Terrarum aquas accedunt.

CERVISIÆ verò ex ejuſmodi Aquis coctæ ventrem plurimum purgant, niſi laxans aquæ vis multâ coctione, & Cerealium Leguminumque adſtringentium immixtione aut avenæ, quæ ſuâ ſemper NATURA adſtringit, & toſtarum fabarum, ſimiliumque infringatur.

Hinc GRONINGÆ talibus ferè ex Aquis ubi Cerviſia coquitur, illud jactatur proverbium, *Medici non requiruntur* : Purgantem enim & lenientem corpora, ventreſque Cereviſiam noſtrates habent, optimam præſertim, quam CLUNIAM, vulgò

Proverbiũ Groninga-um.

vulgò *Kluyn*, vocant, plurimi nihilominus tamen, qui hâc quotidie uti consuevêre, pinguescunt, & optimè habent; unde non nemo nuper CLUNIAM esse dictam, *quia Clunes graciles pinguefacit*, jocosè exclamabat: Interim tamen inde sic primò fuisse vocatam, potiùs existimarem, quoniam hæc, ut optima & crassissima, non nisi optimis olim Cespitibus, *Klyn* sive *Clyn* appellatis, à MAJORIBUS nostris, secùs quàm hodiè fit, coquebatur.

Clunia unde dicta

Hæc itaque inpræsentiarum paucis attigi, Terrarum, Aquarum, nec non Frisiæ Cervisiarum, Insularumque GALLICI OCEANI, id est, GERMANICI, proximarumque Regionum naturas uberius aliquando cum bono DEO expositurus. Simul etiam hic venenatis Aquis contrariam planè Herbam Naturâ procreatam, ac saluberrimam, quippe quæ & Serpentum ictus, nec non telorum vulnera sanat, demonstravi. Nec sine causâ hoc modo cecinit OVIDIUS.

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti
Vulneris auxilium Petias hasta fuit.

Sic noxiæ Aquæ proxima est BRITANNICA Herba, & quos excitat morbos, ac mala, illa omnia hujus unius BRITANNICÆ virtute rursum curantur, & juxta fossarum ripas lætè provenit, quantoquè intensius Aquæ laxant; Tantò illa validius & adstringit, & quod mirandum, aromaticâ suâ vi, atque styptică corroborat.

Quam sit mirabilis in operibus suis Deus.

Tandem TEMPORIS ratio exponenda super est, quo scilicet viret, & Foliorum suorum omnium pallâ cernitur induta.

Tempus.

Ecce initio VERIS, vel circa finem APRILIS FOLIA sensim protrudit, arque ante solstitium æstivum suos plerumque FLORES perfectè exhibet, SEMEN autem mense AUGUSTO maturum habet: Idem quoque in Agresti Lapatho observatur, nisi quod hoc matureścendo præoccupet: Secundum omnium in FRISIA GRONINGENSI observationum diligenter à me peractarum normam. Herbam enim in Hortis cultam nusquam vidi, nec aliis in locis ejus Tempora observare potui.

In-

Interea circa menſis SEPTEMBRIS initium ſæpiùs FOLIA adhuc inveniuntur viridia, poſtea verò exareſcunt, atque emoriuntur, radice ſolummodo ſuperſtite.

Quapropter VERIS etiam principio, aut SEPTEMBRIS medio optima radicis collectio eſt; FOLIORUM verò ac FLORUM dies ante Caniculares; Seminum autem poſt immediatum eorum finem. Folia exiccata, ut & radix, nec non expreſſus ſuccus ſervantur. Radicis collectio quando.

Hic lubens ſubſiſto, neque plura de hâc BRITANNICA in medium adduco: Omnibus itaque miſſis finem operi nunc impono.

Quæ ergo τῶν Ἀρχαίων, VETERUM, fuerit VERA BRITANNICA demonſtrare placuit: cujus hic datâ deſcriptione, collatis undique plumis, formâ & viribus expreſſis, hanc à me recens in FRISIA detectam, & iconibus delineatam manifeſtò docui; Aëtii ſcilicet Nigrum Rumicem libro primo tomo primo inſignitum veriſſimam eſſe BRITANNICAM, & Stomacci, Scelotyrbi, omnibuſque morbis ortum ex iis ducentibus, putridis ac Serpentibus ulceribus, ſerpigini ſimilibuſque vitiis, quæ Germanici Oceani Inſularum incolas miſerè infeſtant, mederi. Aëtius l. 1. tom. 1.

Interim æquo pioque LECTORI, FRISIÆ noſtræ, nec non univerſo BELGIO ſatisfactum eſſe ſpero, cujus Endymicis morbis auxiliantem HERBAM, atque domeſticam reddidi: Fauſto idque haud dubiè conatu, & DEI ter OPTIMI MAXIMI Herbas in ſubſidium & utilitatem hominum non ſolum, verum etiam animalium producentis benignitate.

Ab eo enim EPIDEMICORUM morborumque ENDYMICORUM remedia partim petenda, partim quoque eſſe demonſtrata, omnis confirmavit ANTIQUITAS. Certè morbos humano errore qui pullulant, cœli influxu hominum arti opitulante, curari Autorum claſſes teſtantur univerſæ.

DEO itaque OMNIPOTENTI ſit laus, honos, & gloria in ſempiternas ſeculorum myriades, qui nos omnes mortalitatis victimas ex immundo hoc mundo ad immortalis vitæ patriam favente cœleſtis ſuæ FAVONIO producat obteſtamur.

OPTIMVM, & adverſus SCORBVTVM planè inveteratum præſentiſſimum REMEDIVM.

℞ Croci ʒij.
Macis.
Glycyrrhizæ.
Cinnamomi Optimi.
Piperis Nigri.
Radicum Gentianæ, ana ʒiij.
Britannicæ ʒvj.

Omnia groſſo modo pulveriſata: Immiſceantur Vini Hiſpanici ſpurii libris ſedecim, aut pintis Hollandicis quatuor cum dimidiâ, vel quartâ tantum unius parte.

Aceti Sambucini, vel alterius fortiſſimi, lib. iij.
Ovorum recentium vitella tria.

Macerentur ſimul in vaſe lapideo vitreato probè obturato per horas ſeptuaginta duas in cinere calido, fimo equino, vel arenâ calidâ, eo tamen modo, ut ultra caliditatem tepidum non procedatur. Reponatur deinde, & uſui ſervetur.

Hujus DECOCTI tres, quatuor, quinque, vel ſex etiam Uncias, pro naturâ ſubjecti ſumat æger mane jejuno ſtomacho per dies quatuordecim, vel viginti aut plures. Bibat etiam quotidie ad extinguendam ſitim vinum Rhenanum optimum: Vel ſi Cerviſiæ ſit aſſuetus, ſumat non recentem, ſed defœcatam, beneque coctam: Ac quoties illam æger bibit, toties ipſi hujus vini cochlearia tria exhiberi neceſſe eſt.

Notandum tamen, quod ſi in ejuſmodi ægro ſiccitas quædam, Tuſſis vehemens, vel Tabis ſuſpicio adſit, Piperis loco, ſumat Glycyrrhizæ ʒvj. Vino uſu fermè conſumpto, vini reliquis adhuc ſemel, vel bis tantum vini addi permittitur.

Hoc Vino non ſolum brevi Temporis ſpatio inveteratus SCORBUTUS morbus, præſertim ſi abſque febri, vel inflammatione ſit, verum etiam reliqua SCORBUTI genera omnia, inveteratæ HERNIÆ, Paralytici, atque Gallico morbo infecti feliciſſimo ſucceſſu curantur.

CAPUT

Acetosa Lanceolata Minima. f. 189
Acetosa Italica
Annua

CAPUT XVIII.

TAndem post accuratum Aquarum Bituminosarum, illarumque Cervisiarum, ad omninm LAPATHORUM *descriptiones, serendi, nec non propagandi modos properare cogor; Summam in quibus diligentiam atque laborem, tanquam stabile fundamentum, reique Herbariæ perpetuum firmamentum, à quo multiplex utilitas dependere conspicitur, adhibendum verè existimo.*

In his enim apud ANTIQUOS *studium olim majus, ac frequens fuit exercitium, quod nostrâ planè tempestate neglectum, atque omninò relictum videmus, etsi accuratius Prisci Horticulturæ Autores multis hoc studium commentariis tradidêre. Illi enim in serendis Herbis, Stirpibus sylvestribus, atque ex sylvis, aliisque locis incultis, translatis nullá arte sicuribus antea factis usi sunt, ut inde & Plantarum bonos ac fructuum bonitas sequeretur.*

Cum primis verò, ut in hoc studii genere PLANTARUM *omnium vim, ventorumque flatum ac Naturam cognoscerent, operam dedêre studiosè.*

Nemo autem Horticultor tam ignarus unquam extitit, qui in Agricultura totius actione quædam & alia, certis ac discretis Temporibus peragenda fore non existimet, ut omnia prosperè atque fœliciter succedant. Sunt enim rerum terrestrium varii atque eventus diversi. Qui ut probè eveniant, intentè præcavendum reor. De Ventis enim hoc modo scripsit VIRGILIUS, ut ventos moremque varium prędicère cura sit. *Et* COLUMELLA *eloquentissimus hujus Interpres, totiusque rei agrestis Præceptor scientissimus.* Luc. mod. Colum. l. 1. fol. 3.

Nam qui hâc in scientiâ se volet profiteri perfectum, sit rerum NATURÆ sagaciſſimus, declinationumque mundi non ignarus oportet: Vt exploratum habeat, quid cuique Plagę conveniat, quid repugnet, SYDERUM ortus & occasus memoriâ repetat, ne Ventis imbribusque imminentibus operâ inchoët atque labore frustretur. COELI, prędentisque anni mores intueatur: Neque enim eodem semper veluti prędcripto habitum gerunt, nec omnibus anni momentis, vultu venit eodem ÆSTAS, aut HYEMS, nec VER semper pluviale, neque AUTUMNUS continuo humidus cernitur. Quę sine animi Lumine, atque exquisitissimis disciplinis, quenquam prędnoscere nunquam crediderim.

Quæ qui negant, & audiendi mihi videndique ſenſum negare videntur. Nam & Vere floreſcunt Herbæ, Æſtate eædem creſcunt, Autumno ſemina, fructusque matureſcunt. At poſtremum ita Hyeme quieſcunt, ut ad Vernam creationem ſeſe novam inſtituant.

Quas leges aſtrorum perneceſſarias omnibus ſciendum puto, iis verò maximè, quibus hæc ad negotiationes ſuas exiſtunt neceſſaria, ut ex impenſo labore & fructum & utilitatem tandem recipere queant, ne curâ minimâ neglectâ (quod ſummoperè eſt omni in artificio reprehenſibile) operam & oleum perdant.

Quare omnium LAPATHORUM *hactenus mihi cognitorum, nec non in præcedenti* Tabulâ *enumeratorum hiſtoriis conſervandi, regendi, propagandique mores hic adjungere non erubui.*

BRITANNICA ANTIQUORUM VERA.
Sive
LAPATHUM LONGIFOLIUM NIGRUM PALUSTRE.

Radix quæ.

Mirandarum ſanè virium PLANTA hæc, circa APRILIS annuatim medium, aut extremum, vel pro benignitate, aut Cœli inclementiâ MAJI menſis initio è radice craſſâ, magnâ, rotundâ, latâ, ac omninò ſpongioſâ (annoſa dum ſit) & manus longitudinem modo magis, modo minus continente, atque in varias partes craſſiuſculas, non tamen adeò longas inferiùs diviſa, nec non tenuibus quibusdam radiculis fibroſis, ac circulis nonnullis in adultioribus plus eminentibus, canalis modo excavatis, venuſtè circumdatâ, colore externo planè nigro, interno verò, recens effoſſa, candido ſpeciosè donatâ (qui tamen color ilico poſt in alium è luteo rufeſcentem, RHABARBARI veri Rotundifolii non diſſimilem, transfertur, tandemque exiccata, planè fuſca evadit) atque Naturâ ſuccoſâ, & longævâ protrudit

Foliorum magnitudo.

FOLIA numero haud multa, omnium LAPATHORUM cæterorum longiſſima, inferiori parte quaſi ex uno radicis loco juxta ſe poſita provenientia, non arctè, ſed ſeparatim diſpoſita, ſurſum ſemper vergentia, ſesquipedem, aut duos, plus minus pro annoſitate, aut Plantæ magnitudine, longa; tres & quatuor digitos transverſos lata, in

in medio latiora; atque in mucronem acutum tandem desinentia, colore à parte superiori quasi saturo viridi, & quasi purpuro-nigricante obducta, vel potius è cœruleo atro-virentia, tristia & non fulgentia, ab alterâ verò parte pallidiora, unicâ in medio majori venâ, è quâ plurimæ minores aliæ tenerrimæ, colore pallido virides, rectâ primo lineâ in latera excurrentes, deinde circa ca semicirculariter quasi coëuntes proveniunt, exornata; substantiâ crassiuscula, tactu duriuscula, Naturâ densa, constipata, & firma, marginibus interdum, præsertim quæ cauli annexa, cæterisque minora visuntur, parum crispis prædita, rectoque caule, modicè longo, crasso, superiore parte plano, inferiore verò rotundo, ac striis variis parumper eminentibus, nec non juxta TERRAM colore rubido sæpius obsito innitentia (quæ tamen rubedo in iis, quæ MORINIS & VENEIS locis, quàm stagnantibus Aquis, aut Rivulis, vel fossarum marginibus innascuntur, major cernitur) atque ore masticata valdè astringentia, nec non ex parte acida, quotannis etiam sub AUGUSTI mensis finem, & seriùs quoque natali in loco, in hortensi verò citiùs rursus evanescentia.

E quorum medio CAULIS surgit unicus, aut pro magnitudine, vel annositate Plantæ, plures, duos, tres, & quatuor interdum pedes longus, rectus, rotundus, gratâ viriditate obductus, atque internè excavatus, cui FOLIA quædam inferioribus minora, tum ex hâc, tum ex illâ parte supra se provenientia, & tam sursum, quàm deorsum parumper vergentia visuntur annexa; intra quæ cauliculi quidam non adeò copiosè, verum tenuiter dispositi resurgentes conspiciuntur, multisque undique gemmulis parvis, rotundis, & rarè non tamen articulatim dispositis, brevibusque & teneris petiolis annexis deorsum plerumque pendentibus, nec non superiori parte parumper rubidis circumdati, quæ gemmulæ sese sub JUNII mensis exitum, vel JULII initium aperientes, FLOSCULOS parvos trifoliatos, colore virides, duodecim albescentibus internis appendicibus post biduum decidentibus, vel in se marcescentibus, atque ab utraque foliolorum parte duabus è pallido colore albido hirsutis gemmulis, in nullis LAPATHI speciebus, præterquam in BRITANNICA AMERICANA visendis, ac aliis adhuc internis tribus foliolis minoribus præditos,

Caulis dispositio.

Florum color.

ditos, demonſtrant: Qui FLOSCULI per paucos dies aperti, in ſe tandem non marceſcunt, aut in Terram decidunt, verum contra indies majores apparent, SEMENQUE ad plenam maturitatem poſtea deveniens parvum, triangulare, coloreve ſpadiceo donatum exhibent.

Seminis conſideratio.

Quod umbroſo in loco SEPTEMBRI vel OCTOBRI creſcente Lunâ, vel MARTIO, aut APRILI menſibus, olle, vel ligneo vaſi ad digiti unius latitudinem Terrę impoſito, & aquâ ſępiùs madefactum, trium, aut quatuor hebdomadarum ſpatio, SEPTEMBRI verò & OCTOBRI menſe Terrę mandatum quod fuit, ante Vernum Tempus in Lucem rarò productum cernitur.

Quę inde poſtea exortę Plantulę, in Hortis collocatę humida & aprica, vel umbroſa loca, probè tamen ſtercorata diligunt, neque in illis radices, ut in natali ſolo, nigras; verum RHABARBARI modo externo colore è fuſco luteſcentes, atque interno planè ex obſcuro, grato tamen, luteas, nec non in longiores etiamnum particulas cęterorum LAPATHORUM more diviſas acquirunt, & vix ante tertium vel quartum annum primos ſuos FLORES, maturumque SEMEN proferunt, atque ultra viginti quinque & plures annos in natali ſolo perennant, quapropter longævæ dicuntur: In hortenſi verò vix nonum annum ſuperare viſuntur.

RHABARBARVM ROTVNDIFOLIVM VERVM.

ſive

LAPATHVM SATIVUM ROTVNDIFOLIVM AMPLISSIMVM FLORE ALBO.

Vel

RHEVM ANTIQVORVM.

Elegans ſanè PLANTA, & univerſę mortalitati perneceſſaria; RADICEM poſſidet naturâ longęvam, craſſam, rotundam, ſępius in partes quasdam diviſam, CENTAURI majoris figurâ non diſſimilem, minorem tamen, externè colore rubidam, recens pręſertim evulſam, quę poſtea tamen temporis lapſu

Radix.

lapſu exiccata ſpadiceum colorem acquirit, vel tendere ad nigredinem videtur; internè verò è luteo rufeſcentem, ac circulo quodam albeſcente artificiosè in medio donatam, in odoram, ſubſtantiam mollem, levem & ſpongioſam in ſe continentem, guſtu amaram, ac alicujus caliditatis non expertem, quæ ore manſa & parumper in eo agitata, luteum CROCI inſtar colorem edit, ac glutinis modo lenteſcit. Quæ omnia vera ac Legitima ANTIQUORUM RHEI ſive RHABARBARI indicia conſpiciuntur, quemadmodum de iis PEDACIUS DIOSCORIDES ſuo de materia Medica libro tertio capite ſecundo, & CLAUDIUS GALENUS libro de Antidotis primo capite decimo quarto: Item libro Simplicium octavo, capite de RHEO abunde teſtantur.

Dioſc. l. 3. Mat. Med. cap. 2. Galen. lib. Antid. 1. cap. 14. Et lib Simpl. oct. cap. de Rheo.

E qua Aprili menſe FOLIA annuatim producuntur numero plura, compendioſe conjuncta, nullo modo deorſum vergentia, verum ſupra Terram non alte tamen ſurſum PETASITIS in modum diſpoſita, magna, ferme rotunda, duos pedes lata, non verò tam longa, ab anteriori parte proëminenti parum arctiora, & in obtuſum mucronem deſinentia, margine plano, ac rubido colore prædita, à ſuperiori parte, qua Solem ſpectant, viridi colore obſcuro, ab inferiori verò pallidiore multo, nec non tenui ac molli hirſutie donata, parum fulgentia, Naturâ non planè expanſa, verum plicata, ac quaſi in rugas contracta, ſubſtantiâ craſſa, in medio ſeptem venis majoribus craſſis coloreque pallidis, è quibus innumeræ aliæ minores ortum ſuum deducunt, egregiè exornata; guſtu cum amaritudine quâdam parum acida, ac inodora; Longo cauli, pollicem craſſo, imo interdum craſſiori, à ſuperiori parte plano, & quaſi impreſſo canali lato prædito, ab inferiori verò rotundo, & parumper interdum rubido, nec non ſtriis ſive coſtulis permultis rectâ lineâ per eum excurrentibus circumdato inhærentia.

Foliorum ordo.

E quorum medio circa MAJI initum CAULIS oritur unicus, tres, & quatuor interdum pedes longus, craſſus, rotundus fere, eundem cum foliis colorem retinens, variis externis tuberculis quaſi ſtriatus, nec non intus excavatus. Cui FOLIA alia, dictis minora adnaſci viſuntur, inter quæ non ſecus quam ex pallidis veſicis Majo menſe FLORES ortum

Caulis magnitudo.

trahentes, ſuis quoque cauliculis inſiſtens proveniunt, multitudine innumerabiles, arctè adeò in unum quaſi ſe conglobantes, ut non niſi unicus racemus vel FLORES ſpica pulchrè videatur; colore ſunt albo, SAMBUCI Floribus minores, deorſum plerumque vergentes, grato præditi odore, ſex foliolis, quorum exteriora tria, tribus interioribus minora exiſtunt, conſtantes; internè appendicibus quibuſdam puſillis albidis exornati, paucis diebus ſolummodo ſuperſtites, deinde non decidentes, verum ſuis in petiolis tandem marceſcentes, copioſum brevi temporis ſpatio SEMEN triangulare, omnium LAPATHI ſpecierum, quas mihi hactenus videre contigit, maximum primò pallido colore viridi externo fulgente tamen, deinde rufeſcente, dum maturitatem JULII initio acquirat, obductum, nec non Naturâ quaſi veſicatum, ac internè candidum producunt.

Florum color.

Semen.

Quod menſe APRILI creſcente Lunâ, vel in lapideo vaſe (ut per Hyemem domi commodè conſervari poſſit) menſe NOVEMBRI dictâ Lunâ ad digiti unius latitudinem Terræ mandabitur, ſic aut APRILIS initio, vel ſub JUNII finem in Lucem productum cernitur; quod poſt trium demum annorum defluxum primi ſui Floris ſplendorem maturumque Semen, optimo ac SOLI probè expoſito loco plantatum, caliditatis utpote amans, nec humiditatem æſtivis Temporibus reſpuens, proferre videmus.

Propagandi modus.

RHABARBARUM ROTVNDIFOLIUM FIMBRIATVM,

ſive

LAPATHVM HORTENSE FIMBRIATVM ROTVNDIFOLIVM.

Emittit è radice craſsâ, rotundâ, rectâ, ſæpiùs in TERRAM LINEA deſcendente, ſeſeque tandem alias in partes formâ interdum, ſed non perfectè ovali rotundas, variiſque ſtriis nigris filorum inſtar adnaſcentibus egregiè circumdatas diſſipante, externo colore rubido, interno verò palleſcente luteo, nec non pluribus purpureis lineis internis longiformibus ac luteis rotun-

Radicis conſtitutio

tunditate perbelle interpositis, SOLEM quasi radiantem efformantibus, venustè præditâ; inodorâ, intensè nihilominus amarâ, gustu validâ, ac ore commansâ astringente, nonnihil quoque calidâ, & linguam pungente; Neque, ut & præcedenti contigit, adeò lævi, ac spongiosa, verum paululò substantiosiore atque humidiore existente, FOLIA haud pauca; non latè, sed juxta se quasi conjunctim disposita, nec non supra TERRAM parum elevata, anteriore tamen parte deorsum nonnihil vergentia, non prædicti LAPATHI figurâ adeò rotunda, verum longiformiora, ac minora, maxima sesquipedem longa, & ultra pedem lata, unica in medio crassiori costa sive vena hinc inde rubris maculis contaminata, è qua plurimæ aliæ minores ac minimæ ad latera excurrentes, & juxta ea semicirculariter concurrentes dispositæ proveniunt, prædita; colore herbaceo parumper fulgente, fimbriatisque marginibus exornata, juxta caulem in duas partes parum acuminatas quasi dissecta, substantia non adeò, ut de precedente diximus, crassa, tactu tamen æquè mollia, planè insipida, parumper etiam rugosa, in medio tamen plana, longis cauliculis tenuioribus, rotundioribus, ac striis quibusdam inordinatè dispositis, nec non colore tam viridi quàm rubro obsitis, neque superiori parte ita planis, latis, ac tam profundo canali præditis instructa. Foliorum magnitudo.

E quorum medio unus, duo, aut tres interdum simul, pro illius annositate, CAULES, ad duum vel trium etiam pedum altitudinem ascendentes provenire conspiciuntur. Sunt autem illi externe ferme perfecte rotundi, interne verò ex parte cavati, colore pallido viridi, multisque striis, atque hinc inde majoribus maculis rubicundis circumdati: Juxta quos modo ex hac, modo ex altera parte alia folia quò altiora, eò minora in LUCEM producuntur, ad quorum ortum permulti parvi, ac modice longi cauliculi ita conjunctim sunt dispositi, ut parvam unà Pyramidem non inepte efficiant, in quibus innumerabiles, parvi, ac rarò ultra tres dies durabiles Majo mense apparent FLOSCULI articulatim arctissime conjuncti, brevibusque ac tenuibus cauliculis annexi circum caules deorsum, capillamenti instar, pendentes, & colore viresentes, nec non parumper rufescentes, interne quibusdam subluteis appendicibus (ut in ACETOSA Rotundifolia ROMANA) præditi, Caulis. Florum ordo.

diti, ſex foliolis conſtantes, quorum externa tria minora, interna verò majora exiſtunt, deindeque in ſe non mareſcentes, neque in TERRAM decidentes, nihilominus tamen permanentes, ac grandiores evadentes, triangulares tandem, ſuperiori ſcilicet parte latiores, inferiori verò acuminatiores, atque tum ſub tribus foliolis, triangularem quaſi veſicam efformantes, triangulare quoque Seminis receptaculum, carneum primo colorem ſpeciosè fulgentem, poſtea verò ſub JUNII finem, & JULII initium ſpadiceo colore ductum acquirentes, SEMENQUE internè triangulare non adeò exiguum hepatico colore obductum abſcondentes cernuntur.

Seminis conſideratio.

Quod menſe APRILI Lunâ creſcente ad digiti unius latitudinem Terræ impoſitum, brevi temporis ſpatio in LUCEM provenit, & poſtea tertio demum anno primum FLOREM, nec non bonum ac maturum SEMEN hiſce in locis acquiret. E ſemine quoque deciduo ſpontè interdum productæ Plantæ deprehenduntur, vel etiam APRILI menſe, ſemine præſertim Brumali Tempore Lunâ prædictâ Terræ commiſſo.

Cultura.

Ex quo enatæ Plantulæ, naturæ longævæ commodum, probeque SOLI expoſitum locum, nec non TERRAM optimè ſtercoratam deſiderant.

RHABARBARUM LANGINOSUM,
ſive
LAPATHUM CHINENSE LONGIFOLIUM.

RARA admodum in hiſce Regionibus PLANTA, viſu peramœna, atque ad hominum infirmitatibus medendum, ab Immortali DEO, ad illius gloriam perpetuò celebrandam liberali manu benigne producta; è longævâ RADICE, craſſâ, fermè rotundâ, parum ultra ſemipedem longâ, fibris quibuſdam brevibus ac craſſiuſculis undique enatis onuſtâ, colore obſcuro externe fuſco, vel quaſi è rubedine nigreſcente, interne verò grato luteò, rubris nonnullis ſtriis venuſte permixto (quæ taman radice poſtea marceſcente & exiccatâ emor-

Radicis color.

emortuæ conſpiciuntur) belle donatâ, Naturâ liquore plena, internèque ſuccum ex parte viſcoſum è rubedine flaveſcentem, poſſidente, oreve commanſâ, admodum amarâ, nec non guſtu ingratâ FOLIA protrudens numeroſa; arctè conjuncta, & quaſi ſimul è radicis ſupremo, ſerie rotundâ mirabili unum ſupra aliud paulò elatius provenientia; manus unius longitudinem, aut paulò plus continentia, inferiori parte adeò anguſta, ut ultra digiti unius latitudinem eo in loco vix quicquam poſſideant, in medio tamen latiora, & in ſupremo vel anteriori parte latiſſima, ibique trium digitorum transvcrſorum latitudinem modò magis modò minus comprehendentia, ac in mucronem planè rotundum deſinentia, molli lanugine, in marginibus maximè viſibili, obducta, non diſſecta, neque plicata, verum plana, colore grato viridi ſuperiori, inferiori verò parte pallidiore, nec non unicâ in medio latiori ac majori venâ, è quâ plurimæ minores in latera undique excurrentes, & circa ea parum incurvatè diſpoſitæ proveniunt, prædita; Naturâ quidem ſurſum tendentia, anteriori nihilominus parte STRUTHIO-CAMELI plumarum inſtar, quod magnam Plantæ venuſtatem addit, parum deorſum ſeſe incurvantia; ſubſtantiâ modicè craſſa, guſtu amara, nec non tactu mollia; quæ Temporis fluxu ab inferiori primò parte flaveſcentia, deinde ffacceſcentia, ac tandem in TERRAM decidentia viſuntur. Foliorum ſeries.

E quorum medio annutim PEDICULUS unicus, ad trium, & quatuor digitorum transverſorum longitudinem ſupra altiora ac interiora FOLIA naſcitur conſpicuus, non craſſus, ſed tenuis, rotundus, gratoque colore è viridi purpureſcente obductus, cujus ſummo gemmulæ non adeò parvæ, craſſiuſculæ, atque ovi modo rotundæ inſidentes octo, decem, aut duodecim numero, brevibus pediculis nitentes, & modò ex hac, modò ex illâ caulis parte provenientes, conſpiciuntur: Quæ poſt aliquot dierum ſpatium ab inferiori parte ſucceſſivè apertioni ſeſe accingentes, & FLORES pallido colore cœruleo non ingrato donatos, formâ & magnitudine LEUCOJI arboreſcentis Floribus non valde diſſimiles, è quinque plerumque, quamvis interdum quatuor quoque foliolis ſubrotundis conſtantes, odore admodum ingratos, cerebrum non parum Pediculi altitudo. Florum coloratio.

perturbantes, & ſuccum fermè cœruleum edentes viſuntur. Hi aperti FLORES brevi marceſcent, ac tandem in Terram decidentes, SEMEN in hiſce BELGII locis nunquam, aut vix, niſi ſiccâ & ferventi Æſtate, ad maturitatem perventum relinquent.

Quare prætioſa hæc, & jocunda aſpectu PLANTA in hiſce plagis frigidioribus à nemine vel rarò multiplicari poſſe ſtatuitur.

LAPATHVM SATIVUM ANTIQVORVM, aut LONGIFOLIVM, ſive PATIENTIA.

NATURA humanæ conſtitutioni vel conſervandæ, vel curandæ proficua, ſalubris, & perneceſſaria eſt PLANTA: Protrudit è radice ultra ulnam longâ, imo interdum longiore, ac lineâ quâdam rectâ profundè Terram perforante, digiti craſſitiem parte, ſuperiori obtinente, colore externo palleſcente luteo, interno verò citrio ſpeciosè donatâ, parum amarâ, acri, nec non ore maſticatâ nonnihil adſtringente, FOLIA in longitudinem excurrentia, numero non multa, quorum nonnulla pedem unicum Romanum, quædam verò ſeſquipedem longa, ſemipedem aut minus lata, circa medium latiſſima, & tandem in mucronem modicè acutum deſinentia, anguſtiora (exceptis quibusdam Foliorum exemplis in obtuſiorem mucronem ſæpiùs declinantium) viſuntur: Primò ſurſum erecta, circa caulis ortum parum incurvata, tandemque anteriori parte nonnihil deorſum vergentia, colore ſupernè obſcuro vireſcentia, inferne verò ex viridi cœruleo pallidiora, Natnrâ in medio tuberculis quibuſdam ſeſe nonnihil contrahentibus quaſi rugoſa, tenera, ac tactu mollia, modicè craſſa, margine plano prædita, ore commanſa, miſtâ quâdam dulcedine, aceſcentia, nec non craſſâ in medio venâ colore pallidâ & maculis quibuſdam rubeſcentibus inquinatâ, è quâ plurimæ minores aliæ in latera excurrentes, & juxta ea ſemicirculariter rurſum convenientes

Radicis longitudo.

Folia.

nientes profiliunt. Caulibus quoque modicè craſſis ac longis, ſuperiori parte canalis modo planis, inferiori verò ſemirotundis, ſtriatis, atque pallido colore viridi, nec non rufeſcentibus quibuſdam maculis inſperſis nituntur.

Caulis quantitas.

E quorum meditullio Verno Tempore ad quatuor & quinque pedum altitudinem CAULIS tantummodo prorumpit unicus, rotundus digiti minimi craſſitiem obtinens, colore externè rubro circumdatus parum ſtriatus, nec non internè viridis, atque excavatus; cujus ſuperiori in parte iconis tantummodo particula, ſemine onuſta, à Pictore expreſſa cernitur, dum integram ejus longitudinem ob loci anguſtiam hic ponere non potuerit. Cui FOLIA prædictis minora, atque auctiora, modo ex illâ CAULIS parte numero pauco provenientia, latè quoque à ſe invicem diſtantia, juxta caulem latiora, in marginibus rubra, canaliculata, nec non deorſum ſæpius dependentia, annectuntur. Inter quæ juxta CAULEM diverſi cauliculi non longi, innumeris gemmulis anguloſis mirâ ſeriè conglomeratim diſpoſitis, & brevibus filamentis dependentibus onuſti, producuntur; quæ ſub MAJI finem, JUNIIQUE initium apertioni ſeſe accingentes, FLOSCULOS tri- Flores.
angulares, colore virides, ad SOLEM tamen nutantes, ſuperiori parte rufeſcentes, tribus foliolis conſtantes, & floccos internè tres albos, cum duodecim Luteis appendicibus, atque externè tria perpuſilla foliola, clauſos adhuc Floſculos comprehendentes, demonſtrat.

Quæ FLORUM foliola per paucos dies aperta, ac pendula, non decidunt, nec mareſcunt, verum perſeverant, grandiora fiunt, & quaſi alata, ac primò rufeſcentia, deinde verò planè rubra apparent, nec non in medio SOLEM verſus gammulâ quâdam rubro-ſatura pulchra admodum exornata: Tandemque ſub iis SEMEN quoddam triangulare, pallido colo- Semen.
re fuſco, fulgente tamen, obductum abſcondentia, cernuntur. Quibus in TERRAM decidentibus, tota emoritur PLANTA, quoniam ultra biennium non vivit.

Nihilominus tamen ſemine ſponte defluo, vel aliis in Locis VERNO TEMPORE creſcente LUNA Terræ non profundè levi manu mandato, copioſè multiplicari poteſt: Illam verò SOLI probè expoſito æquè, ac umbroſo in ſolo, ligonis

ope

ope diligenter ſubacto, nec non ſufficientis ſimi quantitate imbuto (quoniam & hunc, & illum diligit) reponi neceſſe eſt.

BRITANNICA AMERICANA,
ſive
LAPATHUM VIRGINIANUM.

PRÆCLARA ſanè mirandarum virium ſuarum ratione, diutinique Tempòris beneficio durabilis hæc PLANTA, protrudens, ad BRITANNICÆ Antiquorum VERÆ modum, è radice craſſâ, atque in varias partes diviſâ, nec non fibroſis quibusdam appendicibus onuſtâ, colore externo ferè fuſcâ (quæ quò vetuſtior, eò obſcurior atque nigrior cernitur) interno verò è rubedine quâdam, RHABARBARI Rotundifolii VERI modo, luteâ, interna tamen medullâ, in craſſioribus ſcilicet radicibus ac vetuſtioribus, è fuſco rubrâ, nec non intrinſecus albo quodam circulo ſpeciosè exornatâ, ſubſtantiâ firmâ quidem & ſolidâ, poſtea tamen ad exiccandum depoſitâ, ſpongioſiore, NATURA ſuccolentâ, inodorâ, guſtu amarâ, aſtringente; ac ore parum maſticata, ſuccum quaſi luteum exhibente, FOLIA non adeò copioſa, viſu haud ingrata, & arctè quaſi conjuncta è Tellure provenientia, Natura ſurſum magis, quam deorſum tendentia, magnitudine diverſa; minora, breviora, ac rotundiora, ſcilicet Planta nondum FLORES emittente, majora verò, ac acutiora, Flores producente, infima cum petiolo cui inhærent, ſesquipedem circumcirca longa, à poſteriori parte ubi latiſſima, ſex & ſeptem transverſorum digitorum latitudinem comprehendentia, ac tandem in acutum mucronem parum ſeſe contorquentem deſinentia, modicè craſſa & pinguia, ſuperiori parte, qua SOLEM ſpectant, herbaceo colore grato, ac rubedine quadam, multisque maculis, & punctis rubris donata, inferiori verò è viridi quaſi ſubcœrulea, non tamen fulgentia, marginibus plerumque rubris, nec non venuſtè criſpis aut fimbriatis exornata, unica in medio fibra vel dorſo majori rufeſcente, ex qua permultæ aliæ minores ſuperiùs rubidæ, inferiùs verò parum aut nihil

Radix.

Foliorum ordo.

Acetosa Romana Rotundifolia. *fol. 200.*

nihil ruboris habentes, ac ad latera ſemicirculariter coëuntes, proveniunt; quemadmodum in icone conſpicitur; ore commanſa, intenſe BRITANNICÆ Antiquorum VERÆ in modum aſtringentia, & guſtu acida; brevibus ac craſſiuſculis petiolis, digitorum tranſverſorum quinque longitudinem poſſidentibus, inferiori quoque parte rotundis & variis coſtulis ſtriatis, ſuperiori verò planis nitentia.

E quorum medio menſe JUNIO ſæpiùs CAULIS erumpit unicus, infimâ parte pollicis craſſitiem tenens, tres ultra pedes longus, rotundus, multis eminentibus ſtriis donatus, interne excavatus, externe colore viridis, ac juxta unum quemque articulum, vel foliorum ſedem ad digiti fere unius transverſi altitudinem plane rubidus, cui FOLIA quædam, modo ex hâc, modo ex illâ parte adnaſcentià, deorſum quoque ſæpenumero vergentia, ac inferioribus multo minora, nec non quò altiora, eò anguſtiora, imo ad unius ſtraminis latitudinem tandem devenientia, atque ad partem exteriorem adeò arcte incurvata, ut nil niſi duplicatum foliolum, ac in medio partis folii inferioribus venam tantummodo oſtendentia viſantur, quæ tamen deinde, Floribus productis, rurſum ſeſe explicant, & aliorum foliorum modo ſe habentia adnaſci conſpiciuntur. Caulis.

E cujus deinde CAULIS meditullio ſive apice primò, non verò inter folia ei annexa, ut in omnibus LAPATHI ſpeciebus aliàs notatur, ſub JULII medium, initium, vel finem FLORES in LUCEM producuntur: Qui tamen caulis poſtea in paucas quasdam partes transverſas, admodum anguſtas, ac à ſe invicem ſeparatas, diſſipatur, quibus inferius pauca quædam FOLIOLA, non tamen, ut in BRITANNICA ANTIQUORUM VERA fit, ſuperiùs aſcendentia ac numeroſa, cumque Floribus provenientia adhærent. Florum diſpoſitio.

Sunt autem hi FLORES cum albidis ſuis gemmulis plane lanuginoſis, ipſis ab utraque parte Florum foliis annexis (quæ in nulla alia Lapathi ſpecie, niſi in hac, & ipſa duntaxat VERA ANTIQUORUM BRITANNICA cernuntur) longifolii Lapathi Aquatici Nigri FLORIBUS per omnia ſimiles; exceptis hiſce.

PRIMÒ, quod hujus AMERICANI LAPATHI Floribus multo languidiores deorſum dependeant.

SECUNDÒ, quod tria FLORUM foliola ſuperiora plus rubeſcentia exiſtant.

TERTIÒ, quod per tres aut quatuor dies aperti, non decidant, verum ſuis in petiolis permanentes, grandiores fiant, ac poſtea prædictarum LAPATHI ſpecierum modo SEMEN aliquod triangulare nitidum, ac SEPTEMBRI menſe perfectum, pallide colore fuſco obductum præbeant.

Semen.

QUARTÒ, quòd MARTIO vel APRILI menſibus creſcente LUNA ad digiti unius tranſverſi profunditatem Terræ, ollæ, aut ligneo vaſi impoſitum, demandatur; quo modo brevi temporis ſpatio in LUCEM producitur, ac poſt trium annorum decurſum Floſculorum ſuorum primitias, ac probum Semen exhibet.

Quùm verò optima hæc PLANTA Aëri noſtro inclementiori expoſita, hybernum frigus ægre ſuſtinet, per illud Tempus in ædibus paucâ, aut nullâ ipſi humiditate exhibita, ſecure conſervatur; Sed CESPITUM pulvere, vel *Kif* Belgice dicto, quòd à ſutoribus ex illorum coriaceis ſcrobibus abjicitur, ac ſtramine contra gelu probe muniri, nec non calido quoque loco à BOREALI plagâ libero reponi neceſſe eſt.

Conſervandi modus.

Quod ſi fiat, nonnihil tamen ex Plantâ domi ſervandum conſulerem. Equidem in BRABANTIA, GALLIA, cæteriſque Regionibus calidioribus intectam ſine noxâ, vel ullo incommodo PLANTAM hanc ſupervicturam crediderim.

OPTIMA hæc LAPATHI ſpecies, non ſolum vulneribus, ulceribuſque curandis, oris quoque & faucium tollendis incommodis, verum etiam SCORBUTO, cæteriſque, quibus Vera Antiquorum BRITANNICA applicatur, præſens proſtat remedium, illa tamen in hiſce FRISIÆ oris paulò imbecillius, è contra verò ſuo in natali loco, docente id experientiâ efficaciter operatur.

Vires.

Adverſus omne Venenum incredibilis efficaciæ PLANTA eſt, atque ſanguinem purificans, quare in VIRGINIA, ac Novo Belgio AMERICANI ſuccum ejus in Bello ſemper præſtò habent, cumque telis venenatis ſaucii vulneribus indunt, brevique Temporis ſpatio curantur, nullum enim adverſus veneni efficaciam efficacius remedium hujus ſucco INDI norunt, quare Ἀκοντιὸν meritò vocari poteſt.

RA-

RADIX ejus NATURA adſtringendi vi quamvis eſt prædita, nihilominus recens tamen extractam, vel coctam, vel crudam alvum per accidens aliquando leniter ſolvere poſſe, in me ipſo expertus ſum.

LAPATHUM HORTENSE,

vulgò

SPINACHIA.

Annus hujus Saluberrimæ, atque omnibus uſitatiſſimæ PLANTÆ ſpecies in Orbe reperiuntur geminæ (quarum altera Semen producit valdè Spinoſum altera verò rotundum planè. & nullis omninò Spinulis horridum) omnibus ſuis alioqui partibus inter ſe minimè diſcrepantes, ſed per omnia ſimiles. Hujus ſpecies duæ.

Naturâ ſuâ è tenui, brevi, ac colore albido prædita, ſuperiori tamen parte parumper fuſco obducta, atque ore commanſa nonnihil viſcoſa, & aſtringenti, nec non ex parte guſtu amara radice, ad unius, ſeſquipedes, aut duorum ad ſummum pedum Romanorum altitudinem vireſcit; FOLIA producens viſu non ingrata, quorum primò nata humo incumbentia, ſecundo vero ſupra eam elata, omniumque maxima, ac poſtea etiamnum primo rurſum luteſcentia, nec non emorientia, quinque, & ſex transverſorum digitorum longitudinem, trium vero latitudinem in ſe comprehendentia, ac caulibus ſuis quo altiora, eo minora, nihilominus tamen multo arctius ibi, & brevius, quàm inferius, connexa, adhærentia; colore viridi obſcuro vel atro-vireſcentia, ab inferiori autem parte paulo pallidiora, non fulgentia, ſubſtantiâ craſſa, ac pinguia, tactu mollia, tenera, ſurſum plerumque vergentia, in acutum mucronem deſinentia, ac inferiùs ſæpiſſime duabus particulis acuminatis, auricularum inſtar, vel etiam quatuor nonnunquam venuſte, latiſſimam ibi foliorum partem efformantibus, atque unica in medio fibra, ê quâ multæ aliæ minores in latera, ſimul & in dictas geminas partes inferiores acuminatas rectâ lineâ excurrunt, prædita; ore maſticata, parumper acria, quamvis aliàs fere inſipida, aliquantulum aut nihil aſtringentia, cauliculis Foliorum ordo.

modice longis nitentia, ſupra ſe cùm ex hac, tùm ex illa majoris ac craſſioris parte caulis, interne excavati, & colore pallido viridis, quaſi quadam rotunditate provenientia; Inter quæ parte inferiori, raro vero ſuperiori CAULICULI quidam transverſi emergunt, quibus permultæ rotundæ & virides gemmulæ, articulatim ipſi cauli undiqne innatæ & arctiſſime conjunctæ, uon ſecus quàm rotundos ATRIPLICIS Bacciferæ VIRGINIANÆ modo, globulos efformantes belle, viſuntur, quæ ſucceſſu Temporis apertioni ſeſe accingentes, puſillos & vix viſibiles FLOSCULOS pallido-virides, & quatuor perpuſillis foliolis interne curvatis conſtantes, omnibus repræſentant; ê quorum medio quatuor pro tenuitate longiuſculi, ac pallido-virides cauliculi, ſuperiori parte quatuor exiguis viridibus gemmulis, tanquam quatuor vix viſibilibus pro tenuitate foliolis conſtantibus exornati in LUCEM producuntur; qui deinde, per paucos dies aperti, marceſcunt, & pereunt; tumque biangularia quædam, triangularia, vel quadrangularia, acuta valde & horrida viridia ſeminis receptacula, vel (ut dictum) in altera ſpecie rotunda, plana, neque ullis pungentibus ſpinulis obſita (quemadmodum in hoc appoſito cauliculo ad vivum delineato apparet) poſt ſe relinquunt; quæque deinde ad perfectam maturitatem dum pervenerint, colorem ex pallido obſoletum acquirunt, nec non interne parum ſuppreſſum, ex parte tamen non vero perfecte rotundum SEMEN, coloreque fuſco donatum continent.

Flores quinam.

Seminis conſideratio.

Quod creſcente Lunâ FEBRUARIO, vel MARTIO, aliisque per totam ÆSTATEM menſibus, vel etiam AUGUSTO non profunde, neque in uno loco nimis copioſe Terræ inſeritur: Sic brevi temporis ſpatio in lucem producitur; SEMEN quoque maturum profert, atque poſtea emoritur, in vivis quoniam diutius Natura non permanet.

Nihilominus tamen ex Semine AUGUSTO vel SEPTEMBRI menſibus dicta Luna, Terræ mandato prolatæ Plantulæ, haud frigido in loco præſertim poſitæ, per HYEMEM ſæpiſſime ſuperſtites remanent, illudque ſub MAJI menſis finem probum omnibus Semen benigne largiuntur.

LA-

LAPATHUM VULGARE ALBUM FOLIO SUBROTUNDO,

Sive

HIPPOLAPATHUM SYLVESTRE ALBUM.

Hippolapathum idem quod magnum Lapathum sonat, in compositionibus enim apud Græcos ἱππος magnitudinem designat, Salmasio teste in exercitationibus suis Plinian. fol. 1277.

Naturâ sua vulgaris quidem, nihilominus tamen omnibus salubris existit HERBA, undique humidis aquosis, incultis, & siccis quoque in locis spontè circa viarum margines copiosè proveniens, & ad duorum interdum trium, aut ultra, pedum altitudinem, pro soli, cui innascitur, pinguedine, macritudine, siccitate, vel humiditate ascendens; hæc enim non solum, verum etiam omnium LAPATHORUM species pingue solum naturâ potius, quàm sterile, aridum, compactum, aut nullo fimo subactum desiderant.

RADICEM ostendit vix ultra pedem Romanum longam, pollicis crassitiem in se comprehendentem, & in varias partes divisam, colore externè fermè fuscam, internè verò ex albido subluteam, unàque circulo quodam pallescente fusco non ingrato donatam, non spongiosam, sed substantia solidam, ore masticatam valdè amaram, ac gustui ingratam, nihilominus astringentem, nec non modicè succulentam. Radix qualis.

E quà FOLIA producuntur numero non pauca, inferiùs juxta se posita, tàm sursum quàm deorsum vergentia, non omnia æquè magna, plerumque tamen manus, atque unius modici pedis longitudinem obtinentia, quinque & sex digitorum transversorum latitudinem possidentia, quamvis quoque & majora, & pro loci ubertate, ac sterilitate minora visuntur, effigie RHABARBARI FIMBRIATI foliis non valde dissimilia, marginibus parumper plicata, juxta caulem sæpiùs latissima, ac in obtusum mucronem, quibusdam etiam in locis acutiorem desinentia, colore obscuro virescentia, non tamen fulgentia, unica in medio prædita fibra ingenti, à superiori parte striis ac maculis quibusdam rubris aspersa, ex qua permultæ aliæ minores, ab inferiori quàm superiori parte magis visibiles, ortum suum ducunt; gustui absque ulla aciditate ingrata, nonnihil Folia.

tamen adſtringentia; atque amara; caulibus, digitos circum-circa quatuor transverſos longis, modice craſſis, ab inferiori parte rotundis, à ſuperiori vero canalis modo nonnihil planis, atque maculis quibuſdam ſanguinolentis contaminatis nitentia.

Caulis. E quorum medio CAULIS unicus, aut plures, pro Plantæ magnitudine ad duum triumque pedum altitudinem, colore BETÆ modo pallido-viridis, interne candidior, non tamen concavus, ſed rotundus, nec non ſtriis quibusdam exiguis, ac tuberculis quaſi obſitus, oritur: Cui FOLIA inferioribus multa minora, & modo ex hac, modo ex illa parte ad ſupremum uſque provenientia, conſpiciuntur inhærentia, inter quæ multi cauliculi transverſi ſurſum vergentes, variis gemmulis pallido-viridibus, præcedentis modo rotunditate quadam articulatim deorſum dependentibus, pauloque arctiùs diſpoſitis prædiți ſurgunt: Quales gemmulæ ad totius JUNII decurſum, ac JULII principium aperiuntur, exiguos FLOSCULOS tribus foliolis ac interne decem albis appendicibus conſtantes oculis exhibent, ſed tamen tria hæc foliola viridia, dictis appendicibus decidentibus, ut etiam præcedentes, non marceſcunt, aut pereunt, vel in TERRAM delabuntur, verum NATURA permanent, accreſcunt, atque externe tres perpuſillas gemmulas oculorum inſtar protuberantes, primo albeſcentes, deinde rufeſcentes iis inſidentes acquirunt, ſub quibus SEMEN puſillum conſpicitur triangulare, & fulgens, coloreque primo pallidum, deinde ſpadiceum ad maturitatis perfectionem attrahens.

Flores.

Semen.

Quod creſcente LUNA Septembri, Octobri, Februario vel Martio menſibus (quoniam diu Telluris eſt incola, citiusque interdum illa exiens) TERRÆ imponi curabitur, nihilominus tamen undique è defluentis ſeminis copia ſponte provenit, & ſecundo demum anno primo FLORE producto, non emoritur, verum per annum unum atque alterum adhuc læte vireſcens perſeverat.

LA-

LAPATHUM VULGARE RUBRUM Retuſo-folio.

Sive

HIPPOLAPATHUM SYLVESTRE RUBRUM.

PLANTA hæc vulgaris omnibus ſuis partibus præcedenti Albo Sylveſtri Magno LAPATHO folio ſubrotundo conſimilis eſt, eo quamvis natura ſæpius hmilior paulo exiſtat, hoc tamen unico excepto, hanc caulibus, Floribus, nec non omnibus ſuis Seminum receptaculis rubro colore imbutis conſpici; nihilominus tamen SEMEN ipſiſſimum effigie, ac colore ad unum omnibus prædictis nullo modo apparet diſſimile.

Quare de hac plura in medium huc adducere, ſupervacaneum eſſe exiſtimo.

Illud tamen hic addere non diſplicebit, hujus ſcilicet ut & præcedentis HIPPOLAPATHI Sylveſtris quibusdam in locis aliam etiam quaſi minorem inveniri ſpeciem, quæ tamen minor re vera non eſt, eam vero loci tantummodo ſterilitate, ut illius ubertate majorem, in harum Regionum paludoſis æque, quàm ſiccis provenire videmus.

LAPATHUM UNCTUOSUM.

Sive

BONUS HENRICUS.

Hæc ſane non contemnenda PLANTA, radice cernitur longa, modice craſſa, colore tam interne, quàm externe plane albo donata, ore commanducata, valde amara, Natura tamen nonnihil adſtringente, nec non ultra octo aut decem annos interdum ſuperſtite: E qua annuatim APRILIS initio FOLIA producuntur numero non pauca, caulibus modice craſſis, ac digitos quinque transverſos fere longis, nec non ſuperiori parte canaliculatis, inferiori vero ſimirotundis, & pallido colore viridi, ac rubris quibuſdam ſtriis obductis, ut & ſurſum ver-

Radix quæ.

Foliorum conſtitutio

vergentibus inhærentia, manus longitudinem continentia, ſeptem, octo, pluresque transverſos digitos lata, inferiori parte ATRIPLICIS SATIVÆ RUBRÆ modo in duas partes diviſa, ibique latiſſima, atque inde in anguſtiorem, & obtuſum mucronem deſinentia, nec non marginibus minimè planis, verum multis partibus non profundè inciſis, obtusè mucronatis, atque inordinatè diſpoſitis, & parumper quaſi criſpatis prædita, ſemicirculari vel canalis in modum diſpoſita, tactu mollia, craſſiuſcula, ore manſa, primò herbaceum quendam guſtum præbentia, poſtea verò acredinem quandam in gutture exhibentia, colore atro-viridi non ingrato, ad luteum tamen leviter inclinante donata, atque in medio unicâ craſſiori venâ, è quâ plurimæ minores aliæ in latera excurrentes, ibique ſat viſibiles proveniunt, exornata.

Caulis diſpoſitio.

E quorum medio CAULIS ad duùm pedum altitudinem vel paulo plus quotannis renaſcitur unicus, vel etiam plures, rotundi, parum ſtriati, colore viridi haud ingrato obducti, non adeò craſſi, neque internè excavati, verum omninò ſolidi.

Quibus FOLIA nonnulla prædictis minora, & modò ex hâc, modò ex illâ parte provenientia, articulique longitudinem à ſe invicem diſtantia, conſpiciuntur annexa, inter quæ alia multo minora LUCI interdum exponuntur.

E quorum culmine permultæ, arctiſſimè conjunctæ, atque anguloſæ virides gemmulæ, in ſpicam, medii digiti longitudinem plus minus continentem, atque inferiòri parte craſſiorem ac latiorem, ſuperiori verò anguſtiorem, non iniquè diſpoſitæ, producuntur. Quæ dum ſub MAJI menſis finem, vel JUNII initium aperiuntur, permultos FLOSCULOS, quinque perpuſillis foliolis viridibus conſtantes, internè circa medium quinque luteſcentes ac proëminentes floccos albis filamentis fultos, oculis objiciunt.

Floſculi quales.

Qui per quinque, ſex, vel ſeptem dies aperti, in TERRAM non decidunt, aut flacceſcunt, verum perennant, atque interni SEMEN quoddam è plano ſubrotundum, primò quidem viride, poſt ea verò nigrum, ſubminiſtrant.

Seminis color.

Quod SEPTEMBRI menſe Lunâ creſcente, FEBRUARIO, vel MARTIO ad digiti unius transverſi profunditatem Terræ mandatum, MAIO deinde, vel JUNIO menſibus, aut

aut paulò ſeriùs ſolo emergit, nullos tamen caules, vel FLORES niſi ſecundo anno de novo protrudens.

LAPATHUM ACUTUM,

ſive

OXYLAPATHUM.

VULGARIS quidem, valdè tamen ſalubris HERBA, in pluribus totius BELGII humidis & aquoſis, paucis verò in FRISIÆ noſtræ locis, nec non humilibus in campis Naturæ inſtinctu exoritur.

E RADICE, pollicis craſſitiem in ſe comprehendente, fermè rotundâ, rectâ deorſum lineâ Terram perforante, ac pedis unius longitudinem, & paulò etiam ulteriùs continente, atque in varias partes inferiùs diviſâ, colore externo palleſcente fuſco, interno vero luteo donata, producit FOLIA viſui haud ingrata, unicum circumcirca pedem longa, digitos transverſos duos, aut plus interdum lata, à poſteriori parte, quâ pediculis annectuntur, latiſſima, atque inde in acutum mucronem deſinentia, non mollia, ſed tactu dura, tenuia, à parte ſuperiori colore atro vel obſcuro vireſcentia, ab inferiori vero pallidiora, marginibus planis exornata, atque unicâ circa medium majori venâ, è quâ aliæ minores plurimæ in latera excurrentes, & circa ea ſemicirculariter diſpoſitæ ac coëuntes, proveniunt prædita; ore maſticata, parum acida, adſtringentia, & pungentia, tàm deorſum quàm ſurſum vergentia. Radicis examinatio. Folia qualia.

E quorum medio CAULIS in altum aſcendit unicus, vel etiam pro PLANTÆ magnitudine, aut ſoli ubertate, duo; NATURA rectus, ſesquipedem, vel duos longus, rotundus, colore purpuraſcens, internè excavatus, & variis ſtriis, multiſque undique foliis tùm ex hâc, tùm ex illâ parte ſe ſuperantibus onuſtus, circa apicem in duas, vel tres partes diviſus, quæ multis undique trifoliatis FLOSCULIS, non articulatim diſpoſitis, verum æquali ſerie à ſe invicem diſtantibus, ac quibusdam internè luteis appendicibus multiplicatæ, ut & brevibus petiolis rectis innitentibus præditæ viſuntur: Qui paucis diebus aperti, internis interim decidentibus appendicibus, non Caulis. Flos qualis

marcidi, aut in TERRAM defluentes, verum cæterarum ſpecierum in modum grandeſcentes ac matureſcentes, exiguum aliquod, triangulare, atque è ſpadiceo colore nitidum SEMEN exhibentes conſpiciuntur.

Semen.

Quod Septembri, Octobri, Martio, vel Aprili menſibus LUNA creſcente ad digiti unius transverſi profunditatem Terræ imponitur, indeque ſatis copiosè, ut ex Semine quoque defluente tàm VERNO, quàm ÆSTIVO Tempore LUCEM novæ Plantulæ ſalutant: Quæ anno ſequenti novos rurſum FLORES, novumque Semen ſubminiſtrant, illisque immoriuntur, interdum tamen pro adultâ ſuâ magnitudine diutius ſuperſtites, viſuntur.

LAPATHUM LONGIFOLIUM CRISPUM.

HERBA eſt, biennii terminos Naturâ vix excedens: E radice modicè longâ, rotundâ, tenui, colore albeſcente externè, eodemque internè, ac flavedine aliquâ, nec non ſtriis permultis tàm albeſcentibus, quàm gryſeis ſive pallido fuſcis, ac circulo ſatis magno affabrè exornatâ, guſtui quoque initio non ingratâ, poſtea verò amarâ, parum aſtringente, atque naturâ ſuccolentâ; FOLIA profert numero non pauca, quorum quædam ſupra Terræ ſuperficiem parumper elevata, nonnulla verò ipſâ in TERRA requieſcentia conſpiciuntur, ultra pedem imo interdum ſesquipedem longa, tres digitos undique lata, atque in acumen deſinentia, colore herbaceo abſque ullius rubedinis indicio circumdata, inferiori tamen parte pallidiora, marginibus criſpis & quaſi undulatis, ac circa medium gibbo, vel venâ quadam majori unicâ, ex quâ plurimæ minores ad latera excurrentes, & prope ea ſemicirculo quodam coëuntes coruſcant exornata; guſtu ACETOSÆ in modum acida, ac ſucco multo referta, nec non caulibus modicè craſſis, ſuperiori parte planis, inferiori verò ſemirotundis, digitorumque quatuor transverſorum longitudinem rarò ſuperantibus inhærentia.

Radix quæ

Foliorum examen.

Caulis.

E quorum medio CAULIS unicus, aut plurimi, alios adhuc transverſos minores ſibi undique adnatos oſtendentes reſurgunt, Naturâ rotundi, plani, colore absque ullâ rubedine pallido-

pallido-virides, internè nullo modo excavati, verum duorum, triumque pedum longitudinem, ſecundum loci bonitatem, cui innaſcitur, poſſidentes: Quibus FOLIA adhærent prædictis multo minora, & modò ex hâc, modò ex illâ parte ſe oculis ſiſtentia, inter quæ multi puſilli cauliculi, exiguis quoque foliolis, nec non plurimis triangularibus gemmulis onuſti reſplendent, quæ temporis requiſiti fluxu apertioni ſe accingentes, FLOSCULOS exiguos, colore virides, tribus foliolis conſtantes, & internè duodecim albis appendicibus præditos, inodoros, articulatimque ac conjunctim cauliculis innaſcentes, nec non deorſum ſemper vergentes JUNIO & JULIO menſe omnibus monſtrant ſpectatoribus, qui, dictis appendicibus poſt unius atque alterius diei obitum delabentibus, non marceſcunt aut pereunt, verum tribus interioribus foliolis, RHABARBARI Rotundifolii FIMBRIATI in modum de die in diem grandeſcentibus, internè parvum aliquod SEMEN triangulare, Naturâ adſtringens, ac guſtu amarum, primò quidem viride, deinde vero fulgentem colorem ſpadiceum acquirens recondunt. Flores. Seminis conſideratio.

Quod Septembri, Februario, vel Martio creſcente Luna ad digiti unius profundam latitudinem TERRÆ tradi neceſſe eſt, ſicque modo hoc, modo illo Tempore per totam ÆSTATEM Lucem aſpicit, eodemque modo ex Semine ſpontè defluo ſe propagat, rariſſimè autem uno in loco plures ſimul Plantæ, verum ubique ſingulatim plerumque ortæ viſuntur: Quæ ſequenti anno, FLORIBUS, & maturo ſemine quoque, productis, moriuntur, quùm illæ ultra id Tempus in vivis exiſtere amplius non poſſunt.

LAPATHVM SANGUINEVM,

Sive

SANGUIS DRACONIS HERBA.

Exigua quidem, & humilis, verum viſu pulcherrima eſt PLANTA: Radice triumphat parva, brevi, tenui, ac rotunda, colore externè palleſcente albo, ut & internè, nec non flavedine quadam permiſto donata, guſtu adſtringente, amara, Radix notatur.

Folia quænam.

atque ſucco repleta; è quâ FOLIA ſe explicant numero pauca, interdum parum elevata, ſæpiùs tamen humo incumbentia, præſertim in annis vegetâ, ac non adultâ Plantâ, rotundum quaſi circulum efformantia, manus vix longitudinem, at duorum digitorum transverſorum, & ultra, latitudinem comprehendentia, in obtuſum interdum mucronem deſinentia, marginibus rubidis venuſtè ac tenuiter criſpis, & quaſi plicatis prædita, ſubſtantia tenuia, à parte ſuperiori, quâ SOLIS radios excipiunt, obſcuro, lucido tamen, virore, ab inferiori verò pallidiore circumdata, ac venâ in medio majori unicâ, colore planè rubicundâ ſpeciosè exornata, è quâ minores ejuſdem coloris plurimæ, modicè latæ, ac circa margines rotundâ quaſi ſerie coëuntes, proſiliunt, quæ tamen omnes ab inferiori Foliorum parte non adeo ſaturo-rubræ, verum gratiſſimo rubore quodam lucidiore donatæ conſpiciuntur; quapropter SANGUIS DRACONIS hæc HERBA, vulgò *Draaken-bloed*, ſive *Draaken-bloeds-kruyd* à multis appellatur; hâc tamen veri Draconis Sanguinis vices in Officinis non obeunte; cùm Plantæ cujusdam planè alterius vel arboris potius ſuccus ſanguinolentius exiſtit, AËRE & SOLE induratus; guſtu parum acida, atque aſtringentia, nec non Linguam parumper pungentia, atque brevibus petiolis, ſuperiori parte exigui canalis modo planis, inferiori verò rotundis, atro-rubentibus quoque, cruoris inſtar, ejuſdemque naturæ ſuccum internè habentibus inhærentia.

Quare ſanguis Dracon. dicta. Verus ſanguis Draconis quid.

Caulis.

E quorum medio unicus ſæpenumero CAULIS (rarò plures) per totam ÆSTATEM, quoniam non ſolum VERNO, verum etiam ÆSTIVO TEMPORE foras prodire videtur, naſcitur; Naturâ in varios cauliculos ab utraque parte provenientes. & quò altiores, eò minores diviſus, unius, vel ſeſquipedis altitudinem, pro loci ubertate, cui innaſcitur, obtinens, ferè rotundus, lineis variis protuberantibus ſive coſtulis ab imo ad ſupremum excurrentibus cirumdatus, colore externo atropurpureus, interno verò non Foliorum petiolorum modo cruoris inſtar, verum ex pallido viridis; cui FOLIA viſuntur annexa, modò ex hâc, modò ex alterâ parte provenientia, prioribus multo minora, anguſtiora, atque in acutiorem mucronem deſinentia, inter quæ ſæpiùs alia adhuc perexigua foliola

Acetosa Hispanica Maxima.

foliola SOLIS se splendori offerre, ac tandem inter illa variæ atque perexiguæ gemmulæ articulatim, non verò adeò Cæterarum LAPATHI specierum modo copiosæ, sed brevibus petiolis rotunditate insignes ac pendulæ visuntur:

Quæ apertæ, perexiguos virides ac tribus foliolis constantes FLOSCULOS, interne sex longiformibus & subluteis appendicibus (ut in aliis quoque Floribus apparet) pulchrè representant. Flores.

Quæ exigua FLOSCULORUM foliola post paucos dies non pereunt, aut marcescunt, verum salua permanent, se longius extendunt, & duas, tresve rotundas exiguas gemmulas oculorum instar, colore rubras speciosè acquirunt; sub quibus SEMEN aliquod pulchrum, parvum, triangulare, ac nitidum, primò quidem parum viride, postea verò spadiceum colorem reconditum servant. Seminis color.

Quod collectum, Septembri, Octobri, vel Novembri mensibus LUNA crescente digiti unius transversi profunditatem Terræ nanciscens restituitur, ante VERNUM verò, vel ÆSTIVUM Tempus, diu in Terræ gremio latitans, rarò Telluris cubile egreditur: Quamvis intereà FEBRUARIO vel MARTIO eâdem Lunâ satum, Verno quoque Tempore proveniat, quod etiam à Semine sponte defluo perfici annuatim, productisque Flosculis, ac novo Semine, eâdem ÆSTATE rursum perire, aut etiam perseverare videmus, quùm æquè Naturâ annua interdum, quàm biennis reperitur.

LAPATHUM PLANUM PALUDOSUM.

Oris in FRISIÆ nostris admodum infrequens, ac visu rara cernitur hæc PLANTA, in aquosis, vel locis palustrem naturam habentibus, aut circa stagnantium margines in siccis sponte quoque exoriens.

E RADICE modicè longa, & quasdam in partes recta transversas, fibrosis quibusdam radiculis exornatas, divisa, digitum crassa, colore externè fusco, interne albo recenter evulsa, at mox in luteum vergente donata, ore quoque commansa saporis experte, nec non admodum adstringente, FOLIA profert non multa, Acetosæ Vulgaris effigie non dissimilia, Radix qualis. Foliorum considératio.

milia, plana & explicata, manus longitudinem vix æquantia, duos digitos ferè lata, juxta caulem latiora, in mucronem desinentia, colore viridi non ingrato obducta, statura duriuscula, cauliculis longis nitentia, marginibus planis, interdum vero pauliſper quasi plicatis prædita, in medio dorsulo sive majori quadam vena, à superiore SOLI exposita parte rubro interdum colore, vel rubidis quibusdam maculis, aut punctulis contaminata, è qua plures aliæ in latera excurrentes, atque circa ea semicirculariter concurrentes prosiliunt, donata; ore masticata parum amara, nec non valde astringentia; inter quæ & alia quædam minora, longioribus cauliculis nitentia, Natura plana, in mucronum quoque obtusum finientia, nec non substantia atque effigie VULGARIS ACETOSÆ foliis persimilia procreata cernuntur.

Caulis dispolitio.

E quorum medio unus menſe MAJO, vel pro Plantæ magnitudine duo CAULICULI, admodum recti, ad duum pedum altitudinem plus minus ascendentes, Naturâ tenues, duriusculi, rotundi, tenellulis quibusdam striis præditi, colore plerumque rubei, interdum vero pro loci naturâ ex parte virides, nec non internè è pallido colore albescentes assurgunt. Quibus alia annexa FOLIA, modò ex hâc, modò ex illâ caulis parte procreata, atque rarò â se invicem distantia, ac primò è radice productis latiora, complanatiora, breviora, atque in obtusiorem mucronem desinentia, nec non effigie VULGARIS ACETOSÆ foliis similia videntur adhærentia, inter quæ à superiori parte ramuli tenues, cæteris LAPATHI speciebus ferè omnibus numero frequentiores, permultis foliolis minoribus, atque in acutum planè desinentibus, nec non suo in virore ad Seminis perfectionem, illiusque plenam maturitatem perseverantibus onusti, in LUCEM producuntur.

Inter quæ gemmulæ quædam minores non paucæ, virides, octo, decem, vel duodecim conjunctæ, atque articulatim quasi à se invicem dispòsitæ, cauliculosque in medio comprehendentes exoriuntur, quæ sub JULII menſis finem sese aper-

Flores.

tioni accingentes, FLOSCULOS virides, trifoliatos deorsum vergentes, atque sex in medio albidis appendiculis subito in TERRAM decidentibus repletos omnibus demonstrant.

Qui

Qui per paucos dies aperti, non decidunt, neque marcescunt, verum permanent, majores fiunt, ac tribus externè gemmulis ex albido rubentibus, oculos protuberantes non inique efformantibus onusti conspiciuntur, tandemque SEMEN sub se pusillum triangulare, colereque fuscum maturitatem acquirens AUGUSTO mense recondunt. Quod crescente Lunâ MARTIO mense, vel citius Terræ mandatum, MAJO mense LUCEM aspicit, atque sequenti anno florescit, nec ultra triennium nisi rarò in vivis existit. Semen.

LAPATHUM VULGARE MINUS.

In siccis potius, quàm locis paludosis produci Naturâ cernitur hæc PLANTA, è radice ferè luteâ, digitos sex transversos circumcirca longâ, superiori parte digitum vix crassâ, inferiori verò in acutum desinente, nec non radiculis quibusdam tenuibus fibrosis prædita, FOLIA proferens nonnulla visu pergrata, Naturâ parua, digiti longitudinem modò magis modò minus possidentia, ac pollicem plus minus lata, in obtusum mucronem finientia, superiori parte grato virore obducta, ab inferiori verò pallidiora, quædam præ pediculorum tenuitate solo incumbentia, quædam verò supra illud parum sese attollentia, plana atque explicata, nonnunquam tamen pauliſper quasi crispata, dorsulo sive venulâ in medio majori unicâ, è quâ minores aliæ, circa latera in semicirculum convenientes prosiliunt, donata; nec non gustui ingrata, atque nonnihil interdum amaritie quâdam acescentia. Radix quæ. Foliorum ordo.

E quorum medio CAULICULUS producitur tenuis, sesquidem aut duos longus, rotundus, colore parum rubescens, parumper striatus, varios in ramulos transversos graciles divisus, quibus nonnulla exigua foliola, inferioribus acutiora, ab utraque parte provenientia, raroque dispositа adhærescunt, è quorum fundamento variæ conjunctæ gemmulæ, articulatim à se invicem dispositæ, brevibusque petiolis nitentes proveniunt, quæ sese successivè aperientes, pusillos FLOSCULOS deorsum nutantes, colore virides, ac tribus exiguis foliolis constantes visui offerunt. Caulis altitudo. Florum color.

Qui per aliquot dies aperti, reliquorum instar non decidunt, vel

vel macretudine consumuntur, verum permanent, ac grandescunt, tandemque SEMEN quoddam pusillum, triangulare, pallidum primò, deinde ad maturitatem perventum fusco colore obductum retinent. Quod aut sponte decisum, vel BRUMALI, aut VERNO Tempore crescente Lunâ Terræ commissum, copiosè in LUCEM Naturæ instinctu ducitur.

LAPATHUM MINUS DENTATUM.

Radix.

PLANTA hæc tenera est, atque pusilla, in siccis Naturâ petrosis, rarò verò humidis, vel paludosis in locis proveniens, è RADICE tenui, tuberosa, fibris quibusdam circumdata, ac manus latitudinem longa, tàmque internè, quàm externè

Foliorum ordo.

colore pallido lutescente obductâ, FOLIA alit numero pauca, inferiori parte juxta se posita, & quasi ex uno loco emergentia, pusilla, digiti longitudinem vix continentia, à parte posteriori, quâ brevibus admodum petiolis annectuntur, pollicem circumcirca lata, indeque angustius se contrahentia, & tandem in acutum mucronem definentia, colore superiori parte, quâ Solem spectant, gratè virescentia, nonnulla tamen obscuriora, ab inferiori verò pallidiora, solo plerumque incumbentia, interdum tamen quædam supra id elevata, undique ferme plana, marginibus ex parte rubidis, parumper incisis aut grate dentatis, nec non ùnica in medio majori venâ, è quâ plurimæ aliæ perexiguæ in latera excurrentes producuntur, prædita; atque ore commansa gustum valdè tenuitur ferientia.

Caulis altitudo.

E quorum medio unicus sæpè prostans CAULICULUS conspicitur, Natura valde gracilis, sesquipedem aut plus, minusque longus, rotundus ferè, parum striatus, colore spadiceo circumdatus, interne excavatus, supraque solum non admodum alte in quinque, sex, vel septem ramulos transversos ab utraque parte provenientes dissipatus; quibus FOLIOLA quædam exigua, vix tamen aut nihil crenata, verum inferioribus planiora visuntur annexa, modò ex hâc, modo ex illâ parte nascentia, proculque à se invicem distantia; juxta quorum fundamenta, articulatim rotundam quasi seriem efformantes, ac

ac tenuibus admodum petiolis innitentes, FLORES deorsum pendentes, Natura perpusilli, colore pallido-virides, appendicibus quibusdam internè luteis exiguis prædíti, tribusque foliolis constantes insurgunt: Qui tres, quatuor, etiam pro Aëris vel calore, vel frigore quinque dies aperti, in se cæterarum LAPATHI specierum more non marcescentes, neque in Terram cadentes, verum permanentes, ac mirabili Naturæ instinctu grandescentes, ac plene matureſcentes, SEMEN pusillum, triangulare, ac nitidum, coloreque omninò spadiceum continent. Florum magnitudo. Seminis color.

Quod singulis annis spontè in TERRAM decidens, vel crescente Luna Septembri, Martio, aut Aprili mense loco cuidam, Terræ pondere haud presso, sed recens culto non profundè mandatum, tàm VERNO, quàm ÆSTIVO Tempore in LUCEM denuò productum cernitur.

BULAPATHUM PLINII,

Sive

LAPATHUM FIBROSUM.

Humilis hæc Natura, & exigua est PLANTA: E radice tenui, brevi, colore purpurascente pallido obductâ, nec non plane fibrosâ, & nullo modo (ut cæteræ LAPATHI species universæ) tuberosâ, oreve masticatâ amariusculâ, atque sapore potius ingratâ, FOLIA ostendit haud pauca, rotundâ quasi serie quâdam è Tellure se protrudentia, tam deorsum, quam sursum vergentia, brevibus petiolis inhærentia, effigie ac magnitudine SANGUINEI LAPATHI foliis, quæ parvam bubulam linguam repræsentare videntur, non dissimilia, juxta petiolos latiora, & tandem angustiora, in mucronem desinentia, unicâ circa medium majori venâ pallido-viridi, rubris quibusdam punctis interdum aspersa, è quâ aliæ minores non paucæ, juxta latera semicirculariter coëuntes, nascuntur, donata; parvæ manus longitudinem, duorumque digitorum transversorum latitudinem continentia, colore superne atro-viridia, inferne pallidiora, plerumque plana, interdum tamen in hâc vel illa marginum parte parum inversa vel quasi plicata, ut ex fi-

Radicis examinatio. Folia quæ. Nominis origo.

gura ad vivum delineata clarè apparet, ſubſtantiâ modice craſſa, ore commanſa, parumper acida, aſtringentia, atque amaritudinem quandam propinantia.

Caulis. E quorum meditullio CAULIS ſæpiùs ſurgit unicus, natura tenuis, ſeſquipedem aut circiter longus, rotundus ferè, ſtriis quibuſdam, rubriſque infectus maculis, internè excavatus, colore foliis non obſcurius vireſcens, verum pallidior, & quatuor, quinque, vel ſex foliolis puſillis hinc inde exſurgentibus onuſtus, nec non circa faſtigium in partes duas treſque diviſus, in quibus permultæ gemmulæ virides parvæ, ac rotundæ, brevibus petiolis ſurſum primò reſpicientibus, deinde verò deorſum vergentibus innitentes, non articulatim, verum undique æquali ſemper ordine cauliculos ad ſummum apicem cin-

Florum conſideratio. gentes diſpoſitæ viſuntur, quæ apertæ, FLOSCULOS tribus foliolis conſtantes, quatuor aut quinque dierum ſpatium æquantes, interneque appendicibus quibuſdam pallidis donatos, in TERRAM non decidentes, vel marceſcentes, ſed

Semen. permanentes, ac grandeſcentes, nec non matureſcentes, SEMEN aliquod puſillum, triangulare, ac ſpadiceo vel fuſco colore nitidum Satoribus exhibent.

Quod creſcente Luna MARTIÒ, vel APRILI menſe non profunde Terræ tradi neceſſe eſt, quo facto, menſis unius ſpatio, citiuſque, vel ſeriùs etiam LUCI novæ ſeſe Plantulæ committunt, quæ eadem ÆSTATE, novis Floribus, novoque Semine prolatis, ſæpius, non tamen ſemper emoriuntur.

Nihilominus ſi ÆSTATIS, vel AUTUMNI demum menſibus proveniant, ut ſæpiſſime contingere videmus, ad hyberni rigoris exitum perſeverant, præſertim ſi ollis impoſitæ in ædibus recondatur, FLORES deinde ipſo Verno Tempore, SEMEN autem maturum circa MAJI exitum producunt.

OXYLAPATHUM TUBEROSUM AMERICANUM.

NATURA ſua perpetua, ſaluberrima, & ad varia humani corporis deploranda incommoda efficaciſſima PLANTA, atque AMERICÆ plagæ alumna: Quare in hiſce BELGII

oris

oris admodum infrequens & visu rara, neque nisi rarissimè ad sesquipedis altitudinem ascendens: Anno autem millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto è semine ex HISPANIA misso meo in Groningensi viridario feliciter præter spem enata.

Radicis examinatio.

E radice ultra pollicem nunquam longiore, crassa, ovali forma rotunda, tuberosa, angulosa, nec non fibris quibusdam, numero paucis, hinc inde enatis donata, colore luteo externe obscuro vel fuluo potius, interne verò candido plane prædita, quotannis inchoante MAJO mense, vel APRILIS fine,

Foliorum disposition.

FOLIA prima protrudit cæterorum LAPATHORUM modo refusscentia, ac visu grata, ex angusta origine in latius finientia, sex digitorum transversorum longitudinem, in medio autem duorum triumque latitudinem circumcirca continentia, atque ibidem rotundiuscula & latissima, in mucronem tamen obtusum superius desinentia, inferius verò Terram versus modice longo & angusto quasi pede nitentia, mollia, & leviter flaccescentia, SOLEM versus obscuro vel atro quodam virore grato, parte verò inferiori paulo pallidiore obsita, interdum paucis quibusdam maculis pusillis hinc inde rubidis contaminata, marginibus omninò planis prædita, in medio majori vena, è qua plurimæ minores ad latera exurrentes prosiliunt, donata, ore masticata, palato pergrata, quamvis & acidiuscula, ac parumper astringentia, quæ AUGUSTO mense sensim macritudine consumuntur, flaccescunt, atque SEPTEMBRIS initio, radice permanente, pereunt.

Caulium qualitas.

E quorum medio circa JUNII finem, aut citius vel serius paulò unus, duo, vel tres simul CAULES, pro radicis magnitudine, annositate, aut crassitie, ultra pedem Romanum longi, sive paulò altiores, rotundi, tenues, duobus parvis aliquando sibi ab utraque parte ex opposito respondentibus, aut separatis omnino foliolis, vel unico tantum, aut sæpiùs planè nullo onusti resurgunt. In quorum suprema parte tres, quinque, vel septem nonnunquam gemmulæ parvæ, ovali formâ rotundæ, ac parum angulosæ, à se invicem separatæ, binæ tamen semper ab utraque caulis parte juxta se positæ, suisque seorsim pusillis caliculis insidentes, in cacumine nihilominus in unam, TRIFOLII more, desinentes visuntur; quæ successivè Temporis pro-

Florum consideratio.

gressu apertioni sese accingentes, FLOSCULOS magnitudine mediocres, à præcedentibus LAPATHI speciebus omnibus formâ, magnitudine, foliis, ac colore planè diversos demonstrant, ex albido scilicet rufescentes, explicatos & omninò rotundos, conjunctim interdum aut quasi coacervatim dispositos, è foliolis sex tenerrimis, intrinsecus, seu meditullium versus admodum angustis, extrinsecus verò latioribus, atque in tres particulas ibidem acuminatas CYANI modo incisis constantes, nec non perpusillis quibusdam in meditullio luteis appendiculis onustos: Qui per triduum aperti, in se tandem marcescunt, atque nullo hactenus semine hisce in oris relicto in TERRAM decidunt. Quod ob præstantissimas, ejusdemque mirandas facultates deplorandum, quùm illius solius beneficio multiplicari, atque æternitati consecrari possit.

Vires.

Hujus autem efficacissimæ PLANTÆ folia primo gradu humida & juncta quadam frigiditate sicca sunt, radix verò, quæ foliis longè potentior existit, atque ab AMERICÆ indigenis magis usitata, dulcis est, & palato gratissima, nec non gradu primo humida & frigida: Ejus vero succus in ardentibus ac malignis febribus, ejusdemque generis fervidis morbis perutilis, cunctarum enim partium ardorem non tantum tollit, verum etiam cor, visceraque omnia, ac debilem ventriculum corroborat, nec non appetentiam excitat, vesicam emollit, urinæ asperitatem obtundit, pectoris & faucium vitiis tàm internis quam externis omnibus medetur, omnique veneno, ac venenosorum animalium ictibus, quovis modo sumpta, resistit.

Cultura.

Pingue Solum, arenosum, & minimè compactum, æstivis quoque diebus Aquæ plurimum, ac locum SOLI probè expositum diligit, BELGICI vero Aëris imbriumque frequentium inclementiam Brumali atque Hyberno tempore ægerrimè perfert, quare fictili in vase plantata, HYEME durante sub ædium tegmine ab omni frigore penetrabili, nec non superfluâ humiditati immunis servanda.

ACE-

ACETOSA VULGARIS,
Sive
RUMEX CANPFERINUS.

Pluribus hæc innotuit PLANTA, è tenerâ, longævâ, ac pallido colore fuſco obductâ radice, FOLIA in LUCEM proferens multa, cauliculis teneris, & digitorum quatuor transverſorum longitudinem plus minuſve continentibus nitentia, ſurſum crebro vergentia, pollicem modò magis, modò minus lata, digitum aut circiter longa, juxta caulem in duas particulas, auricularum inſtar, diſſecta, in obtuſum mucronem deſinentia, colore ſuperiori parte atro-virentia, inferiori verò pallidiora, non fulgentia, margine plano veſtita, craſſiuſcula, nec non venâ in medio unica, è qua aliæ nonnullæ cuti interne quaſi inhærentes proſiliunt, donata. Folia.

E quorum medio CAULICULI nonnulli unicum, vel etiam duos nonnunquam pedes longi, rotundi, parumper ſtriati, graciles, viroreque grato herbaceo obducti, nec non interne excavati, ſeſe elevant.

Quibus FOLIA quædam alia brevibus petiolis nitentia, ac latê diſtantia, & modò ex hâc, modo ex illâ parte ſurgentia, nec non inferioribus in acutiorem mucronem deſinentia, viſuntur annexa. Inter quæ, ut & CAULIUM ſummo, nonnulli cauliculi tranſverſi promanant, quibus articulatim ſupra ſe rotunda quadam ſerie quatuor, quinque, ſex, vel octo parvæ gemmulæ rotundiuſculæ, conjunctim diſpoſitæ, atque breviſſimis filamentis nitentes, ac MAJI menſis medio provenientes, adhærere conſpiciuntur: Quæ dum ſucceſſivæ aperiuntur, FLOSCULI puſilli, colore virides, rubedine tamen illis immixtâ, ſex numero perpuſillis atque tenerrimis foliolis conſtantes, nec non duodecim interna appendicula pallido-lutea, atque in extremitatibus rubeſcentia poſſidere, cernuntur. Cauliculorum ſeries. Floſculi.

Quibus deinde per paucos dies apertis, tria illa extrema foliola ſurſum incurvantur, ac tandem marceſcunt: Reliqua interim tria non ſolum vivida permanent, verum etiam gran-

deſcunt, triquetra tandem evadunt, poſteaque puſillum triangulare SEMEN, viride primò, menſe deinde JUNIO ſpadiceum colorem acquirens recondunt.

Semen quale.

Quod SEPTEMBRI, FEBRUARIO, vel MARTIO LUNA creſcente non altê rurſum TERRÆ mandari neceſſe eſt, quo copiosè augeatur.

ACETOSA MINOR LANCEOLATA.

Parva hæc pedaliſque PLANTA, è multiplici, tenerâ, colore externè pallido-fuſco obductâ, internè verò albeſcente, Terram quoque copiosè ſerpente, atque guſtu ſatis amara radice, FOLIA producit numero non pauca, arctis admodum nexibus inter ſe diſpoſita, caulibus brevibus digitum, vel pollicem vix longis inhærentia, ſurſum ſæpiſſimè erecta, articuli longitudinem plus minus, minimi verò digiti, aut circiter latitudinem continentia, marginibus planis donata, in medio latiſſima, in acutum deſinentia, à poſteriori parte juxta caliculum duabus partibus acuminatis, auricularum inſtar, ſurſum plerumque vergentibus, bipennis formam non inique oſtendentibus, prædita; quædam tamen recens emergentia, iis omninò carentia, tactu mollia, craſſiuſcula, ſuccoſa, colore atro-vireſcentia, non fulgentia, guſtu nonnihil acida, nec non unica in medio craſſiori vena, è qua plures aliæ multo minores ſurſum vergentes, ac cuti quaſi innatæ, atque ab inferiori parte magis viſibiles proſiliunt, exornata.

Foliorum conſideratio.

E quorum meditullio cauliculi quidam rotundi, tenerrimi, viridi colore herbaceo obducti, inferius tamen juxta TERRAM rubeſcentes, nec non parum ſtriati, atque intrinſecus non excavati, LUCI exponuntur: Quibus foliola, modo ex hac, modo ex illa parte, nec late à ſe invicem diſtantia, adnaſcuntur; inter quæ alia adhuc multo minora oriuntur, quorum ſupremo plurimæ puſillæ gemmulæ inſident, quibus tandem ſucceſſive apertis, FLOSCULI perpuſilli, deorſum penduli, ſex foliolis conſtantes, nec non interne duodecim è luteo ac rubro coloratis appendiculis repleti viſuntur; quorum tria foliola interna poſt paucos dies grandeſcunt, atque SEMEN quoddam puſillum, pallido colore fuſco fulgente ob-

Cauliculi.

Florum ordo.

Seminis color.

obductum JULIO menſe ſuggeruut. Quod BRUMALI deinde, VERNOQUE Tempore Luna creſcente TERRÆ mandatum, vel ſponte defluum, abunde provenit.

ACETOSA LANCELOTA MINIMA.

Naturâ ſuâ tenera PLANTA atque puſilla eſt, palmæ etiamnum altitudinem, aut paulo plus rarò excedens. RADICEM exhibet tenerrimam, fibris ſuis Terram inconſtanter perforantem, ſpadiceo colore obductam, ac annoſam, ore commanſam fermè deprehendes inſipidam. E qua FOLIOLA in Hortorum areolas prorumpunt plurima, longiuſculis cauliculis nitentia, atro-viridi colore donata, craſſiuſcula, articulum plus minuſve longa, majoris ſtramenti latitudinem vix ſuperantia, circa medium latiſſima, in acutum mucronem deſinentia, duabus juxta caulem acuminatis partibus, velut auriculis, arctè interdum ex oppoſito conjunctis, interdum verò latè ſejunctis, nec non parumper incurvatis, prædita; quædam verò ex minimis iis planè carentia, uulliſque omninò internè fibris, verum ſolo dorſulo quodam circa medium inſtructa. Radix quæ. Foliolorum diſpoſitio.

E quorum medio teneri multi, rotundi, herbaceoque colore viridi obducti cauliculi, ſeſe expandunt, quibus alia FOLIOLA minora, modò ex hâc, modò ex alterâ cauliculorum parte provenientia, nec procul à ſe invicem diſtantia, adhærent. Cauliculi.

Ex quorum ſummitatibus ſub MAJI exitum permultæ puſillæ, in ſpicæ modum erectæ, rubeſcenteſque gemmulæ viſum recreant, quæ JUNII tandem initio apertæ, parvulos admodum virides, ſex foliolis conſtantes, & duodecim internis longiformibus, rubriſque appendiculis ſubitò in Terram decidentibus repletos, FLOSCULOS viſui offerunt: Qui tamen nec decidunt, nec marceſcunt; tria autem illorum Foliola Temporis ſucceſſu grandeſcunt, parvumque aliquod, craſſiuſculum, ex parte rotundum, triangulare tamen Seminis receptaculum, puſillo, ac pallido colore ſpadiceo fulgente, nec non triangulari Semine, JULII initio, aut paulo poſt, juſtam maturitatem acquirente repletum, condunt. Flores. Semen.

Quod aut ſponte defluum, vel tempeſtive, collectum, Terræve

ræve mandatnm, in LUCEM de novo copioſiſſime educitur.

ACETOSA ROMANA ROTUNDIFOLIA.

Viſu hæc non ingrata PLANTA, radicem fovet naturâ longevam, rotundam, tenuem, colore externo fuſco, interno verò albido præditam, ore maſticatam, pauco ſapore, eoque adſtringente imbutam, Teræque ima latè transmeantem.

Folia qualia. Equâ FOLIORUM ſcaturit multitudo, cauliculis palmæ longitudinem obtinentibus, coloreque pallido-viridibus, & ſicuti transludicis, ac fermè rotundis inhærentia; duos articulos circumcirca lata, ac longa; nonnulla anteriori parte rotunda, quædam verò in obtuſum mucronem deſinentia, juxta cauliculos in duas partes auriculatas ſeſe latè extendentes, parumque ſeſe inclinantes, ac in ſuperioribus æquè foliis, quàm inferioribus magis mucronatas, diviſa; naturâ craſſiuſcula, ac tactu valdè mollia, ad margines plana, tàm ſuperiùs quàm inferiùs ex vireſcente colore pallido quaſi ſubcœrulea, guſtu admodum acida, nec non venulis circa medium quinque majoribus, è quibus nonnullæ aliæ minores cuti tanquam innatæ, viſibiles tamen, & in latera excurrentes proveniunt, condecorata.

Cauliculorum ordo. Quorum medio cauliculi emanant non pauci, unius, vel ſesquipedis aliquando longitudinem obtinentes, ex parte craſſiuſculi, rotundi, fermè translucidi, colore externè è viridi palleſcente donati, internè verò ſuccoſi, nec non Naturâ ſolidi, minimeque excavati: Quibus FOLIA latè à ſe invicem diſtantia, modò ex hâc, modò ex illâ parte adhærent; inter quæ alia quoque minora, LUCI ſeſe explicant.

Florum conſtitutio. E quorum ſummitatibus, parcè tamen è lateribus, plurimæ conjunctim, ac ſpicæ, digiti unius plus minus longitudinem continentis, in modum diſpoſitæ, virides, nec non anguloſæ gemmulæ conſpiciuntur; quæ ſucceſſivè JUNII initio apertæ, FLOSCULOS breviſſimis cauliculis fultos, tribuſque tantum minimis, anguſtiſque foliolis viridibus conſtantes, interne tamen duodecim tùm anteriori parte, tùm per totum quoque rubris, atque intrinſecus magis è pallido colore luteſcen-

teſcentibus appendicibus longiformibus refertos oſtendunt.

Quibus deinde appendicibus ſucceſſive in TERRAM defluis, alia foliola numero tria, cæteris paulò latiora, ac hirſutie quadam ſpecioſe velata conſpiciuntur; quæ ut prædicta tria, non marceſcunt, vel pereunt, verum perſeverant, ſuâque in hirſutie diminuuntur, dum grandiora fiunt, SEMEN autem quoddam, triangulare, ac in BELGII noſtri oris frigidioribus rarò, calidiori tamen, humidiorique VERIS clementia ad juſtam maturitatem nonnunquam perveniens, ſubminiſtrant. Quo Planta hæc atque unà cum radiculis ſuis annexis, BRUMALI, vel VERNO Tempore LUNA creſcente transplantatis, adaugetur. Semen.

ACETOSA HISPANICA MAXIMA.

Uſitatiſſima hæc & maxime neceſſaria eſt PLANTA, in Belgii noſtri plagis emicat duorum pedum altitudinem frequenter ſuperans. E modice longa, ac craſſa, Natura longæva, parumper fibroſa, ſupra extimam TERRÆ ſuperficiem colore rubicundo ſæpius obſita, paulo verò profundius è luteo fuſco, interne autem albeſcente donata, ore commanſa, guſtu amara, adſtringente, ſatiſque ſuccoſa radice, FOLIA alit arcte conjuncta, manus longitudinem aut paulo plus in ſe comprehendentia, tres, quatuor, aut quinque digitos transverſos lata, Natura admodum tenera ac mollia, craſſiuſcula, ſuccoſa, ſurſum plerumque vergentia, margine plano, interdum tamen hinc inde parumper criſpato, juxta caulem anguſtiora, ibique in duas partes auricularum inſtar quaſi diviſa, anteriori parte latiora, ac in obtuſum plane mucronem deſinentia, colore obſcure vireſcente, dilucidiorem at tamen paulatim referentia, non fulgentia guſtu admodum acida, circa medium lato angularique quodam dorſo aut majori vena, ê quà plurimæ aliæ minores latera ſtipantes, atque tàm ab inferiori quàm ſuperiori parte multo viſibiliores proſiliunt; nec non brevibus, craſſis tamen cauliculis, ſuperiori parte planis & quaſi canaliculatis, inferiori verò ſemicirculariter diſpoſitis, ac ſupra Tellurem rubro quodam colore grato, deinde vero pallido-viridi obductis, nec non ſtriatis nitentia. Radicis color. Foliorum magnitudo.

Caulis longitudo.

E quorum meditullio unus, vel plures CAULES ſuſcitantur rotundi, digitum minimum circumcirca craſſi, multis proëminentibus lineis ſtriati, ab inferiori parte grato colore rubro circumdati, in reliquis pallido-vireſcente obducti, nec non internè plani, minimeque excavati: Quibus FOLIA quædam pauca, inferioribus minora, & quo altiora, eò minora, latè quoque à ſe invicem diſtantia, atque modò ex hâc, modo ex alterâ parte ſurgentia, innituntur. Quorum cacumini gemmulæ quædam rotundiuſculæ, in ſuperficie tamen parum acuminatæ, ac ſpicæ in modum diſpoſitæ, coloreque è viridi luteſcente obductæ innaſcuntur, quæ rarò admodum hiſce in Regionibus aperiuntur, ac multo minus SEMEN aliquod probum exhibent.

Floſculi quo colore imbuti.

Nihilominus tamen, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptuageſimo tertio menſe JUNIO ineunte, copioſis cœli imbribus ſeſe aperuerunt, ac FLOSCULI admodum puſilli, tribus perparvis foliolis rotundiuſculis, ſubviridibus, marginibuſque parumper rufeſcentibus conſpecti ſunt; tribus internè puſillis gemmulis è purpureo colore ſpeciosè rubro quaſi hirſutis, ac tenellulis filis, non niſi apertis planè FLOSCULIS viſibilibus, ac pendulis, exornati; quæ gemmulæ exiguæ admodum molis intuitu in figurâ hâc ad vivum delineari non potuerunt: Quibus tamen ſe rurſum diminuentibus, fermeque pereuntibus, earum in locum ſuccedebat triangularis quædam non ita parva, ac pulchre admodum alata gemmula, internè viridis, alis tamen colore pallide rubentibus, in quibus parvum, fulgens, triangulare, nec non exiguum

Semen quale.

SEMEN ſpadiceo colore admodum venuſtè obductum, ac menſe JULIO perfectè maturum deprehendebatur.

Propagatio.

Quo BRUMALI, vel VERNO potius TEMPORE, Luna creſcente ad digiti minimi latitudinem Terræ commiſſo, æquè quàm adnatis ſuis radicibus, SEPTEMBRI, vel MARTIO menſe avulſis, ac calidum quendam in locum deplantatis, in hiſce Regionibus adaugetur.

ACE-

Acetosa Annua Ocimifolia Lusitanica.

Acetosa Annua Africana.

Acetosa Visicaria Mexiocana.

ACETOSA VESICARIA MEXIOCANA.

Naturâ annua eſt, viſuque peramœna PLANTA, in hiſce BELGII oris unius ultra manus longitudinem rarò aſcendens: Radice nititur tenui, brevi, pallidoque colore albeſcente obductâ.

E quâ duo primò ſibi ex oppoſito reſpondentia parva, formâ ovali rotunda, craſſâ admodum, nec non articuli longitudinem obtinentia erumpunt FOLIOLA. E quorum medio FOLIA alia majora ſubrotunda, juxta caulem plana, explicata, ibique latiſſima, ac in mucronem rotunditate quâdam obtuſum deſinentia, nec non marginibus tenuiter admodum crenatis prædita, Naturâ modicè craſſa, ſuccoſa, guſtu gratè aceſcentia, magnitudine inæqualia, maxima tamen duos articulos longa, & lata; tribus internis, vel, pro magnitudinis ratione, quinque majoribus venis ſurſum rectâ lineâ excurrentibus, ê quibus plures aliæ minores venulæ ab inferiore parte magis, quàm ſuperiore viſibiles, cutique quaſi inna ptæroſiliunt, atque modo ex hâc, modò ex illa caulium parte provenientia, ac late à ſe invicem diſtantia, longis quoque petiolis, modice craſſis, rectaque linea ſurſum frequenter tendentibus nitentia, nec non hinc inde maculis quibuſdam parvis rubeſcentibus interdum infecta, gratoque colore vireſcente pallido, in quibuſdam vero nonnunquam paulo obſcuriore circumdata, conſpiciuntur. Foliorum examen.

E quorum corculo à parte inferiori, ut & lateribus CAULICULI nonnulli modice craſſi, rotundi, colore pallido-vireſcentes, ſucculenti, nec non ab inferiori parte interdum rufeſcentes viſum alliciunt; in quorum ſupremo gemmulæ variæ in ſpicæ modum, latè tamen à ſe invicem diſtantes, erectæ, brevibus tenellulis, ſpeciosè rubicundis, deorſumque ſemper vergentibus filis adhærentes, anguloſæ, craſſiuſculæ, & rubeſcentes naſcuntur.

Quibus ab inferiori parte ſucceſſivè apertioni ſeſe accingentibus, FLOSCULI puſilli, viridi colore imbuti, & plurima Florum color.

interne longiuſcula, ſublutea & rubeſcentia retinentes appendicula conſpiciuntur: Qui aliquot dies aperti, non marceſcunt, vel in Terram decidunt, verum perſeverant, Temporiſque progreſſu varia viſenda, magna, longiformia, nec non pallido colore obducta SEMINIS receptacula, veſicas, alis octo late expanſis perbelle exprimentia monſtrant, quæ venulis veſicæ plurimis pulchre admodum rubentibus exornatæ, Lunæque dimidiatæ formâ quaſi diſpoſitæ, contemplantur, quarum anguli arcte adeò comprimuntur, ut non niſi quadrangulares videantur, interneque SEMEN quoddam triangulare, à parte poſteriori craſſiuſculum, ab anteriori verò mucronatum, atque colore fuſco pallido fulgente obductum, JULIOQUE æque ac AUGUSTO menſe maturitatem ſuam acquirens recondunt.

Semen mirandis veſicis incluſum.

Semen quando matureſcit

Quod ſingulis annis menſe APRILI vel MAJO creſcente LUNA Terræ de novo non profunde mandari neceſſe eſt, quo non ſolum augetur, verum etiam in hiſce Regionibus perpetuo ſuperſtes exiſtit.

ACETOSA ANNUA OCIMI-FOLIA LUSITANICA.

PLANTULA hæc admodum parva, Naturæ vitâ ÆSTATIS unius terminos non ſuperat, neque niſi rarò ad manus longitudinem aſcendit.

Foliorum ordo.

E parvâ, tenui, & fuſco colore donata, nec non fibroſa radice FOLIA protrudit non magna, cauliculis articuli longitudinem continentibus nitentia, digitum minimum fermè lata, forma ovali diſpoſita, prope cauliculos anguſta, in medio latiſſima, indeque in obtuſum mucronem deſinentia, Naturâ craſſiuſcula, marginibus planis, colore ſuperiori parte obſcurè vireſcentia, inferiori verò paululum pallidiora, guſtu acida, atque unicâ in medio tenerâ, lineâque rectâ excurrente venulâ, è quâ aliæ quædam puſillæ, ac vix viſibiles exoriuntur.

E quo-

E quorum meditullio unicus, duo, vel tres CAULICULI, vix manum longi, ſtriati, ac fermè rotundi ſucceſſive ſe exerunt: Quibus alia quædam FOLIOLA prædictis minora, anguſtiora, magiſque acuminata, digiti latitudinem à ſe invicem diſtantia, & modo ex hâc, & modo ex illa parte provenientia, ac quo altiora, eò minora viſuntur adhærentia: Quorum ſummo faſtigio, ſpicæ in modum articulatim tamen diſpoſiti FLOSCULI, breviſſime ac arcte admodum ſuis Cauliculis AUGUSTO ac SEPTEMBRI menſibus adnati, colore è luteo vireſcentes, ſexque foliolis minimis conſtantes, nec non intrinſecus longiformibus quibusdam appendiculis, ut in cæteris ſpeciebus, referti, innaſcuntur: Qui dum per paucos dies aperti, tandem convolvuntur, marceſcunt, ac denique SEMINIS quoddam receptaculum proclive, LUNÆ in cornua falcatæ modo diſpoſitum, inferiori parte rotundiori parumper purpuraſcens, pluribuſque ſpinulis quaſi molliuſculis planum, nec non longiformi cuidam, craſſiuſculæ, & anguloſæ parti, ut in CALENDULÆ Semine cernitur, annexum poſt ſe relinquunt.

Floſculi quales.

Semen mirabile.

Quod rarò hiſce in oris frigidioribus, niſi in Lapideo vel Ligneo vaſe plantatum, ac calido quodam in loco SOLI ſatis expoſitum, ad juſtam maturitatem excoquitur. Deinde menſe quoque APRILI vel MAJO creſcente LUNA Terræ arenoſæ ſed probæ, non ultra ſtramenti latitudinem, rurſus mandatum, & cautè admodum adverſus AËRIS intemperiem, frequenteſque pluvias tectum LUCEM denuo aſpicit.

ACETOSA ANNUA AFRICANA.

Præcedenti Natura, atque formâ non adeò diſſimilis exiſtit hæc PLANTULA, neque etiam ultra Æſtatem unicam in vivis permanet, nihilominus tamen hiſce in BELGII noſtri Regionibus paulò altius nonnunquam aſcendens.

E tenerâ ſuâ, parvâ & fuſco colore obductâ radice, FOLIA oculis offert effigie, ac magnitudine prædictis æqualia, Naturâ tamen rotundiora, inque obtuſiorem mucronem deſinentia.

Floſculi.

E quorum medio, ut & Caulium lateribus inter ortum Foliorum ramuli quidam parvuli, ſucceſſivè LUCI ſe pandentes, & in ſummitatibus FLOSCULIS quibusdam præcedentium modo in ſpicæ formam diſpoſitis, ſibique ſimilibus prædiți, aſſurgunt. Qui menſe AUGUSTO ac ſerius interdum apertioni ſeſe accingentes, tandemque marceſcentes,

Seminis conſideratio.

SEMEN quoddam mollibus ſpinulis obſitum, ac prædicto perſimile, nec non ſerenis BRUMÆ diebus in hiſce oris frigidioribus juſtam, humidioribus verò ac frigidioribus rarò aut nunquam, maturitatem acquirens, Hortulanis relinquunt.

Quod prædicto modo menſe MAIO Terræ eâdem Lunâ commiſſum, JUNIO poſtea in LUCEM de novo proditur, eodemque ritu annuatim multiplicatur, ac in vivis perpetuo permanet.

ACETOSA ANNUA ITALICA.

Obſtupeſcendum. Semen in Plantula hac cernitur.

Ut cæteræ, elegans ſanè hæc PLANTULA, atque hiſce in oris viſu rara, omni ex parte ANNUÆ OCIMI LUSITANICÆ prænotatæ vivit perſimilis; Solo tamen Semine excepto, quod mirandâ ſanè effigie bovinum vel vaccinum caput, ſpinulis ſcilicet quibusdam tàm erecte quàm incurvate diſpoſitis, cornua atque auriculas perbelle ſpectatorum turbæ exhibet.

Annua

Annua quoque eſt, ejuſdemque SEMEN quotannis menſe MAJO Lunâ creſcente ollæ arenoſâ Terrâ oppletæ non profundè mandatur, SOLISQUE radiis probè exponitur, excluſâ ſemper humiditate cunctâ, cujus Seminis beneficio PLANTA inſtar reviviſcentis PHOENICIS ſingulis annis è VESTÆ matris penetralibus reſurgit. Propagandi modus.

ALOIDARIUM,

SIVE

ALOËS MUCRONATO FOLIO
AMERICANÆ MAJORIS,

Aliarumque ejuſdem ſpeciei

HISTORIA.

In qua

Floridi illius Temporis, Loci, Naturæ,
Culturæ, nec non Qualitatum Ratio
paucis enarratur.

AUTORE

ABRAHAMO MUNTINGIO,

GRONINGA-FRISIO.

Medicinæ Doctore, atque in Patria Academia
Groningæ & Omlandiæ Botanices Profeſſore.

Anno cIↃ IↃ c LXXX.

Hoc Ecclesiastici Liber cap. 18. v. 3.
scriptum exhibet.

Cuinam contulit ut Dei opera enunciet? Aut quis magna illius facta perveſtigavit?

Majeſtatis ſuæ robur quis enumeret? Et quis miſerationum ejus enarrationem proſiturus eſt?

Non addere neque minuere, vel admiranda Domini opera homines perveſtigare poſſunt.

ALOIDARIUM,

Sive

Aloës Mucronato Folio Americanæ Majoris,

Aliarumque ejusdem ſpeciei

HISTORIA.

STupendum NATURÆ Luſum in multiplici rerum generatione, effigie, colore, atque ſubſtantiâ cunctis luculenter quotidiana ubique demonſtrant exempla; in animalibus enim non tantum plures particulas, nec rarò ſuperfluas gignendo, quarum Celeberrimi AUTORES de Monſtris differentes frequentiſſimè meminêre; Verum etiam in Mineralibus nec non Foſſilibus monſtra ſæpius reperiuntur infinita, quorum in noſtro, aliorumque mirandæ Naturæ Studioſorum muſæis numerosè aſſervata conſpiciuntur.

In Stirpibus tandem etiamnum frequentiores quotidie monſtroſitates ſpectare licebit, de quibus omnibus hic agere noſtra non eſt intentio, ſint ſolummodo exemplo Caryophyllorum, Tuliparum, Aquilegiarum, Urſi Auricularum, aliorumque plurimorum FLORES, in quibus circa colores mirandam planè Ludentis Naturæ potentiam annuatim videmus. Unius enim horum Floris Semina ſata, proles producere tantâ variegationis elegantiâ exornatas, ut ipſa ſuam in iis explicaſſe MAJESTATEM Natura omninò videatur.

Mirus in his Naturæ luſus.

Verum miſſis his, aliarumque Plantarum infinitis monſtroſitatibus, diverſiſque coloribus, nunc ALOËN SPINOSAM, ſive MUCRONATO FOLIO AMERICANAM meo in Viridario Groningæ Friſiorum inuſitato more verèque ſtupendo floreſcentem monſtris annumerare libet, cujus in præ-

ſenti figuram, illiuſque FLORES ad vivum delineatos omnibus Curioſis exhibeo. Nullus enim huc uſque (quod ſciam) præter Eximium Virum TOBIAM ALDINUM, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Principis ac Cardinalis ODOARDI FARNESII Medico-Chimicum hujus veram cum Flore imaginem edidit unquam, quoniam non ubique, nec niſi poſt longum temporis ſpatium, ac rarò admodum floreſcit.

Hanc idcirco caule ſuo multiplici mirandè onuſtam omnium oculis ſubjicere æquum eſſe judicavi, ut illi, quibus hanc colendi, illiuſque vivum FLOREM aſpiciendi poteſtas in perpetuum denegatur, graphicè ſaltem picto fruantur.

Hujus Plantæ miranda ætas.

Hæc itaque triginta & octo annorùm Planta, pedes plus quàm ſeptendecim ſuo in circuitu comprehendens (quam Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto juvencam ex Illuſtriſſimi & Generoſiſſimi Principis WILHELMI FRIDERICI Holſatiæ, Ditmarciæ, &c. DVCIS Horto Gottorpiano ſingulari illius p. m. Heroïs erga me clementia & favore mecum GRONINGAM in Horto collocandam duxi) hoc Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo

Quo anno floruit.

quarto, in quo floruit, Radice donata vigebat arboris inſtar craſſâ, cortice ligno duriore, coloreque è fuſco nigricante obductâ, & in ligneam ſubſtantiam intus candidam converſâ, nec

Radicis conſideratio.

non pedes circiter quinque ligneos, aut ulnas binas Hollandicas ſuâ circuitione continente, atque innumerabilibus aliis tenerrimis ex eâ undique provenientibus, Naturâ fibroſis, rotundis, primò colore albidis, in principio ore commanſis palato non ingratis, atque guſtum Piſa æmulantem præbentibus, deinde linguam & fauces aſperitate quâdam vellicantibus, poſtea verò anguloſis & rubrà pelliculâ pergratâ tectis, nec non albam in-

Foliorum ordo.

tus medullam valde tenacem poſſidentibus dictâ. E quâ FOLIA in LUCEM emiſſa cernebantur rara, ac viſu peramœna, quinquaginta octo & plura numero, ſex pedes plus minus longa, in imâ parte integrum pedem craſſa, atque inde ad ſupremum ſeſe magis magiſque diminuentia, & parumper in ſummitate flexibilia, Naturâ tamen ſemper nonnihil arcuatim recta ſurſum vergentia, in imo pedem & ultra lata, ibique latiſſima, atque ſuâ craſſitie triangularem quaſi rotunditatem com-

comprehendentia, deinde multò anguſtiora, tum demum in medio latiora, tandemque in acutum mucronem deſinentia, canaliculatim diſpoſita, mutuo ſeſe amplectentia, ſucculenta, guſtu parum amara, acida, atque acria, marginibus tenuibus planis, quibuſdam tamen proëminentiis undulatim diſpoſitis exornatis, quibus variæ innaſcentes parvæ, tenaces, acutiſſimæ, latâ baſi donatæ, tàm rectà tendentes, quàm in hanc vel illam partem ſeſe incurvantes, coloreque ex obſcuro rubeſcentes ſpinulæ conſpiciebantur, prædita; omnia tamen in mucronibus ſpinâ quâdam maximâ, ultra articulum longâ, firmiſſimâ, tenaciſſimâ, acutiſſimâ, horridâ, atque colore ex obſcuro ſpadiceo fulgente obſitâ donata; externe colore è viridi cœruleo quaſi lurida, vel pelliculâ quâdam (quâ ſublatâ gratiſſima Foliorum viriditas herbacea cernitur) TULIPARUM inſtar è viridi cineraceâ parchamenaceâ tenui, præcedentium etiamnum impreſſa Foliorum veſtigia, ſpectabili mirâque ſerie diſpoſita, diu retinente tecta, internè verò omninò alba, atque innumerabili alborum ibidem, rotundorum, tenuium, tenaciſſimorumque filamentorum varias in tenuiſſimas partes crinium inſtar facilè diviſibilium, nec non prædictæ ſpinæ mucronatæ maximæ inhærentium multitudine prædita.

E quorum medio Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto die menſis AUGUSTI primo (poſtquam per annum integrum, & quod excurrit, naturalem ulterioris foliorum procreationis curſum ſiſtiſſet, atque in ipſo locum meditullio planè vacuum cavernæ inſtar reliquiſſet, ita ut intrinſecus frequenti pluviarum deciſione cor omninò corruptum, vel, licet probè curatum, inviſibili tamen putredine conſumptum firmiter ſtatuiſſem) CAULES ſimul tres cum admiratione prorumpere conſpexi, quo viſo Friſiacis hiſce in oris frigidioribus NATURÆ miraculo, attonitus ſteti, & præ nimio gaudio, ut qui theſaurum plane inæſtimabilem reperiſſem, exultavi, atque ad tantæ novitatis ſpectaculum lynceis oculis curioſè perſpiciendum plurimos rerum naturalium demiratores ſtudioſe allexi. Caules quo tempore provenere.

Horum autem bini menſium duorum ſpatio ad octo pedum, fabri omnes Lignarii metiuntur, proceritatem, neque ulteriùs aſcendentes cernebantur, tertius tamen pedes ultra quinque Illorum proceritas.

Quo die posteriores tres in medium producti.

vix procedebat. Postea verò die mensis SEPTEMBRIS tertio, novi adhuc stolones alii tres vehementi quasi impetu è FOLIORUM medium attingentium sedibus in omnium spectatorum ingentem admirationem prorumpere cœperunt, qui gradu lentissimo, ob Hyemis inclementiam, procedentes, ad prædictorum nihilominus octo pedum Romanorum altitudinem sequenti anno sub Februarii, Martiique mensium finem pervenêre: Ita ut PLANTA hæc elegantissima uno eodemque tempore sex simul Caulibus ad Stuporem usque visendis onusta conspiceretur; quemadmodum ex appositâ hâc figurâ ad vivum delineatâ satis dilucide patet; quùm alioqui CAULEM usitato NATURÆ cursu unicum, crassum admodum, atque ad tres, quinque, sex, aut viginti octo, vel etiam triginta pedum proceritatem, arboris instar non minoris nonnunquam ascendentem acquirat, ut *FRANCISCUS GOMARA, CAROLUS CLUSIUS, suisque annotationibus & additionibus ad Antonii Recchii rerum Medicarum Novæ Hispaniæ volumen, Nobilissimus FABIUS COLUMNA, item libro rariorum & minus cognitarum Stirpium capite undecimo, nec non TOBIAS ALDINUS, aliique testantur, ut etiam ex icone libro de Herbarum Culturâ tertio ante aliquot annos Belgico idiomate à me conscripto satis superque liquet.

* Fr. Gom. sub histor. Mexioc. finem. Car. Clus. hist. Plant. cap. 48. Fab. Col. lib. minus cogn. & rarior. stirp. c. XI. Ant. Rech. l. 8. f. 883. Tob. Aldin. Rarior. quarun. Plant. descript. cap. 14.

Crassitudo.

CAULIUM autem quilibet rotunditatem brachii modo planam obtinens, duorum in imâ parte brachiorum fermè crassitiem, atque latitudinem, in supremâ verò unius tantum superabat.

Fuere autem ad unum omnes striis angulosis externè permultis, coloreque grato viridi obscuro, in principio parum fulgente ac pallido, internè verò candidissimo donati, nec non variis parvis, brevibus, latis, in plicas quasi contractis, modicè tenuibus, formâ ferè triangulari dispositis, fulgentibus primò atque viridibus, postea verò siccis ac aridis planè evadentibus fuliginoso colore nec non obsoleto imbutis foliolis, manus longitudinem, aut minus paulò à se invicem distantibus, ac latâ basi caulem ex parte amplectente præditis undique obsita.

Ramorum dispositio.

Inter quæ ab imo sæpiùs in his, in illis verò à medio ad supremum diversi RAMI transversi, brachiatim dispositi, ovali formâ

formâ ſive è plano quaſi angulosè rotundi, parumper interdum ſtriati, internè ſpongioſi ac albidi, quorum quidam ſesquipedem, vel ultra pedem, unicum, nonnulii verò pedem circumcirca, ſemipedem, aut plus minuſve longi, nec non umbellatim conſtituti inſurgunt; partibus in quorum proëminentibus quinquaginta, octoginta, centum, centum & quinquaginta, pluresque FLORUM gemmæ conjunctim diſpoſitæ, Malorum PUNICORUM, ſive BALAUSTIORUM effigie æmulæ, rectâ ſurſum vergentes, brevi, rotundo tamen ac modicè craſſo pediculo inſidentes, pedemque, vaſculum, vel ſeminis potius receptaculum, craſſum, rotunditate ferè triangulare, ipſumque FLOREM longitudine ſuperantem poſſidentes, annumerantur; quarum prima Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto die JANUARII vigeſimo octavo ſeſe ex paucis aliis, reliquis abſolutiſſimam perfectionem minimè attingentibus, verum clauſis adhuc in Terram decidentibus, aperuit, verumque FLOREM exhibuit.

Florum numerus.

Quo die Flos primus ſeſe aperuit.

Fuere autem FLORES colore pallido-virides, inodori, articulum plusminus longi, ſex quoque foliolis anguſtis, craſſiuſculis, in hiſce FRISIÆ plagis inclementioribus ſeſe non planè aperientibus, verum dehiſcentibus tantùm conſtantes, quorum tria externa paulò reliquis latiora, viridiora, planiora, articulum longa, nec non in acutiorem mucronem deſinentia, interna verò parumper obtuſiora, tenuiora, ad albedinem magis vergentia, atque in medio extrinſecus viridi quodam protuberante dorſulo exornata cernebantur: In quorum medio erectum, capitatum, modicè craſſum, rotundum ac luteſcens, nec non ſuperiori patre Granatorum Citini in modo ſex particulas, folia veluti exigua, dehiſcens ſtamen emergebat, cui ſex alia tenuia, dura, ſolida, ac grato colore primò albeſcentia, deinde luteſcentia ſtaminula ſuis cum anguſtis, ſatis magnis nihilominus, ſpeciosè luteis, ac dorſulis quibuſdam à parte ſuperiori ſtriatis prædítis, ab inferiori verò planis, digitique latitudinem longis, atque ex FLORIBUS ipſis proëminentibus, nec non varios in gyros ſeſe contorquentibus ſex appendicibus circumſtantia conſpiciebantur.

Florum color.

Qui poſt longum Temporis ſpatium marceſcentes, atque in ipſis

Illorum diuturnitas.

ipsis caulibus exarescentes, nulloque relicto Semine in Terram decidisse deprehendebantur.

Ipsa deinde non extincta fuit, sed vivida permansit PLANTA, atque anno sequente thyrsos de novo miraculosè in LUCEM protulit numero septem, sex prioribus paulò breviores, & multo tenuiores.

Anno tandem sequente tertio Caules denuò quinque FLORIBUS onustos, quinque pedum altitudinem vix excedentes, omniumque præcedentium exiliores non sine stupore produxit: Ita ut triennii spatio octodecim scapos innumerabilibus FLORIBUS undique condecorato LUCI edidisse visa sit.

Quot cavles trium sequentiũ annorum spatio protulit.

Quibus omnibus tandem deperditis, nullâ putredine, vel vitio quodam consumpta fuit, verum in meditullio hactenus sine corde, atque permultis stolonibus juxta TERRAM pullulantibus exornata, in hodiernum usque diem gratè viresćens conspicitur, jamque annum habens quadragesimum secundum etiamnum allubescit.

Ejus grandævitas.

NOMEN.

Vera hæc Americani orbis indigena ab AUTORIBUS probatissimis vulgò *Aloë Mucronato Folio Americana*, sive *Spinosa* nuncupatur. Ab INDIS *Metl*, *Manguei*, vel *Allaguey*. Ab HISPANIS verò *Cardon*, ob aculeorum pungentium multitudinem, & *Hylo y Aguia*, quod filum denotat & acum, quod extremæ ac maximæ foliorum spinæ acus, filamentosæ verò interiores fibræ filorum vicem præbeant. A FRANCISCO verò HERNANDEZ, Novi quondam Orbis Medico, *Quametl*, sive *Maguei Montanum*; qui rudem valdè atque imperfectam hujus plane iconem exhibuisse, nec non inter alias species ejus diversas hisce paucis tetigisse atque descripsisse videtur. *Tertia* (scilicet species) *squalenti colore, fibrata radice, & longo, crassoque insigni surculo*, Hæc ille.

Fr. Hern. lib. rer. Med. novæ Hisp. 8. cap. 16.

CUL-

CULTURA.

Quale solum desiderat.

Leve Solum & probum diligit ALOES hæc speciosa species, non verò pingue, compactum vel pressum, aut ingrato odore, alioque incommodo vitiatum, sed corrupti mollibus internis SALICUM, TILIARUM, QUERCUUM, ABIETUM, aliarumque arborum Cæsarum, emortuarumque medullosis partibus, nec non modica annui fimi equini quantitate permixtum, VERNO ac ÆSTIVO Tempore locum minimè humidum aut frequentibus pluviis obnoxium, neque umbrosum, verum siccum potiùs, apricum, SOLI optimè expositum, atque ab Aquilonaribus injuriis omnibus ingratis immunem.

Per Hyemem quomodo servatur.

Brumalibus verò Hyberniſque diebus, in Superioris æquè quàm Inferioris GERMANIÆ plagis omnibus, & foris & domi summâ siccitate, ingentique hypocausti calore semel, aut bis, vel pro Hyemis severitate ter in die, omni frigoris acrimoniâ sedulò excluſâ, est excipiendia, nec non sub SEPTEMBRIS finem gelidæ humiditatis planè expers (quoniam facili negotio, acerbisque deciduæ nivis erosionibus, ingratâ pruina, vel exiguo gelu sensim sine sensu exinguuntur) sub ædium tegmine collocanda, neque in hisce BELGII regionibus ante vicesimam Aprilis, interdum diebus puro aëre serenis per feneſtras omnimodè patentes ipsi exhibito, radiis Solaribus, tepidisque pluviis rursum exponenda est.

Quando domum deducenda.

QuoTempore rursum exponenda.

Stolones plerumque frequentes, admodum longi, pollicem & ultra crassi, rotundi, atque internodiis quibusdam articulatim disposítis cincti inter teneras radices ex validâ ipsius Plantæ basi quotannis tanto nonnunquam impetu eoque naturali in medium prosiliunt, ut supra TERRAM nonnulli planè incurvati, quidam verò anguſtas vasorum ligneorum rimas tam inferiori, quàm superiori loco parumper dehiscentes mirandâ tenuitate perforantes cum stupore enasci, & ab ipso natali momento radicibus quibusdam fibrosis, modice crassis, coloreque candido obsitis singulari NATURÆ beneficio præditi visuntur: Quare annuatim APRILI vel MAJO mensibus crescente Luna de matre avulsi (quo validior evadit, ma-

Mira surculorum protrusio.

gisque

Plantandi Tempus. que creſcit adulta) in ligneo vel fictili vaſe transplantantur, in remotiora loca amicis transmittuntur, eorumque ope & opera hiſce in regionibus copiosè adaugentur.

VIRES.

Elegantiſſimæ hujus PLANTÆ liquor frigidus primo gradu eſt & humidus, atque è foliis tenerrimis, interniſque germinibus evulſis, vel craſſiori excavata radice, trunco primò vegeto nec tamen adulto deciſo, quantitate copioſiſſima ſæpius collectus, Serapiique modò ſubito denſatus, alvum leniter purgat, urinam educit, veſicam, ac renes purificat, calculos frangit, menſes movet, nec non ambuſtis, teſte NARDO ANTONIO, conducit.

Nard. Ant. Recc. lib. rer. Med. Nov. Hiſpan. 8. fol. 270.

Integra PLANTA, vel craſſiora foliorum fruſta, aut folia tota vivis carbonibus, vel ſub calido cinere ſufficienter aſſata, palato pergrata ſunt, vulnera præſertim recentia efficaciter conſolidant, ulceraque ſordida curant, vitiato & affecto impoſita loco convulſiones adimunt, & dolores depellunt, ſenſum hebetant, atque torpidos reddunt mortales; quæ omnia & ſuccus calidè quoque expreſſus, inſtillatuſque præſtat, Abſinthii etiamnum in tepidis AMERICÆ partibus creſcentis ſucco probè permiſtus Serpentium, Viperarumque morſibus venenatis utiliſſimè applicatur.

Folia elixa ad quæ.

Ex eodem præter hæc ſucco *Saccharum* Americani Orbis indigenæ, aut *Mel*, *Syrupum*, *Vinum*, *Acetum*, *Aquam*, & *Oleum*, aliaque plura ad miſerrimæ vitæ humanæ ſuſtentationem pertinentia parare norunt, fit enim decoctione, aut diſtillatione ſuccus idem ſpiſſior, & ſolitò ſuavior, tandemque depuratione factâ in melleam, Sacchareamque ſubſtantiam ſapore facilè convertitur.

Quid ex ſucco paratur.

Deinde ex eodem ſucco & Aquâ fontanâ & AURANTIORUM, CITRIORUMQUE Malorum, corticibuſque aliorum commiſtis *Vinum*, Americæ incolis admodum uſitatum, minus tamen ſalubre conficitur, quoniam illorum anhelitus impuræ ſentinæ, vel cadaveris inſtar peſſimè fœtet, & capita illorum vehementer affligit; quo potus genere INDI brutorum more ſe ingurgitant.

Vide Franciſc. Gomar. ſub hiſtor. Mexican. finem.

Rur-

Rurſum ex Saccharo ſupra dicto in aquâ ſcilicet communi diſſoluto, ac per dies aliquot intecto SOLI expoſito *Acetum*, atque è novis germinibus, folioloſque tenerrimis *Conſerva* corruptioni valdè obnoxia efficitur.

Præter haſce facultates uſuſque medicos innumerabiles propemodum alii, è variis ejus partibus ingeniosè deſumpti reperiuntur. Hæc enim tota *Hortorum* & *agrorum ſepiendorum*, *lignorumque* vicem ſupplet, caules autem *tignorum* FOLIA verò tegendi ædes *tegularum*, *lancium*, & *chartæ* in quotidianum ſacrificiorum pictorumque commodum, nec non *filorum* Cannabis more paratorum, non tamen muliebri manu, verum provido ipſius Naturæ beneficio venuſtè ductorum uſum præbent, è quibus *reſtes*, *fuues*, *ſtoreæ*, *calceamentorum* genera *Alpergates* HISPANIS dicta, *Chlamides*, *Cingula*, *Capiſtra*, *Lintea*, *reticula*, *induſia*, aliaque veſtium genera conficiuntur, quæ hiſce in oris è Lino, Cannabe, Goſſipio, aliisque hujuſmodi pluribus ſtudiosè noſtratibus parantur.

Uſus varii.

Calcei.

Induſia.

Præterea, è ſuperioribus validiſſimis acutiſſimiſque FOLIORUM cuſpidibus conficiuntur *acus*, *aciculæ*, *militares tribuli*, nec non *raſtilla*, pectendis ſubtegminibus idonea, item *aculei* & *clavi*, quibus *ſubulorum* vice ad corpus leviter vulnerandum INDORUM Sacerdotes aureſque atrociter perforandas demonum cultui vacantes utuntur.

Aciculæ.

Clavi.

Præparantur porrò è radicibus etiamnum firmiſſimæ, atque ad plurima *reſtes* aptiſſimæ. Fit quoque è Foliorum combuſtorum cinere *Lixivium* ad multa idoneum.

Reſtes.

Morbum denique Gallicum hâc PLANTA vi eliciendi è corporibus ſudoris pollente AMERICANOS curare poſſe feliciter, atque induſia è foliorum majorum fibris artificiosè contexta HISPALI venalia proſtare, ſcriptis Clariſſimus Vir CAROLUS CLUSIUS, doctrinâ & variarum rerum uſu præſtantiſſimus ſedulò promulgavit.

Carl. Cluſ. Plant. Rarior. hiſt. l. V. f. 161.

ALOË AMERICANA MINOR.

Radix. PLANTA hæc valdè insignis, cæteris ALOËS speciebus universis, quas mihi hactenus videre contigit, Naturæ instinctu revera Minor: Radice donata viget ultra digitum nonnunquam crassâ, nodulis diversis geniculatim distinctâ, colore planè albido præditâ, nec non innumeris fibrosis, primò albescentibus, postea verò ad helvum declinantibus radiculis ditatâ.

Folium. FOLIA verò protrduit sese mutuo amplectentia, pedum Romanorum duorum longitudinem nunquam excedentia, pro illorum autem brevitate admodum lata, sex, octo, & novem transversorum digitorum latitudinem sæpiùs superantia, circa eorum apicem cæteris etiamnum obtusiora, ibidemque in brevem mucronem desinentia, reliquarum specierum more crassa, circa margines nihilominus tenuiora, nec non frequentioribus idem atque exilibus planè spinulis exornata.

Hanc ALOËS speciem ab AMERICÆ indigenis THEOMETL vocitari referebat Nauclerus, qui mihi hanc ex Nova Hispania recens allatam, amore erga me singulari motus, ultrò obtulit, atque ab HISPANIS, INDISQUE præ cæteris æstimari, ejusque succum optimo successu ad trium, quatuorque cochlearium mensuram omnibus febricitantibus, ab Hi-

Vires. spanâ muliere, cum quâ summam familiaritatem contraxerat, edoctus exhiberi; Cujus in semetipso, ac postea in geminis itineris sui Sociis epibatis periculum se feciſſe constanter asserebat.

An hæc eadem sit? quam libro Rerum Mexicarum octavo

Francis. Hernand. lib. 8. THEOMETL, seu MAGUEI DIVINUM vocat FRANCISCUS HERNANDEZ, me judicent Doctiores, sic enim capite decimo nono loquitur.

Theometl, seu Maguei Divinum, species Maguei inter numerosas alias quæ reperiuntur, eadem penè facultate, & formâ, longâ radice, fibrataque, & exilibus spinis. Duas spithamas longa sunt tantum folia. Succus verò epotus, aut illitus, febres extinguit. Nascitur in frigidis, & calidis locis, editis, atque campestribus. Hæc prodidit ille.

ALOË SERRATA MAJOR UMBELLIFERA.

HUjus Nobiliſſimæ PLANTÆ Radix Naturâ brevis eſt, craſſa tamen, coloreque ſubfuſco obducta, nec non fibris frequentiſſimis ex eâ undique ſurgentibus donata. Radicis conſideratio.

Præcedente omnibus ſuis partibus major; *Mucronato tamen Folio* Minor, eique effigie ac Foliorum diſpoſitione perſimilis eſt, niſi quod FOLIA paulo ſint latiora, ac magis canaliculata, attamen breviora, viridiora, atque ab utraque marginum parte ſpinulis craſſioribus, horridioribus, & modicè longis, ac Serræ in modum bellè admodum, non tamen adeò arctè diſpoſitis, nec non in apice ſuo horrido ac craſſo quodam mucrone ê purpuræ colore obſcuro prædita, quatuor pedes plus minus longa, tegularum etiam, vel pedis unius Romani latitudinem vix continentia. Foliorum ordo.

E quorum medio, jam ſeneſcente Plantâ, CAULIS brevi tempore ad duodecim, quatuordecim, & ſedecim ſæpius pedum proceritatem ſurgit unicus, ima ſua parte humanæ coxendicis craſſitiem comprehendens, atque paulatim inde in Pyramidalem anguſtiam CUPRESSI inſtar deſinens, & numeroſioribus, quam in præcedente *Mucronato Folio Majore*, foliolis, caulem arctius complectentibus præditus. E quorum baſi in parte ſuperiore CAULES undique naſcuntur diverſi, Umbellæ in modum venuſte diſpoſiti, numero tamen non multi, quorum FLORES ſupremo apici inſidentes, ſuiſque cauliculis brevibus & tenellis nitentes viſuntur, vix plures conjunctim, ſed ſeparatim diſpoſiti omnes, ultra articulum longi, minimum digitum craſſi, in imo juxta pediculum viridi quâdam ac detenta coronula externe cincti, in ſupremo verò in ſex foliola diviſi cernuntur, quorum interiora tria luteo colore grato donata, exteriora verò ê pallido luteſcentia ſunt, ſtramenti latitudinem continentia, inque mucronem finientia, atque digiti latitudinem plus minus longa, nec non radiantem ſtellam pulchre efformantia, atque ſex in medio, circa eminentem albidam in meditullio columnulam, luteis ſtaminulis plane & ſpecioſe ſæpiùs explicatis, ſeſe etiam contorquentibus interdum, ſuiſque proëminentibus appendicibus onuſtis præditi, Caulis altitudo. Florum forma & color.

qui Temporis progreſſu langueſcunt, in ſe marceſcunt, nec non in hiſce FRISIÆ locis nullo SEMINE in Terram defluunt.

Quo anno floruit.

Exacto triennio, quo hortenſis meus illam accepit fundus, florere viſa eſt ingens certe Planta, ſcilicet milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto. Verum me ægrotante, Hortulani incuria peſſime BRUMALI irruente gelu neglecta ſenſim miſere periit.

Franciſc. Gomar. ſub Mex. hiſt. finem.

Hujus ſine imagine deſcriptionem apud FRANCISCUM GOMARAM, ut credo, CLUSIO teſte, hoc modo reperies.

METL, *nonnulli* MAGUEY, *aliis* CARDON, *arbor eſt duorum hominum altitudine, aut majore aſſurgens, humanæ coxæ craſſitudinem æquans, inferiore parte craſſior & denſior, deinde paulatim in pyramidalem formam deſinens inſtar* CUPRESSI; *Quadragena illi Folia, tegularum amplitudine propemodum, & eodem modo carinata, ſed inferiore craßa, deinde in mucronem deſinentia, lateribus tenuiora, craßa autem ſpina mucronem occupante.*

Tanta iſtic (videlicet circa Mexico) *copia naſcitur, quanta apud nos Vites: Facit Spicam, Florem & Semen. Ex eâ ignem ſtruunt, ejus cineres parando lixivio idonei: Truncus ligni vicem præbet, Folia tegularum aut imbricum.* Hæc ille.

Rectius tamen hanc, me judice, FRANCISCUS HERNANDEZ, & NARDUS ANTONIUS RECCHUS loco ſupra citato hunc in modum ſcripſiſſe videntur.

METL *Plantæ, quam MEXICENSES Maguei appellant, plures ſunt differentiæ, de quibus ſeorſim agemus, incipientes ab eâ, quæ folia* ALOËS *fert, ſed longè majora, & craſſiora* (*arboris enim mediocris interdum æquant longitudinem*) *utrinque ſpinifera, ac in rigidum, acutumque deſinentia mucronem. Caulem duplo majorem, & in ejus parte ſumma Flores luteos, oblongos, juxta cacumen ſtellatos, ac procedente tempore, Semen Aſphodelino perſimile. Radicem verò craſſam, brevem, & fibris ſcatentem.*

Seritur ex germinibus qui circumcirca matrem oriuntur, quovis ſolo, ſed præcipuè fertili, atque frigido. Non enim tempeſtatum, aut inclementioris cœli patet injuriis, aut per ſiccitatem ſtatim marceſcit. E nulla re proventus eſt amplior.

Planta hæc unica, quidquid vitæ eſſe poteſt neceſſarium, præſtare facilè poteſt, ſi eſſet rebus humanis modus. Hæc ille.

ALOË PURPUREA LÆVIUS.

RARA hæc, longæva, atque viſu digna PLANTA, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo ex calidis AMERICÆ partibus per Naucleros noſtrates in FRISIAM advecta, radice nititur copioſâ, ſtramenti inſtar craſſa, longa, colore pallido externe fuſco, interne verò candeſcente obducta, nec non fibris permultis tenuioribus ex ea hinc inde provenientibus prædita. Radicis qualitas.

E qua FOLIA ad duum, vel pro annoſitate Plantæ, trium pedum longitudinem, aut ulterius aſſurgunt, digitorum verò trium, quatuorque transverſorum latitudinem, aut minus, obtinentia, juxte imum nihilominus paulò auguſtiora, in medio parumper latiora, ibidemque latiſſima, atque inde in anguſtiorem ac modice longum mucronem ſpinula quadam ê fuſco nigricante vel purpuraſcente potius colore exornatum finientia, marginibus tenuibus, lævibus ac planis, nulliſque omninò ſpinulis obſitis donata, HYUCÆ GLORIOSÆ in modum carinatè vel Lunæ falcatæ inſtar diſpoſita, externe maxima ex parte é viridi purpuraſcentia, aut purpureis quibuſdam maculis hinc inde contaminata, interne verò ad albedinem quandam vergentia, Natura ſolida, ſemper recta ſurſum tendentia, nec non permultis filis interne albicantibus, cæteriſque ALOÉS ſpeciebus omnibus tenuioribus, ac pretioſioribus repleta. Foliorum forma.

E quorum meditullio CAULIS ad octo, decem, vel duodecim nonnunquam pedum altitudinem in Lucem protruditur unicus, rarò plures, frequenti Foliorum minorum carinatorum CAULEM ab utraque parte artificioſe amplectentium, neque late à ſe invicem diſtantium ſerie undique venuſte ſeptus, atque in ſupremo apice varios in ramos umbellatim diſpoſitis, ſuiſque FLORIBUS, ex Naucleorum relatu, ê purpure pallido-rubeſcentibus, cum ſuis luteis in medio Cæterorum more appendicibus, ac quinque foliis conſtantibus onuſtos diviſus. Caulis conſtitutio

Quos tamen hactenus, neque illorum Semen videre mihi contigit.

Nihilominus tamen abnatis circa radicem recentibus Plantulis, ipſis ſe ulterius augendi copia & facultas conceditur.

Bel-

Franc. Hernand. lib. 8. rer. radic. nov. Hisp. c. 20.

Belliſſima hæc PLANTA, ſi mihi conjectandi licentia concedatur, à FRANCISCO HERNANDEZ *Pati*, ſive *Metl leniſſimo folio* vocitatur, cujus deſcriptionis verba hæc leguntur ſequentia.

Pati, ſeu Metl, ex quo fiunt leniſſimæ fila, ſimilis eſt METL, *ſed foliis anguſtioribus, minoribus, & tenuioribus, magnaque ex parte purpuraſcentibus, è radice fibratâ, craſſaque. Species eſt vocatæ Pitæ. Parantur ex ea, fila tenuiſſima, in magno habita pretio, pannisque texendis aptiſſima.*

ALOË FEROX.

VIſu rarum atque admiratione ſummâ dignum eſt hoc præſens ALOËS genus, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio in Septentrionali Pelago ad Inſulæ vulgò *Schiermonkoog* vocitatæ littus, cum tribus aliis ejuſdem generis marinorum fluctuum, procellarumque vi abreptis, à Piſcatoribus inter alia fluctuantia ſubmerſæ navis, atque ex India HOLLANDIAM petentis mercimonia, radice etiamnum panno convolutâ in ſicco, Foliiſque omnibus, uno duntaxat excepto, illæſis, & ad externam ſpeciem etiamnum vividis, inventum. Quapropter vitæ ſuperſtitis ſpe non exiguâ ductus, TERRÆ Plantam alacriter demandari curavi. Verum poſt duorum menſium decurſum, appropinquante jam Hyeme, ob attractam undarum marinarum ſalſedinem non ſine dolore tandem putreſcendo in vivis eſſe deſiit.

Aloë Lanuginoſa.

Fuit autem *Species* ex tribus corruptis *una* foliis molli lanugine obductis, nec non rubris ſpinis & radicibus; *Altera* verò radiculis omninò purpuraſcentibus exornata: *Tertiæ* demum Folia marginibus luteis, ac parvis ſpinulis frequentioribus ſpecioſè condecorata: Quæ tamen ob putreſcentem ſtacciditatem neque manibus tractari, neque depingi ullo modo potuerunt, quare illarum luctuoſo admodum damno etiamnum ingemiſco.

Radicis examinatio.

Sunt autem hujus Radiculæ cujus figuram hic exhibeo, cinereo colore obſcuro circumdatæ, teneræ, modicè longæ, planè fibroſæ, nec non è baſi craſſâ, rotundâ, retuſa, nonnihil ſtriatâ atque ex parte tuberculoſâ pullulantes.

FOLIA

FOLIA verò maxima duorum pedum altitudinem cum dimidio attingunt, circa baſim autem latiora, ac craſſiora, indeque CUPRESSI modo in Pyramidalem anguſtiam, atque tenuitatem ſe finientia conſpiciuntur, ſemipedem plus minus lata, ab utroque gracili latere ſpinis digiti unius transverſi longitudinem aut circiter poſſidentibus, admodum craſſis ac ferociſſimis, colore è nigro purpureſcentibus horridè conſita, Natura omninò atrovirentia, inque mucronem, longitudine ſuâ, latitudine, atque craſſitie terribilem deſinentia, ore commanſa palato non ingrata, nec non filis quibuſdam albeſcentibus internè donata. Foliorum diſpoſitio.

Huic congenerem ſi non ſit eadem inter alias ſpecies à FRANCISCO HERNANDEZ capite decimo quarto MEXCAL METL vocata figurâ convenientiori, ut exiſtimo, rudi licet penicillo adumbrata eſt, quam ſpeciem hiſce verbis notatam invenies. Franciſc. Hernand. cap. 14.

MEXCAL METL, *ſeu Maguei aptum ut aſſum comedatur, ſpecies eſt* METL *parva, valdè ſpinoſa, & virore admodum exaturato tincta, cujus folia eduntur aſſa, & ſunt præ cæteris grata guſtui. Offenditur ea in montibus Tepotzlanenſibus.* Hæc ille.

ALOË VERA VULGARIS.

PLANTA hæc; quam GRÆCI VETERES univerſi Ἀλόω, à voce procul dubio Ἀλοσυή, quod ſalum ſonat, cujus afflatu ſummoperè delectatur, ut credidere multi, & quoniam foris, reliquarum ad mare naſcentium modo albedinis non nihil, ſalis inſtar in externis foliorum partibus continet, nomen olim obtinuiſſe credidere. Quamvis in deſertis quibuſdam INDIÆ locis, teſte GARCIA, à mari longè remotis etiamnum vireſcit. Nominis origo. Garcias ab Horto lib. Aroma. 1. cap. 2.

LATINI AUTORES Chriſtiani, ut & NEOTERICI omnes, BELGÆ item & ANGLI ALOE. ARABES *Cavar.* Chaldæi *Alluavan.* Africani *Saber* & *Subar.* Hiſpani *Cavilla, yerva di Acibar,* & *Yerva Baboſa*, quoniam glutinoſum, nulliuſque pretii ſuccum ſæpiùs exſtillat, ut ſcribit Ruellius, Amatus Luſitanus, & Garcias ab Horto. GERMANI *Aloë-* Nomina Linguarum. Ruell. l. 3. cap. 19. Am. Luſit.

Com. in Dioſc. l. 3. enarr. 23. Garc. loco modo citato. Columella lib. 10.

patick, & *Bitter-wurtz*. ITALI *Herba di Aloë*. GALLI *Aloës*, & *Perroquet*, pſittacum quoniam viridem colore ac habitu bellè æmulari videatur. COLUMELLA verò in Carminibus Succi ejus amari causâ, *Sedum Amarum*. RECENTIORES quoque non pauci, *Sempervivum*, aut *Sempervivum Marinum*, maritimis quoniam gaudet, ac virore æterno, quem è conclavium laquearibus etiam cruſtulatis ſuſpenſum diutiſſimè retinet, paſſim nuncupant; ASIÆ Naturâ, AFRICÆ, nec non EUROPÆ quarundam ferventiori Soli ſubjacentium regionum alumna eſt.

Groningæ Friſiorum ter meo in viridario floruit.

In Friſiæ loco paterno frigido FLORES etiamnum Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, ſexageſimo nono, & ſeptuageſimo ſexto à noſtratibus non ſine gaudio produxiſſe viſa eſt. Etſi illa VETERUM & NEOTERICORUM ſcriptis ubique Terrarum eſt celebrata, ejus tamen exactam Hiſtoriam partiumque omnium, nec non elegantem ſpeciei varietatem nemo mortalium hactenus ſatis feliciter orbi tradidit.

Radicis qualitas.

RADICE itaque nititur longævâ, firmâ, duos, treſve pollices juxta TERRÆ ſuperficiem craſſâ, colore externè obſoleto, vel hepatico potius cinctâ, internè autem è luteo albeſcente prædità, ore maſticatâ hiſce in BELGII plagis minimè amarâ, ſed palato grata, ſuccoſa, & linguam ac fauces acriter pungente, inferiùs verò fibroſis quibuſdam radicibus non adeò ctaſſis, ſed tenuibus, brevibus, numero paucis, nec non ex albido flaveſcentibus donata, ſupra TERRAM nihilominus truncoſa, atque annoſitate præteritorum, vel vitio corruptorum Foliorum veſtigia diu retinente.

Foliorum ordo.

Equa FOLIA in LUCEM producuntur viceſimum numerum neutiquam vel rarò ſaltem excedentia, maxima, pedes duos & ſesquipedem, reliqua verſo minus longa, inferius tres digitos transverſos plus minus lata, indeque Pyramidis modo in obtuſum mucronem, gemmulis quibuſdam exiguis nonnihil rubeſcentibus, coronidis loco juxta ſe poſitis exornatum deſinentia, Naturâ ſupina, vel retrorſum tendentia, ſuperiori parte plana, inferiori verò ſemirotunda, craſſa, parumper fulgentia, ab utraque marginum parte ſpinulis frequentioribus digiti vel pollicis latitudinem nonnunquam à ſe invicem diſtantibus,

bus, puſillis, brevibus, craſſiuſculis, mollibus, ac minime pungent bus, coloreque luceſcente albido aſperſis condecorata, grato quoque virore herbaceo, nec non candeſcente quodam vel cinerarceo pulvere ſæpiùs contaminata, atque tàm inferius quam ſuperius maculis quibuſdam candidis hinc inde ſpecioſe prædita, ad flavedinem etiam TEMPORIS progreſſu leviter vergentia, atque internè nervis etiamnum pauciſſimis, rarè diſtantibus, colore albeſcentibus, & filamentorum inſtar vel venularum potius, ſucculentam foliorum carnem per longum ſecantibus, ac ſucco gravem odorem ſpirante, copioſiſſimo, è viridi luteſcente, tàm HYEME quàm ÆSTATE amariſſimo, dilucidiſſimo, pingui, craſſa, & tenaciſſimo ditata, nec non manu pauliſper flexa, vel brachio ex improviſo leniter tacta facillimè rumpi ſe patiuntur.

Caulis alitudo, & craſſities.

E quorum meditullio CAULIS aſſurgit unicus, ultra duos pedes cum dimidio, vel circiter longus, digiti minimi craſſiciem ſuum juxta fundamentum, non verò in ſuperficie obtinens, colore è viridi nonnihil flaveſcente ac niteſcente, nec non ſtriis quibuſdam paruis, & maculis ex obſcuro albeſcentibus donatus, rotundis, ſolidus, planus, atque apice ſupremo in duas, treſve partes, mediocris manus longitudinem poſſidentes, diviſus; in quibus FLORES oculis exhibentur deorſum dependentes caulem undique ſpicæ in modum cingentes, ſucceſſivè apertioni ſeſe accingentes, rotundi, articulum & ulterius longi, digiti minimi craſſitiem nondum adæquantes, breuiſſimis etiamnum cauliculis affixi non verò latè ſeſe expandentes, verum CORONÆ IMPERIALIS, vel FRITILLARIÆ in modum tantummodò dehiſcentes, ibidemque in quinque particulas obtusè mucronatas non profundè crenati, atque colore obſcuro luteo & gilvo intermixto ad gratioſi ſpectaculi commendationem condecorati; odore planè nullo, verum duabus internè tribuſque guttulis, ut in CORONIS IMPERIALIBUS, limpidiſſimis, ac melle dulcioribus, deorſumque vergentibus; nunquam tamen decidentibus præditi, quatuor puſillis internis ex obſcuro luteſcentibus appendicibus, ut in LILIIS, atque in eorum medio unico tenuiſſimo proëminente fuſco ſtaminulo deorſum etiamnum tendentibus onuſti. Qui poſt quartum diem in ſe marceſcentes, nullo

Florum color, & diſpoſitio.

ſemine in hiſce BELGII relicto in Terram decidunt.

ALOË VERA MINOR.

Foliorum conſideratio.

DIgna viſu PLANTA è radice, præcedenti colore ac formâ non diſſimili, Foliis veſtitur tenuibus prædicto modo diſpoſitis, at rectà magis ſurſum vergentibus, unius pedis Romani longitudinem hiſce in BELGII oris vix ſuperantibus, modicè craſſis, inferius ſeſquidigitum, aut pollicem latis, indeque in anguſtum mucronem finientibus, ac ideo non ultra digitum in medio latis, in ſupremo verò anguſtioribus, colore non cinereo vel albeſcente ut præſcriptæ ſe exhibuerunt Plantæ, verum viridi planè ſaturo undique exornatis, neque tot, tantiſque maculis albidis ab utraque parte circumdatis, ſed paucis duntaxat minoribus, iiſque iu extremo mucrone tantummodò juxta ſe poſitis condecoratis, non fulgentibus, ſpinulis verò à parte utraque frequentiſſimis, exiguis, craſſiuſculis, latâ baſi nitentibus, colore dilutè albeſcentibus vel è luteo candidis, parum aut nihil pugentibus, ſed molliuſculis, atquè in priori PLANTA multò arctiùs diſpoſitis, ruptu quoque eundem in modum facilibus, nec non ejuſdem ſucci genere repletis, ac lineis per medium introrſum ductis.

Flores nondum apparuere, quos tamen Deo favente biennii ſpatio expectamus.

ALOË VERA COSTA SPINOSA.

Folia quæ.

AD modum præcedentis ALOËS VERÆ VULGARIS Folia oſtendit hæc PLANTA, quæ colorum varietate, latitudinis nec non longitudinis menſurâ, imo & totâ effigie parum inter ſe differunt, craſſiora tamen ſunt, neque in mucronem adeò acutum, ſed paulò latiorem deſinentia, ſuperiori quidem parte, quâ Solem reſpiciunt, plana, verum inferiori quaſi ex obtuſo triquetra, ibidemque in eminente ſcilicet dorſo, ut & ab utraque illorum parte inuſitato Naturæ miraculo

culo ſpinulis ejuſdem coloris, at magnitudine atque craſſitudine eadem ſuperantibus prædita, nec non variis latioribus ſimul & anguſtioribus albidis maculis undique conſpicua, quibusdam etiamnum lineis internè ex albido luteſcentibus ac rarò diſpoſitis repleta, ruptuque facilia.

Flores. Flores Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto meo in Viridario Groninga-Friſico mirando Naturæ inſtinctu edidit mirabiles, thyrſo rotundo, tres circiter pedes alto, digitum in imo, in ſuperficie verò haud craſſo, recto, ſolido, colore ex obſcuro luteo quaſi hepatico obſoleto fulgente, atque ſuperius in tres æquales partes ſemipedes longitudinem ſuperantes diviſo inhærentes, nec non VULGARIS in modum deorſum tendentes, paulo tamen rotundiores ſeſe oſtendentes, eandemque figuram nihilominus atque longitudinem obtinentes: At verò colore omninò diſſimiles: Hi enim albeſcentem non ingratum: Illi vero ex obſcuro luteſcentem: Alii verò variegatum colorem, luteum ſcilicet ſtriis diverſis gratioſè albicantibus diſtinctum omnium oculis venuſtè ſubjicientes. Quapropter miror *Pedacium Dioſcoridem*, *Ioannem Ruellium*, *Adamum Lonicerum*, *Hieronymum Tragum*, *Remb. Dodonæum*, cæterosque ALOÆ VERÆ Florem adſcripiſſe album. *Mathiolum* verò non tantum album, verum & purpuraſcentem. *Conradum Geſnerum* autem, *Tabernæmontanum*, *Ioachimum Camerarium*, alioſque omninò luteum.

Dioſc. l. 3. cap. 25. Ruell. l. 3. cap. 19. Lonicer. Herb. part. 2. cap. 47. Trag. l. 2. cap. 149. Dodon. lib hiſt. Pl. 12. cap. 2. Matth. l. 3. in Dioſc. cap. 22. Geſner. de ſtirp. hort. German. Tabernm. lib. 2. c. 25. ſect. 10. Camer. in Matth. lib. 3. cap. 22. German.

Credibile enim eſt haſce ſpecies illis in locis album, in his verò luteum, in aliis denuo ad purpureum vergentem Florem, Climatis proculdubio Cœlique mutatione varium producere, ut in hac noſtra præſenti Planta ad vivum delineatâ, aliiſque manifeſtè obſervavimus, quæ in natali Æthiopiæ ſolo, unde ad nos delata, Florem fortè exhibet omninò album, qui hiſce in Friſiæ locis Aëris alteratione in luteum convertitur.

Nec dubito, quin elegans hæc ALOËS VERÆ ſpecies Flores aliquando in medium adductura ſit planè luteos, ſi nobis diutius (ut ſperamus) ſuperſtitem defloreſcentemque videre contingit.

Præter hoc, alium portentoſum in hac Naturæ luſum deprehendimus: Ejus enim Folia biennii ſpatio, poſtquam Planta in Hortum meum tranſlata fuit, maculis multò copioſioribus

nec non latoribus, atque ſpinulis in marginibus ac dorſo ſolitò majoribus, pergratam Plantæ venuſtatem adferentibus, exornata conſpiciebantur. Quod Cœli ſolius ſolique mutatione nec non præparatione accidiſſe ſtatuo.

Quapropter ſtupendam hujus iconem ad vivum delineatam huic loco inſerere non erubui.

ALOË VERA MAJOR.

VIſu hæc pergrata Planta, cujus magnitudinem ſimul & formæ elegantiam cum primo intuerer, obſtupui, ejus tamen partim deteſtanda ſculptoris negligentia, partim corporis imbecillitate figuram graphicè delineatam juſto ejus loco exhibere non potui: FOLIA edit VULGARIS ALOËS in modum diſpoſita, eodemque ordine, ſimilique formæ aſpectu ac colore donata, ſed longè majora, maxima enim ultra quatuor pedes Romanos longa ſunt, ut ex Planta Navarchi ex India reducis dono omnibus ſpectatoribus liquidò conſtat: Cætera tamen pro illorum ſerie paulò minora, atque magis ordinatè diſpoſita; in imo, ubi latiſſima, ſeptem & octo digitos transverſos lata, tres verò plus minusve craſſa. Ita ut verum eſſe hic palam fateri cogar, Gentem Belgii Nauticam in Æthiopia Regione *Aguada Sambras* Hiſpanicè vocitata, à Bonæ Spei Promontorio ultra centum milliaria & quod excurrit diſſita, copioſas admodum tantæque altitudinis è longinquo ALOËS vidiſſe Plantas, ut homines, vel loci iſtius incolas eſſe opinarentur: Quemadmodum in Diariis quibusdam nec non obſervationibus noſtratium nauticis ſtudioſè notatum legitur. Imo aſſeruit mihi Jacobus Henrici Plathoek epibata, qui hanc mihi ultrò obtulit, ſe prope Gammaron Perſiæ Urbem in monticulis hanc ALOES ſpeciem Corporis ſui longitudinem excedentem deprehendiſſe. Ac poſtea in Inſula Soccotora ad Sinum Arabicum ſitâ, hiſce Plantis fœcundâ, nec longè à prædicta Urbe diſſita, ubi laudatiſſima ab indigenis ALOE, omnibusque Medicis notiſſima conficitur, plurimàs ejuſdem altitudinis ALOES, quas SEMPERVIVUM vocant, oculis luſtraſſe.

Foliorum diſpoſitio.

Hujus

Hujus præterea FOLIA tantæ amaritudinis ſucco referta oſtendebantur, ut amaritiem ore proprio deguſtatam ferre non potuerim.

Harum Nobiliſſimarum Plantarum ſuccus in aluta, utribus, vel veſicis concretus, SOLISQUE calore induratus, hodie etamnum revera, ut olim, ALOE Antiquorum VERA vocitatur; quam à tot VETERIBUS ac NEOTERICIS laudibus innumeris decantatam videmus: Quùm uſus illius per totam Terrarum Orbem ad alvum, aliaque corporis vitia deturbanda frequentiſſimus ſit.

A GRÆCIS primò ἀλόη, à LATINIS verò, ut ipſa Herba, ALOË dicta fuit. A TURCIS, ARABIBUS, ac PERSIS *Cebar*. INDIS in Guzaratte, & Decan *Areaa*. CANARINIS *Catecomer*. HISPANIS *Acibar*, atque *Azevar*, LUSITANIS verò *Azaure*. Succi concreti nominis varietas.

Hujus autem concreti liquoris in Officinis præſenti hoc Seculo genera reperiuntur tria, ex India, Arabia, Syria, Ægypto, plurimiſque calidis Terræ regionibus pellibus ſæpenumero involuta, in ORBEM EUROPEUM noſtrum delata. Ejus tria genera.

Quorum in SOCOTORA, Indiæ inſula, ultra centum & viginti octo milliaria à Maris Erythræi freto diſtante parandi rationem ex unâ eademque Plantâ, vel coadunatis earum ſpeciebus talem eſſe percipio. Quemadmodum Doctiſſimus JOHANNES BAUHINUS ſcriptis quoque prodidiſſe creditur. Garcias ab Horto l. 1. Arom. c. 2. Joh. Bauh. hiſt. Plant. p. 3. lib. 35. cap. 11.

FOLIA ad unum omnia, radice in TERRA permanente, abſcindunt, in fruſta ſecant, atque planè contundunt, nec non per triginta horarum ſpatium in vaſe quodam fictili vitreato reponunt: Quo facto, ſupremam ſucci partem, ut pinguiſſimam, ad ejuſdem uſque evidentem omninò differentiam demunt, quam in alutam, vel veſicam, SOLISQUE calore exiccandam deponunt, eamque ALOËN SUCCOTORINAM, ejuſdem Inſulæ, ut & Indiarum indigenæ omnes vocant. Præparandi modus.

Deinde in medio conſiſtentem ſuccum, uterculis exiccandi cauſâ concredendum, tollunt; quem HEPATICAM dicunt, quoniam colorem hepatis repræſentare videtur.

Tan-

Tandem verò ex ſolâ remanente illorum fecè, CABALLINA vocitata omnium ſcilicet impuriſſima eodem modo perficitur.

Plin. l. 27. cap. 4. Verum PLINIUM alium planè ALOËN conficiendi modum omnibus præſcripſiſſe liquido conſtat; Sic enim libro ſuo vigeſimo ſeptimo loquitur.

Quidam & caulem ante ſeminis maturitatem incidunt ſucci gratiá; aliqui & folia: Invenitur & per ſe lachryma adhærens (quod GARCIAS, ut teſtis oculatus, loco ſæpiùs citato falſum ſcribit) *ergo pavimentandum ubi ſata ſit, cenſent, ut lachryma non abſorbeatur.* Sed pavimentum ſubſterni laterculis, ad ſuccum excipiendum, negat AUTOR: idem: *Tota quoniam in Inſula tanta non exſtat polities*, ut latius ex eodem AUTORE inferius docebitur.

Verum hoc etiam loco audiendus erit Nobiliſſimus FABIUS COLUMNA, qui ante ſeptuaginta, & quod excurrit, annos ALOES Succum Neapoli præparavit, atque ipſâ edoctus experientiâ, in ITALIA laudibilem æquè, quàm ipſâ in INDIA exiſtere, hiſce verbis ingenuè docet.

Fab. Colum. lib. rarior. & min. cogn. ſtirp. c. 11. *Succi*, inquit, *eliciendi occaſionem atque modum, à nobis invenum, ac experientia comprobatum, nunc in medium adferemus, ut* ALOËN *vulgò cognitam veram eſſe teſtificetur: Atque etiam ex eâ, Socoterâ illâ vulgari Officinarum* ALOË *præſtantiorem ſuccum elici poſſe noſtro cœlo* (ſcilicet Neapolitano) *magisque reſpondentem ſuæ hiſtoriæ facie, viribusque. Dum, ut cæteri dubitaremus, an hæc Planta, quam omnes* ALOËN *facimus, ſuccum emitteret, qui externo Aloës dicto medicamento, ſive concreto ſucco ſimilis concreſcere poſſet* (*quod omnes noſtro cœlo minimè fieri poſſe cenſuerunt atque affirmarunt*) *diſſecto quidem Plantæ folio, atque radice conciſâ, nihil ſucci neque amari, ſed muccoſum quid, ac potius inſipidum guſtu inveniebatur. Domi igitur noſtra cum plures adeſſent hujus Plantæ in ædis ſummo, Soli, imbribusque aperto loco, ut moris eſt Neapolitanis ædibus: Extirpatis aliquibus foliis ac experimentum tentantes, in mentem venit, idem nobis in veræ* ATTRACTYLIDIS *obſervatione accidiſſe, ſanguineumque ſuccum non ex carne, ſed ex venis exire.*

Quapropter per obliquum folii venas invenire auſi ſumus. Sic abrupti recenter ab radice folii ſucci parum lutei, ex ſingulis venarum oris exire animadvertimus, atque deinde ſimul concurrere; guttasque decidere vidimus.

Dein

Dein alia atque alia datâ operâ folia è radice extirpavimus, atque certiſſimum ex nervulis veluti filamentis, ſivè venis intra folii carnem per longum ductis, detentum luteum ſuccum elici debere comperimus.

Suppoſito deinde lato figulino vaſe vitriato, multa ſupra illud ſic ab radice ſtatim avulſa folia appendimus, atque ex illis, ſpontaneum ſuccum deſcendere ſinebamus, manibus poſtremo etiam deorſum verſus comprimendo folia: Atque quod imis foliorum oris concreverat radendo.

Excepto itaque ex pluribus foliis copioſo ſucco, vas illud tribus diebus Soli expoſuimus, & circumferentia vaſis quotidie quod hærebat durius (ſtatim enim quod paucum eſt concreſcit) cum liquidiore commixto: Idque pluries in die fecimus, noctuque repoſito vaſe, concretum poſtridie ſuccum omnem, atque friabilem effectum habuimus.

Color ex citrino cum concreſcere incipit, ruffeſcit, atque concretus magis nigricat, & obſcurè, parum rubentem acquirit colorem, concreti ſanguinis modo, vel potius hepati ſimillimus, translucidus, lævis, odore gravi aromatico, ſapore amaro admodum ac abhorrendo, & mirum quod manu tantum attrectanti odore, atque illius vapore, ut ita dicamus, inficiatur aër, atque guttur amarum reddatur: In pulverem, ut DIOSCORIDES *notat, digitis confricatus ſuccus, qui probè fuerit arefactus, ad minimum uſque ramentum facilè reducitur: Et aquâ infuſâ ſtatim liqueſcit, diſſolvitur, atque citrino evadit colore, eo quo ante concretionem modo fuit.*

Hâc itaque ratione in Italiâ paravit ALOËN Doctiſſimus FABIUS COLUMNA.

Porro, trium prædictorum optima, ac puriſſima, omniumque laudatiſſima SUCCOTORINA, ab Inſula *Soccotora* denominata exiſtit, ut ipſa docet infallibilis autopſia, quæ dum frigefacta percutitur, in nitida ac ſplendeſcentia fragmenta diſſilit facilè: Sapore valdè amaro, aromatico, adſtringente, ex parte tenui, nec non oris halitum commendante prædita eſt: Colore verò aut fuſca, vel ruffa, SOLISQUE radiis objecta vitri inſtar pellucida aſpicitur, atque tractando molleſcens, in SOLE vel calore diffluens, & nitido foris, intus verò fuſco, aut colore nigro ſuam latentem probitatem abſcondens. Succotorina.

HEPATICA vocitata, impurior creditur, aridior, denſior, atque jecinoris in modum coacta: Colore è citrino rufeſcens, ac præcedente minus pellucida cernitur: Odore quidem & ſapore *Succotorinam* æmulari videtur, graviorem nihilominus Hepatica.

ſpirat odorem, amarior quoque magiſque adſtringens ſentitur.

Caballina. Tertia, CABALLINA, ſordibus plurimis conſpurcata, atque ſtramentis, paleâ, terrâ, arenâ, aliiſque immunditiis frequentioribus repleta eſt omnium aridiſſima, ponderoſiſſima, minimè translucida, peſſimè olens, nec non nigro colore donata reſpicitur: Guſtu autem intenſæ amaritudinis, & ſtomacho, ac palato ingratiſſima. Equis idcirco cæteriſque jumentis, non verò hominibus exhibenda: Quare & mulo-medicis relinquenda.

Electio. Ergo pinguiſſimam, puriſſimam, colore ê fuſco flaveſcentem, ÆSTATE molliuſculam, HYEME friabilem, in manu lenteſcentem, calculis, ſtramentis, cæteriſque fœcibus deſtitutam, aromiticam quandam amaritudinem guſtu æquè olfactu referentem, diſſolutu facilem, ſomnum odore conciliantem aliis ſemper præferendam; nec non MACI interdum, CINNAMOMO, vel NUCE MYRISTICA correctam, omnique præparatione ulreriori neglectâ in medicum uſum recipiendam puto.

VIRES.

Eſt autem ALOE omnium medicamentorum purgantium celeberrimum, omnibuſque convenientiſſimum, & tutiſſimè ac benigniſſimè operatur, præcipuè ſi aliis purgantibus hoc modo admixtum exhibeatur.

EXTRACTUM DE TRIBUS MAGISTRALE.

℞ Aloës lucidæ ſive Succotorinæ.
Clocynthidis.
Scammonei. ana ʒſ.
Olei Aniſi diſtillati guttas xij.
Cum ſufficiente quantitate
Syrupi è Cichorio cum Rhabarbaro.
Miſce fiat Maſſa. Cujus doſis eſto ℈j. vel ʒſ.

Cæterum, calidam ſecundo gradu & ſiccam eſſe exiſtimo. Doſis eſt ʒſ. ℈ij. aut ʒj.

Ob-

Obſtructiones aperit, meatus reſerat, ventriculo grata eſt, eundemque corroborat; ab impuritate verò lota eundem à bile liberat, ejuſque cruditates, dolores, ac inflammationes ſedat & conſumit, alvum ſubducit, humores bilioſos & pituitoſos purgat, ventris tineas ac lumbricos enecat & expellit, cum aceto & felle bovino mixta atque umbilico impoſita, idem efficit; infarctus tollit, eâ cum aliis qui continuo utitur, in corpore, nec ſenſuum ſuorum inſtrumentis ægritudinem ſentiet ullam, ictericiam quoque flavam depellit, omnem putredinem arcet, nec non diu cadavera corruptionis vel putrefactionis immunia cum MYRRHA præſertim, aliiſque miſta conſervat: Quare nonnulli Mumiæ efficaciam omninò poſſidere contendunt, eamque præter ALOËN humanâ pinguedine miſtam nihil aliud eſſe aſſeverantes. Temperamentum.

Pulvis Hæmorrhoidibus inſperſus ſiſtit: In vino diſſoluta alòpeciam curat: Collyriis indita viſum acuit, cum melle miſta pudendorum ulceribus, nec non fiſtulis, oriſque putredinibus omnibus medetur. Ejus verò pilulæ tres per aliquot dies exhibitæ, menſium abundantiam excitant. Externè admota ora venarum claudit, & ſanguinem ſiſtit, denſat enim NATURA, ſtringit, exiccat, & pulveris modo aſperſa vulnera recentia, & quæ ad cicatricem ægrè perduci queunt, mirificè conglutinat.

Viridia folia idem efficiunt, ambuſtis quoque partibus impoſita iis celeriter præbent auxilium.

Cum vero de hoc medicamento fuſius DIOSCORIDES, PLINIUS, GALENUS, PAULUS ÆGINETA, MESUES, SERAPIO, AVERRHOES, MATTHIOLUS, DODONÆUS, plurimique ex NEOTERICIS tractarunt; plura hic in medium protrahere lubens ſuperſedeo.

Verum enim verò quoniam in hujus tractatione præ reliquis omnibus nobis ſatisfeciſſe viſus eſt Celeberrimus GARCIAS ab HORTO, qui in INDIA pro invictiſſimo Imperatore & Hiſpaniarum Rege CAROLO QUINTO per triginta annos, & quod excurrit, Medicum egit, ejus verba hoc loco ſubjungere non verebor. Sic enim loquitur.

„ Nec verò ſuccus hic extrahitur in quadam duntaxat Urbe, „ut ait, ANDREAS LACUNA, ſed per totam inſulam, quæ Garc. ab Horto lib. Aromat 1. cap. 2.

Lac. com. in Dioſc. l. 3. c. 23.

„ quæ nullis Urbibus exculta eſt, ſed pagos duntaxat cum
„ multis gregibus habet : Neque laterculis ad ſuccum exci-
„ piendum pavimentum ſubſternitur, ut idem Autor eſt, quan-
„ doquidem in totâ inſulâ tanta polities non eſt.

„ Nec hi audiendi, qui ſuccum ex ſuperiori Plantæ parte
„ profluentem, eo qui mediâ aut infimâ parte profluat, præſtan-
„ tiorem faciunt : Si quidem omnis ſuccus bonus eſt, & arenâ
„ caret, ſi adhibitâ diligentiâ extrahatur,

„ Præterea, non adulteratur, nimia enim ejus eſt quantitas,
„ ſed quod incolæ negligentiores ſint in auferendis ſordibus
„ quas hic ſuccus ſecum trahit, alius alio pejor videtur. Hanc
Dioſc. l. 3. cap. 25. Plin. l. 27. cap. 4.
„ ob cauſam DIOSCORIDI minus adhibenda fides eſt, &
„ PLINIO, qui eam gummi & Acaciâ adulterari ſcribunt,
„ cum exigua ſit iis in regionibus gummi & Acaciæ copia:
„ Imo, ut verum dicam, nulla, quemadmodum à Viris fide di-
„ gnis accepi. Illud verò non negaverim, quin, tranſlatum, aliis
„ in regionibus adultèrari poſſit.

„ Porrò, quod laudatiſſima ſit quæ in Soccotora naſcitur,
„ non ſolum vulgari famâ, ſed à Celebribus Viris accepi, qui
„ compertum ſe habere ajebant, ALOEN quidem pleriſque
„ aliis Indiæ locis naſci, quæ cum Socotorina deferretur Aden,
„ & Gida (quam nonnulli corrupto nomine Juda vocant) &
„ inde terreſtri itinere Cairum, poſtea in Alexandriam ad oſtia
„ Nili ; vel Ormus, deinde Bacora, poſtea Cairum & Alexan-
„ driam : Facile tamen dignoſci eam quæ in Socotora naſci-
„ tur, ab eâ quæ à Cambaya, Bengala, aliiſque locis advehitur ;
„ Socotorinæque prætium quadrupla majus eſſe, ejus quæ
„ aliunde adfertur pretio. Inter reliquas autem notas hanc
„ commendabant, quòd Socotorina ſolida ſit & benè compa-
„ cta : Alterius verò partes non poſſunt perfectè coire, quòd
„ ſuccus ex diverſis Plantis collectus ſit.

„ Nec ejus plura ſunt genera, ut volunt Arabes, ſed unicum
„ duntaxat tametſi varia illi indant nomina.

„ Quod verò DIOSCORIDES & PLINIUS laudatiſſi-
„ mam ex India adferri ſcribunt. Alii verò ex Alexandria aut
„ Arabia, non ſimpliciter id intelligendum eſt, ſed de eâ quæ
„ ex Socotora primum in Indiam delata eſt. Nam etiam ex
„ Cambaya & Bengala Ormus, Aden, & Gida defertur. Ita-

que

„ que minus malè MESUES, qui unum ALOES genus ex
„ Socotora adferri ſcribit, aliud è Pèrſia, tertium ex Armenia,
„ quartum ex Arabia. Nam quæ in Luſitaniam adfertur (uti
„ his oculis vidi) ea ex Socotora allata eſt. Alexandrinam au-
„ tem è quibuſdam præferri hinc factum eſt, quòd ſuperioribus
„ annis pleraque Aromata Ormus deferrentur, deinde Baſota,
„ Aden, Gida, inde Camelis Suez, quæ in extremo maris Ery-
„ thræi ſita eſt, & Alexandriam ad Nili oſtium, unde Veneti
„ petentes ea reliquæ Europæ communicabant: Non autem
„ quod in Alexandria fiat ALOE.

„ Naſcitur verò non modò in maritimis, ſed etiam deſertis
„ Indiæ locis, cum eam ubique viderim ducentis leucis itinere
„ terreſtri per eas ſolitudines confecto. Nullum ejus inveniri
„ gummi certum eſt, ſed interdum aqua quædam viſcida è fo-
„ liis ſtillat, at neglecta & nullius uſus.

„ Hujus uſus eſt non modò apud Arabes, Turcoſque Me-
„ dicos (qui Avicennam Abohali apud eos dictum, & ejus libros
„ quinque Canum edidicerunt, legeruntque Razen quem
„ Benzacaria vocant, item Hali Radoam & MESUEN illis
„ Menxus appellatum, tametſi non is ſit qui apud nos in uſu eſt,
„ HIPPOCRATIS præterea, GALENI, ARISTOTELIS
„ & PLATONIS omnia opera, minus tamen integra, quàm
„ Græco ſermone conſcripta) ſed etiam apud Indos, in purgan-
„ tibus medicamentis & Collyriis, tum etiam in vulneribus car-
„ ne explendis: In quem uſum plerumque in ſuis officinis me-
„ dicamentum habent, cui nomen MOCEBAR ex ALOE
„ & MYRRHA paratum, quo etiam plurimum in equis cu-
„ randis, & vulnerum lumbricis enecandis utuntur.

„ Medicum vidi magni Sultani Badur Regis Cambayæ, ipſâ
„ Herba ALOË utentem pro medicamento familiari, in hunc
„ modum. Folia ALOËS conciſa cum ſale coquebat, ejus
„ decocti octo uncias propinabat, quæ alvum ſine moleſtia &
„ nocumento ſubducebant quater aut quinquies. In hâc Urbe
„ GOA ALOËN probè tuſam & cum lacte mixtam iis pro-
„ munt, qui ulcere renum aut veſicæ laborant, vel qui purulen-
„ tas excernunt urinas, non ſine magno ſucceſſu & ægrorum
„ commodo: Nam illico curantur. Ejus uſus etiam Aucupi-
„ bus notus eſt, qui confracta avium crura eâ conglutinant.

„ Hic ſimiliter in INDIA maturandis phlegmonibus idonea.

Matth. in Dioſc. l. 3. cap. 22.

„ Quamobrem hallucinari mihi videtur MATTHIOLUS, „ qui ALOEN ad ſpectaculum potius foveri aſſerit, quàm ad „ medicum uſum. Quod verò ANTONIUS MUSA in „ Simplicium examine ALOEN Herbam amaram eſſe ne- „ get, magis mirum: Nam ſæpè deguſtatum admodum ama- „ ram inveni; quoque vicinior pars erat radici, eò amarior mi- „ hi viſa eſt: Extrema autem folia amarore carere mihi viſa „ ſunt. Tota Planta viroſo odore prædita eſt.

„ Cæterum, quoniam controverſia eſt inter nonnullos AU- „ TORES, debeantne ea medicamenta, quæ ALOEN acci- „ piunt, ante cibum ſumi, an verò ſecundum cibum, & an illi- „ co à cibo, pauca viſum eſt hîc adjicere, tametſi à doctoribus

Quo tempore exhibenda Aloë.

„ Medicis potiùs hæc erant petenda. GALENUS ejus quin- „ que catapotia exhibet, & benè quidem, quoniam hâc ratione „ capitis dolores ſedat.

Plin. l. 27. cap. 4.

„ PLINIUS autem efficaciorem eſſe, ſi potâ eâ ſumatur ci- „ bus, modicus videlicet & boni ſucci: Quæ ratio multum „ mihi probatur, eamque ſequuntur hujus regionis Medici. „ Cum enim ALOE medicamentum ſit debile, non evacua- „ bit, niſi ſtatim vires confirmentur modici cibus ejuſque boni „ ſucci ſumptione, ut eo digeſto melius evacuare poſſit: PAU-

Paul. Ægin. lib. 7. cap. 3.

„ LUS ÆGINETA contra, mane ſumendam præcipit, eoſ- „ que reprehendit qui eam à cibo exhibent: Corrumpit enim, „ inquit, cibum. Singuli ſuis nituntur firmis rationibus & Au- „ toribus, ſed conciliari facilè poſſunt. Cum verò controverſia „ ſit admodum vulgaris, & à multis agitata, an cibus cum me- „ dicamento miſceatur, ſupervacaneum eſſe judico de his plura „ agere.

„ Sed præter inſtitutum facere mihi non videbor, ſi hic pau- „ cula quædam inferam de vulgari ratione quam Indi Medici „ in exhibendis medicamentis obſervant. Catapotia & liqui- „ diora medicamenta ſummo diluculo exhibentur, noſtratium „ more, abſtinendo deinde quinque horarum ſpacio à cibo, po- „ tu, & ſomno. Quod ſi infra hoc tempus non purgentur, ro- „ borando ſtomacho ſtudent ex AVICENNÆ præcepto, „ quod ſit ſumptis duabus Maſtiches drachmis in ſtillatitio „ Roſarum liquore diſſolutis, alvum bubulo felle inungentes,

pan-

" pannumque lineum felle madentem umbilico imponentes,
" ad medicamenti operationem juvandam, expultricemque fa-
" cultatem excitandam, si opus sit. Sin post has quinque horas
" benè solvetur alvus, propinantur illis tres unciæ jusculi galli-
" linæ, aliud præterea nihil: Deinde hausto rosaceæ aquæ pau-
" xillo, parumper somno indulgent. Hæc medicandi ratio suis
" rationibus & scriptorum testimoniis niti videtur.

" Tametsi RUELLIUS magnopere commendet potio- Ruell. lib.
" nem illam RUFI quæ Aloën, Ammoniacum, Myrrham & 3. cap. 19.
" Vinum recipit, ibique occasionem nactus, acrius in Arabes
" invehatur, qui rejecto Ammoniaco & vino, Catapotia ex Aloë,
" Croco, & Myrrha concinnent, eamque compositionem ac-
" ceptam RUFO referant: Facit pro suo Recentiorumque
" Scriptorum more, qui in Arabes plerumque invehi solent,
" ut Græcos tanto magis extollant. Non negaverim certè RU-
" FI medicamentum singulari remedio pollere adversus pestis
" contagia: Illud tamen certum est, Catapotia RASIS qui-
" bus utimur, efficax esse medicamentum & à multis magno
" successu expertum. Additur verò Crocum, quoniam cor ro-
" borat & aperit, tum ob alias facultates quibus præditum est.

" MANARDUS, aliique nonnulli Recentiores acerrimè in Man. l. 1.
" MESUEM, SERAPIONEM, & AVICENNAM inve- epist. 1.
" huntur, quod affirmaverint ALOEN venarum oscula adeò
" reserare, ut inde postea sanguis facilè fluat, eamque ob cau-
" sam hæmorrhoidibus non convenire: Deinde quòd scripse-
" rint melli admixtam minus purgare, minusque stomacho no-
" xiam esse, quam reliqua purgantia medicamenta. Dicunt
" enim MANARDUS & huic similes, ALOEN non modò
" non aperire hæmorrhoides, sed eas potius obstruere, neque
" rectè scribere MESUEM, qui illam stomacho minus no-
" xiam faciat, quandoquidem huic sit admodum utilis, nec no-
" cumentum aliquod adferat, mellique admista magis evacuet
" reliquis purgantibus medicamentis. Priora confirmant GA-
" LENI auctoritate: Postremum verò, quòd mel, cum sit pur-
" gantis facultatis, alteri purganti adjunctum necessario magis
" purgare debeat.

" Rectius ANTONIUS MUSA Examine Simplicium,
" qui in nullius magistri verba jurans MESUES opinionem

con-

" confirmat, ſæpius expertum ſe eſſe affirmans, ALOEN
" Hæmorrhoidas aperire. Sic & ſæpenumerò expertus ſum
" ſummos dolore, cum Hæmorrhoidum fluxu excitaſſe, quod
" facilê præſtare poteſt ALOE ob amaritudinem, venarum
" oſcula reſerando, & expultricem fucultatem irritando.
" Hâc ratione purgat fel animantium, umbilico illitum, teſte
Serap. lib. simp. cap. 201. " SERAPIONE.
" Quod verò oſcula venarum obturare aſſerant, cum JA-
" COBO de partibus reſpondeo, foris quidem adhibitam ad-
" ſtringere, intro autem ſumptam aperire. Quam facultа-
" tem obtinent pleraque medicamenta, quæ intro ſumpta, di-
" verſas & contrarias vires exerunt, quàm ſi foris adhibean-
" tur, veluti SCILLA, quæ comeſta enecat, foris illita ex-
" ulcerat. Ad ea quæ objiciunt de melle, MESUEN videli-
" cet aſſerere, ALÒEN cum melle mixtam minus purgare,
" ſic reſponſum volo. Quandoquidem utrumque medica-
" mentum purgatoriâ facultate præditum eſt, validioris facul-
" tatem, debilioris, mellis ſcilicet, facultate infringi: Sic etiam
" ſtomachum roborat & firmat accidentaliter, evacuando vide-
" licet ſine nocumento, aut eo certè perexiguo, humores qui
" ventriculum infeſtant.
Plin. l. 27. cap. 4. " PLINIUM mirari ſubit, qui ALOEN metallicam ſupra
" HIEROSOLYMAM inveniri tradit.
" Ego non modo Medicos Judæos, ſed etiam Pharmacopo-
" las qui Hieroſolymorum incolas ſe aſſerebant, diligenter de
" hoc PLINII loco interrogavi. Sed illa in totâ Palæſtina
" hujuſmodi ALOEN unquam fuiſſe repertam conſtanter
" negabant.
Plinius à Garcia malè reprehenſus. Hactenus GARCIAS. Sed pace hujus Viri Clariſſimi dictum volo, PLINIUM non propriâ autoritate, ſed aliorum duntaxat relatu eo in loco metallicam ALOEN inveniri, ſcriptis prodidiſſe.

CUL-

CULTURA.

GAudent hæ ALOES VERÆ (ut & præcedentes omnes) ſolo, aëre, & loco eodem, quemadmodum de priori *Americana mucronato folio* exactè retulimus.

Inveniuntur nihilominus qui haſce BRUMALI TEMPORE ob gelu Solo eximunt, atque radice panno involutâ in Hypocauſtis totâ HYEME ſuſpendunt, quò quidem ſæpenumero ab omni corruptione non tantum immunes ſervantur, verum etiam non modicum capiunt incrementum: Terræ tamen Vernis diebus rurſus commiſſas, radiisque Solaribus, Aëre pluvio & nubilo expoſitas, naturalem tandem virorem depoſuiſſe, nec non quaſi in ipſo interitus procinctu ingratum atque obſoleto-hepaticum induiſſe, poſteaque vireſcentem rurſus, atque nativum ſuum colorem omnino recuperaſſe aſteriſco notamus: Nunquam tamen thyrſum floreſcentem eo produxiſſe modo; Quod ſane ſi in Terrâ omni humiditate deſtitutâ permanent, in his inclementioribus FRISIÆ plagis fervidis præcipuè anni temporibus nonnunquam fieri videmus.

FINIS.

INDEX VERBORUM,
QUÆ HOC IN OPERE
DE
HERBA BRITANNICA.

Nec non ALOIDARIO continentur.

A.

ABamanteida. *Pag.* 7.
Abrahamus Ortelius. 22. 23. 127. 154.
Acetosa. 41. 49. Nigra Avicennæ. 52. Vulgaris. 49. Ejus Historia. 221. Minor Lanceolata. 49. Ejus Histor. 222. Lanceolata Minima. 49. Ejus Descriptio. 223. Romana Rotundi. 49. Ejus Hist. 224. Hispan. Maxima. 49. Ejus Descript. 225. Vesicar. Maxiocana. 49. Ejus Hist. 227. Annua Lusit. 49. Ejus Descript. 228. Annua Africana. 49. Ejus Hist. 230. Ann. Italica. 49. Ejus Descript. 230. 231.
Achamenidum. 8.
Acibar. 23. *p.*
Adagium Græcum. 72.
Adam Frisicè locutus. 35.
Adamus Lonicerus. 42. Quid de Aloë. 21. *p.*
Ad omnes admonitio. 70.
Ad Zoilos. 72.
Aëtius Amidenus. 51. Quid de Britannica. ibid. 112. 144. 187.
Agathius. 96.
Aglaoptiotis. 8. Ejus color. ibid.
Agriculturæ Studium omnibus necessarium. 189. 190.
Ακονιτὸν. 202.
Albertus Crantzius. 99.
Albertus Saxoniæ Dux. 99. Ejus petitio. ibid.
Albinus Torinus. 159.
Alciatus. 10.
Alckmarium. 24.
Alexander ab Alexandro. 101. Notatur. ibid.
Alimus. 8.
Alisma. 75.
Allaguey. 8.
Aloë. 23. *p.* Quo tempore exhibenda. 30. Mucronato folio Americana. 3. 8. Spinosa. ibid. Ejus miranda ætas. 4. 8. Quo anno Floruit. 4. Ubi. ibid. Radic. considerateo. ibid. Folior. ordo. ibid. Caulium dispositio. ibid. Illorum proceritas. ibid. Crassities. 6.

Ra-

INDEX.

Ramorum dispositio. 4. 7. Florum numerus. 7. Color. ibid. diuturnitas. 7. 8. Nominum Varietas. 8. Cultura. 9. Vires & usus. 10. 11.

Aloë Americana Minor. 12. Ejus Histor. ibid. Vires. ibid.

Aloë Serrata Major Umbellifera. 13. Ejus Hist. ibid. Vires. 14.

Aloë Ferox. 16. Ejus Histor. 17. Lanuginosa. 16. Margine luteo. ibid.

Aloë Purpurea lævis. 15. Ejus Hist. ibid. Vires. 16.

Aloë Vera Vulgaris. 17. Ejus Histor. 18. 19. Quoties Groningæ Floruit. 18. Succotorina. 23. 25. Hepatica. ibid. Caballina. 24. 26. Vera Minor. 20. Vera costâ Spinosâ. ibid. Histor. ibid. 21. Vera Major. 22. Ejus Historia. ibid. Succi Nomina varia. 23. Præparandi modus. ibid. 24. 25. Electio. 25. 26. Vires. ibid. Temperamentum. 27. Cultura. 33.

Aloidarium. 3.

Amatus Lusitanus. 17. 54. Quid de Britannica. 54.

Amaranthus. 74.

Amasis. 23. 24.

Amatsons. 82.

Amazones. ibid.

Ameland. 25.

Amesfordia. 24.

Ammianus Marcellinus. 90.

Ampffer, vel Amper. 42.

Amstel. 22.

Amstela fluvius, olim Sturius dictus. 17.

Amstel-Dam. vel. Amsterdam. 22.

Amstelrodamenses quinam? 17.

Amsterodamum. 22. 24. Ejus Vetustas. 22. Unde dictum. 24.

Amstur. 21.

Anacampherotes. 9. Ejus facultas. ibid.

Andreas Alciatus. 7.

Andreas Bellunensis. 52.

Andreas Lacuna. 27. 28.

Andreas Matthiolus. 37. 74. 77. Notatur. 38. 41. 44. 115. Reprehenditur. 45. 56. Accusatur. 47. Quid de Britannica. 55. 114. Laudatur. 56. 58. Quid de Aloë. 21. *p.*

Andreas Vesalius de Rad. China. 73.

D'Angel quid. 127.

Angina. 118. 163. Quid. 118. Quàm citò tollitur. 165.

Anglia. 128. 130. Unde dicta. 128. Olim Britannia vocata. 124. Quare Britannia dicta. 130.

Anthracites quid? 108.

Antonius Belgarum Gubernator. 157. A Romanis victus. ibid.

Antonius Musa. 57. 68. Ejus honor ac gloria. ibid.

Antonius Recchus. 6. 10. 14. *p.*

Aproxis. 8. Ejus vis. ibid.

Apulejus Platonicus. 120. 138. 159. Quo tempore floruit. ibid.

Aquæ Frisiæ Bituminosæ noxiæ. 185. Quos morbos generant. 17. In iis quare pisces nulli. 184. 185.

Aquarum Veneæ terræ color. 82.

Areaa. 23. *p.*

INDEX.

Arenacum. 25.
Arianeides. 9. Ejus vis. ibid.
Ariſtoteles. 37.129.
Armamentarium Romanorum. 128.129.
Armel. 8.
Arnoldus de Villa Nova. 63. 166.
Quid de Britan. 63.
Aromatariorum laus. 66.
Aſcia. 91. Quid? ibid.
Aſpaltites Quid. 108.
Aſtrorum Leges quibus neceſſariæ. 190.
Athanaſius Kircherus. 51.
Augtran quid? 117.
Avicenna. 52. Quid de Britannica. ibid.
Aulus Perſius. 26.
Ax. 91.
Axe. Sive Axe-byl. ibid.
Azaure. 23. *p.*
Azevar. ibid.

B.

BAduhenna lucus. *Fol.* 154. 155.
Barba Sylvana. 75.
Batavi. 17. Unde dicti. 22. Septentrionales. 17.
Batavia. 22. 25.
Bataw. 22.
Batawenburgum. ibid.
Batenburg. ibid.
Batua. ibid.
Benningawolda. 154.
Bera Quid? 82.
Betave. 22.
Betaw. ibid.
Betow. ibid.
Beverwycum. 24.
Bibo. 120.
Billingawolda. 154.
Birtangel. 127. 128.
Bivo. 119.120.
Blau-ſchuit. 141. Quid? ibid.
Blau-ſught. ibid.
Boekweite. 86.
Boert Angel. 127.
Boeren-Tange. ibid.
Bolſwardum. 24.
Bombi quid? 134.
Bona. 20.
Bong. Quid? 118.
Bonus Henricus. 49. 207. Ejus Hiſtor. ibid. & 208.209.
Branders quid? 134.
Bre quid? 125.
Breden quid? 126.
Breen quid Friſicè. ibid.
Bremenſes. 17.
Bret quid? 126. 127.
Bria hinca. 127.
Brie, vel Bri quid? 126.
Briet quid? ibid.
Brigada. ibid.
Brigantes. ibid.
Brigida. ibid.
Brik. Brikke quid? ibid.
Brila quid? 22.
Brilen quid? 132.
Brio. 64.
Briſt. ibid.
Briſtoris. ibid.
Brit, & Britten. 124. 131. Quid? 125. 126. 127. 129. 130. 131. 132.

Bri-

Britangel quid? 127.
Britanien quid? 125.
Britanniæ nomen unde? 130.
Britannica. 4. 5. 6. &c. Americana. 49. 200. Ejus Hiſtor. ibid. & 201. 202. Antiquorum Vera. 49. 190. Ejus Hiſtor. ibid. Verum Friſiorum Nomen. 27. Ab effectu inditum. 137. Sola inter omnes Lapathi Species aſtringit. 139. Quid ejus nomine ſigruficatur. 5 Quibus propria. ibid. Unde dicta. 6. Eam nullus hactenus Veram oſtendit. 7. Quorundam vana Ejus inventionis gloria. 7. 13. An Scyticum Nomen. 8. An Spartanica. ibid. An Halymus. ibid. Quid de eâ Autores ſtatuant? 8. Ejus Nomen antiquiſſimum. 10. Quibus nota. ibid. Neotericis hactenus ignota. 11. Ejus figura à nemine in medium adducta. 14. Quid afficit. 15. 142. In quibus locis à Deo creata. 16. 26. 184. A Friſiis demonſtrata Romanis. 17. An Magica ſit Herba. 9. An Lapathi Species. 31. 53. An Sylveſtris Rumex. 52. An Biſtorta. 54. 55. 59. 60. 61. 62. An Betonica, vel Vetonica. 57. 138. An Telephum. 58. An Cochlearia. 59. An Limonium. ibid. & 67.
An Behen Rubrum. ibid. An conſolidæ Species. 64. 67. An Becabunga. 65. An Cæpæa. ibid. An Antagallis Aquatica. ibid. An Veronica. 66. An Bugla. 67. An Symphytum. ibid. An Naſturtium Aquaticum. ibid. An Sanicula. ibid. An Pulmonaria. ibid. An Pyrola. ibid. An Lingua cervina. ibid. An Trifolium. ibid. An Trifolium. ibid. An Perſicaria. ibid. An Artemiſia. 69. An Herba Sancti Jacobi. ibid. An Plantago Aquatica. 78. Non eſt Betonica. 138. Quo modo inventa. 75. Quando. 133. Quo die. 80. In qua Terra. 110. Victoriæ indicium. 80. Ejus examinatio. 111. 151. 190. Deſcriptio. ibid. Foliorum conſideratio. 113. 151. 190. Folia quid per ſe poſſunt. 171. Radicis color. 115. 190. Collectio. 187. Caulis altitudo. 116. 191. Floris examinatio. 117. Seminis conſideratio. 142. 151. 172. 192. Anginas depellit. 118. 165. Britannicæ Etymon enucleatur. 121. 125. 126. 191. Eſt Friſica dictio. 124. 138. Quando periit ejus cognitio. 133. 157. 158. Ejuſdem Experimentorum enarratio. 144. Cujus libet Temperamento conveniens. 149. A Romanis & Græcis expetita. 153. In honore habita. 157. Quo Tempore, & quandiu eâ uſi fuerunt Romani. 153. 157. A Claudio Cæſare depingitur. 156. 157.

Romam deportatur. ibidem. In Triumphum ducitur. ibid. In Capitolio ſuſpenditur. ibid. Fulmine conſumitur. ibid. Ab Avicenna demonſtratur. 158. Quandiu Spreta latuit. ibid. Ejus mixtionis modus & uſus. 160. Ejus ſuccus ac pulvis. 159. Quid poſſit. 171. Quomodo ſervandus. 159. 160. Præcautio. ibid. Ejus Decoctum compoſitum. 161. Simplex. 162. Ejus Syrupus. 164. Gargariſmus. 165. Cataplaſma. ibid. 166. Unguentum. 168. 178. 179. 180. 181. Julapium. 169. Emplaſtrum. 169. 176. 177. Ejus Potio Vulneraria univerſalis. 170. Dentifricium. 172. Electuarium. 173. 174. Extractum. ibid. Spiritus. 175. Lavamentum. 177. Oleum. 181. 182.

Britannica & Rhabarbarum contraria. 171. Quid de ejus Compoſitionibus Veteres. 172. 183. Ejus proveniendi & florendi Tempus. 186. 187.

De Britannica multorum error. 64. 67.

Britannicæ nominis antiquiſſima ſignificatio. 131.

Britannicæ Vires ac Qualitates. 132. 138. 139. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 151. 152. 153. 159. 160. 163. 167. 171. 172.

Britannici montes quinam? 129.

Britannica Domus ſive Arx. 128. 289. 130. Aquo extructa. 128. Unde dicta. ibid.

Britlington. 127.

Briton. ibid.

Britſchen. 124.

Britſum. 127.

Brittenberg. 229.

Brittenburg. 124. 128. 156.

Britze. 124.

Britzert. 127.

Brygæ. 90.

Brytanæ qui? 126.

Brod. & Brood quid? 125.

Broek. 104.

Broihana quid? 82.

Bronchocele quid? 118.

Bruc. 104.

Bructeri. 17. 104. An Pruſſeni. 81. Unde dicti. 104. Quinam olim & nunc. 155.

Bructers. 104.

Bulapathum quid? 47. 49. Ejus Hiſtoria. 217.

Buna. 20.

Burg quid? 94.

Burgemeeſteren unde dicti. ibid.

Burgenſes & Burgers qui? ibid.

Burgh-Graven qui? ibid.

Burgundia. 94. Unde dicta? ibid.

Burgundi. ibid.

C.

CAjus Caligula. *Fol.* 156. Turrim Britannicæ Arci addidit. ibid.

Cajus Julius Cæſar. 153.

Cajus Valgius. 73.

Calabria quomodo olim dicta. 119.

Calliſtenes Hiſtoricus. 157.

Campi. 24.

Cani-

INDEX.

Canifetas. 22. Unde dicti. 19.
Carbo quid? 108.
Cardon. 8. *p.*
Carion. 89. 103.
Carolus Clusius. 60. Quid de Britann. ibid. Quid de Aloë. 6. 11. *p.*
Casparus Bauhinus. 67. Quid de Britann. ibid.
Castrum Scenkianum. 22.
Catecomer. 23.
Catera quid? 28.
Cauchorum pons. 19.
Cebar. 23. *p.*
Cellicia. 8.
Cerevisiæ ex aquis Bituminosis nocent. 185. Ventrem deturbant. ibid.
Cespes. 88. 89. 105. Ejus Nomen unde. 88. Quibus usibus inservit. ibid. & 102. Vivus quid? ibid.
Chauci. 17. Majores. ibid. Minores. ibid.
Chirurgi ante Medicos à Romanis admissi. 68.
Cicuta. 8. Socratis morte celebris. ibid.
Cimbers-wolt. 129.
Cimbri qui? 35. 97.
Cimbricus Pagus quinam? 129.
Circumforanei an admittendi? 70.
Cirsion. 114.
Clarigatio quid? 101.
Classis Anglorum diruta. 135.
Claudius Galenus. 31. 71. 141. 142. 172. 193. Quid de Britann. 31. Quid de Lapatho. 37. Laudatur. 111. 112.
Claudius Imperator. 5. Filium Britannicum dixit. ibid. 156.
Claudius Salmasius. 47. 90. Ejus error. 48.
Clunia quid? 82. 185. Unde dicta. 186.
Cluverus. 19. 22. 155. Culpatur. 20. 21. notatur. 128.
Clyn quid? 186.
Cnyf, Cniff. quid? 91.
Cœlius Rhodiginus. 91.
Coita quid? 82.
Commoda publica privatis antepo-nenda. 27.
Conradus Gesnerus. 57. Quid de Britann. ibid. Ejus error. ibid. quid de Aloë? 21. *p.*
Coriacesia Magica Herba. 8.
Corinthades. ibid.
Cornelius Celsus. 118. 163. Quid de Bronchocele. ibid.
Covordia. 133. Recuperata. ibid.
Craterus Medicus. 139.
Crops-wolda. 154.
Cuauci. 19.
Cuauchenbrugh. ibid.
Culeburgum. 22.

D.

DElphi. *Fol.* 22.
Democritus. 73.
Dentillaria. 139.
Deploranda narrantur. 69.
Deus quam mirabilis in operibus suis. 186.
Dibbaldus. 155.
Didius Avitus. 157.

Dio-

Diocarus Frisiæ Princeps. 154. 155.
Dion Cassius. 22.
Dioscorides, Quid de Britann. 29. citatur. 40. 41. Taxatur. 44. Emendatur. 112. 193. Quid de Aloë? 18. 21. p.
Dockumum. 24.
Dominus de Aylua. 121. Quid de Britann. ibid.
Domitianus Cæsar. 157.
Domitius Corbulo. 22.
Drakenbloed. 44.
Drusiana fossa quæ? 23.
Drusus Germanicus. ibid.
Duynen. 24.

E.

EDamum. Fol. 24.
EEgesippus. 96.
Elburgum. 24.
Enchusa. ibid.
Endymica mala quænam? 16.
Engelbrit. 127.
Ens. 25.
Eyerland. ibid.
Erysimum quid? 86.
Erythrolapathum. 44.
Euritius Cordus. 54. Quid de Britann. ibid.
Eutropius. 157.
Exemplum inauditum. 70. Triste. 71.

F.

FAbius Colomna. Fol.. 60. Ejus de Britann. error. ibid. 114.
Quid de Aloë? 6. 24. 25. p.
Fabrianus. 74.
Festus Pompejus citatur. 100.
Flecken quid? 141.
Francer. 95.
Franci qui? 94. De illis proverbium. 95.
Franciscus Gomara. 6. 10. 14. p.
Franeiscus Hernandez. 8. 12. 14. 16. 17. p.
Franekera. 24.
Franeker. 95. Unde vocata. ibid.
Frisia. 24. 25. Ejus Antiqua & Hodierna insignia. 107. 108.
Frisiabones qui? 17. 19. 20.
Frisii Majores. 17. 20. Eorum terminus. 24. Gens libera. 98. Orientales. 17. 24. Occidentales. ibid.
Friffi Minores. 19. 20. 24. Eorum terminus. 23.
Frisiorum Endynici morbi. 17. Eorum proverbium. 23. Insulæ quæ? 25. Illorum linguæ hactenus inviolata. 36. Ab externis non intelligibilis. 138. Eorum mores. 93. Nomina in A. E. & O definentia. 137.
Frumentum Sarracenicum quid? 86.

G.

GAbriel Humelbergius. Fol. 119.
GTaxatur. ibid.
Gagates quid? 108.
Galatia. 90. Unde denominata. ibid.

INDEX.

Gallo-Græcia. 90.
Ganz quid? 117.
Garcias ab Horto. 17. Quid de Aloë. ibid.
Geelmuida. 24.
Geldri. 17.
Gelotophyllida. 9. Ejus vis. ibid.
Georgius Handscius. 77.
Germanicus Cæsar. 154.
Glass quid? 117.
Gorchumum. 22.
Gothica Gens quæ? 98.
Gothi Frisiam invadentes. 157.
Gotofridus Viterbiensis. 92.
Gouda. 23.
Groninga. 24. 133. Quandiu & à quo obselsa. ibid. Ejus Cives imperterriti. 134. Bellicosa eorum virtus. 135.
Gualterus Riffius. 54. Quid de Britann. ibid.
Guilielmus Cambdenus. 61. Ejus de Britann. opinio. ibid.
Guilielmus Rondeletius. 74.
Guilielmus Rovillius. 65. Quid de Britan. ibid.
Guilielmus Turnerus. ibid. Ejus de Britann. Sententia. ibid.

H.

HAarworm. *Fol.* 75. quid? ibid.
Hadrianus Junius. 22. 61. Ejus de Britann. opinio. ibid.
Haga. 22.
Hamad quid? 43.
Harderwicum. 24.
Harlemium. 24.
Harlinga. ibid.
Harmel. 8.
Hassellium. 24.
Helii pes & exitus. 22.
Helvoet. ibid. 81.
Heneti. Unde denominati. ibid.
Herbarum cognitio non facile acquirenda. 79. Quarundam facultates. 147.
Herbarum Inventoribus Honos. 73.
Hermesia. 9. Ejus potentia. ibid.
Hermolaus Barbarus. 56. 63. 84. 159. Notatur. 119.
Herosvitha Monialis. 92.
Hica quid? 131.
Hieronymus Tragus. 56. Quid de Britann. ib 57. quid de Aloë? 21. *p.*
Hieronymus Sanctus. 71. Ejus lamentatio. ibid.
Hippicis. 9. Ejus vis. ibid.
Hippocrates. 167.
Hippophonada. 8. Ejus miranda radix. ibid.
Hyc. 131. Quid? ibid.
Hyck. ibid.
Hydrolapathum. 46. Nigrum. 49. 190.
Hylo y Aguia. 8. *p.*
Hyppolapathum. 46. 47. 48. 198. Ejus Historia. ibid. & 199. Rotundum. 49. 192. Ejus Histor. 193. 194. Album Sylvestre. 49. 205. Ejus Histor. ibid. & 206. Rubrum Sylvest. 49. 207. Ejus descriptio. ibid.
Hollandia. 25.
Homo μικρόκοσμος dictus. 3. Ejus præ-

INDEX.

præstantia. 2. fragilitas. 3.
Horatius. 13. 71. 88.
Horna. 24.
Hostis fuga. 135.
't Huis te Britten quid? 128. 129. 130.
Humadh quid? 43.
Humelbergius. 160.
Hunnica Gens quæ? 98.
Hus. 20.
Husbonde. ibid.

I.

JAcobus Dalechampius. 65. Quid de Britan. ibid. reprehenditur. 117.
Jacobus Goupilius. 114. Quid de Britann. ibid.
Jacobus Tabernæmontanus. 72. Quid de Aloë. 21. p.
Janus Cornarius. 36. 61. Quid de Britann. ibid.
Ica quid? 131.
Icterus Niger. 141.
Joachimus Camerarius. 44. Quid de Britannica. 55. De Aloë. 21. p.
Joannes Agricola. 54. Quid de Britann. ibid.
Joannes Ammonius. 56. Quid de Britann. ibid.
Joannes Bauhinus. ibid. Quid de Aloë. 23. p.
Joannes Bodæus à Stapel. 67. Quid de Britann. ibid. & 114.
Joannes Crispinus. 114.
Joannes Christovallus. 128.
Joannes Fernelius. 142.
Joannes Fungerus. 62. Ejus de Britann. opinis ibid.
Joannes Goropius Becanus. 35. Quid de Britann. 121. 122. Reprehenditur. 123. 124. Ejus de Plinio opinio. 122.
Joann. Henricus Cherlerus. 67. Quid de Brit. ibid.
Joannes Manardus. 118. Quid de Aloë. 31. p.
Joannes Ruellius. 53. 114. Quid de Aloë. 19. p.
Joannes Wierus. 64. 140. Quid de Britann. 64. 65. Taxatur. ibid.
Josephus Quercetanus. 174.
Isala. 23.
Iselstenium. ibid.
Julianus Martianus Rota. 142.
Julius Cæsar. 126.
Justinianus Imperator. 6.

K.

KIlifita quid? 82.
Klyn quid denotat? 105. 186.
Klyniaci Cespites. 105.

L.

LAmpatz. 45.
Lapathum qualis Herba? 34. 37. Quid Cimbricè denotat. ibid. Quo nomine Japetico dicitur. 36. Sativum quodnam? 38. Ejus descriptio. 192. An Monachorum Rhabarbarum. 38. A Plinio Rumex dictum.

ctum. 39. Hortenſe loniceri. ib. Cantherinum. 40. 41. Sanguineum. 44. 49. Ejus Hiſtoria. 211. Sylveſtre. 49. Sativum Rotundif. ib. 192. Propagandi modus. 194. Fimbriatum Rotundif. 49. 194. Ejus cultura. 196. Chinenſe longifolium. ibid. Ejus foliorum ac Florum ſeries. 197. Sativum Antiquorum. 39. 49. 148. Ejus radix, Folia, & Flores. 190. 191. 192. Longifolium Nigrum Paluſtre. 49. 190. Ejus Hiſtoria. 198. 199. Vulgare Album, & Rubrum. 49. 205. 206. 207. Eorum Hiſtor. ibid. Unctuoſum. 49. 207. Ejus Hiſtor. ibid. & 208. 209. Paluſtre Nigrum Hen. Muntingii. 116. Virginianum. 200. Ejus Hiſtoria. 200. 201. 202. 203. Conſervandi modus. 202. Vires. ibid. Hortenſe. 203. Ejus ſpecies, & Hiſtor. ibid. & 204. Acutum. 49. Ejus Hiſtor. 209. Longifolium criſpum. 49. Ejus deſcriptio. 210. Planum paludoſum. 49. Ejus Hiſtor. 213. Vulgare Minus. 49. Ejus Deſcriptio. 215. Minus Dentatum. 49. Ejus Hiſtoria. 216. Fibroſum. 49. Ejus Deſcriptio. 217.

Lapatzens-kruid. 39.
Lapis Leodienſis. 108.
Lappatz. 45.
Lecca fluvius. 22. A quo effoſſus. ib.
Leerdamum. ibid.
Leonardus Fuchſius. 54. 78. Quid de Britann. 55. Ejus error. ibid.
Leovardia. 24. 155.
Lera. 129.
Letterbrit. 127.
Lingua Friſica omnium antiquiſſima. 129.
Lippitudo quid? 140.
Lithanthraces qui? 108
Longobardica Gens quæ? 98.
Lucas Chinus. 74.
Lucius Apronius. 154.
Lucius Maximus. 157.
Lucius Moderatus Columella. 189. Rei Agreſtis præceptor. ibid.
Quid de Aloë. 18. *p.*
Lugdunum Batavorum. 24.
Lutius Annæus Florus. 128. 153.
Lutum Plinii quid? 103. 106. 107.

M.

MAlloriges. *Fol.* 155.
Manguei. 8. Montanum. ibid. Divinum. 12. *p.*
Marcus Cato. 73.
Marcus Zuerius Boxhornius. 20.
Manilius adducitur. 36.
Mare Belgicum. 123. Friſicum. ib. Vadoſum. 155. Auſtrinum. 23.
Marſakſers. 25.
Marſatii quinam? 16. 25. Eorum nomen unde. ibid.
Matianus Jureconſultus. 101. refutatur. ibid.
Martianus Hamconius. 20. 108. 123.
Matthæus Sylvaticus. 63. 166. Quid de Britannica. 63.
Matthias Lobelius. 59. Ejus de Britanniça opinio. ibid.

Mattiaci quinam? 23.
Mauritius Imperator. 91.
Medenbleca. 24.
Medici quo tempore Chirurgis Majores habiti. 68. 69. Eorum Privilegium. 68.
Menaides qualis Herba. 8. Ejus Natura. ibid.
Metl. 8. 14. 17. *p.*
Mexcal. Metl. 17. *p.*
Μικρόκοσμος. 3.
Mindanenſes. 17.
Miranda Dei potentia. 1. Bonitas. ibid.
Mittelbrit. 127. 128.
Myſi. 90.
Moer. 80.
Moly Homericum. 7. An Orphicum Vocabulum? Symbolum, vel Herba? ibid.
Momma quid? 82.
Monaſterienſes. 17.
Monochodamum. 24.
Montifortium. 23.
Moras. 80.
Moraſſen, Mooren. 48.
Morbi Friſiæ Endymici Priſcis incogniti. 182.
Mori unde denominati? 106.
Morina Terra. 103. An lutum Plinii. ibid. Ejus Species. 104. 105. 106. Color, & præparatio. 105.
Muida. 24.
Muma quid? 82.

N.

NAarda. *Fol.* 24.
Nabalia Fluvius. 23. 24.
Nabel. ibid.
Natura quàm mirabiliter operatur. 185. Quid Indis dedit? ibid. Quid Gallici Oceani incolis. ibid.
Navel. 24.
Neceſſitas dura quid excogitat? 108.
Nero Imperator. 157.
Nicolaus Abrahamus. 167. 168.
Nicolaus Rigaltius. 91.
Niebrit. 127.
Noord-Zee. 127.
Normanni Friſiam occupantes. 157.
Numiſma Studioſis exhibitum. 134.

O.

OCeanus Gallicus. *Fol.* 18. 123. Germanicus. ibid. Cimbricus. 25. Friſicus. ibid. Saxonicus. ibid. Septentrionalis. 18.
Octavius Auguſtus. 153. 154.
Oξις Græcè quid denotat? 41. 42. 43.
Oldebrit. 127.
Oldenburgenſes. 17.
Ooſtfali. 91.
Ophiuſa. 9. Ejus vis. ibid.
Oribaſius Sardianus. 51. Quid de Britann. ibid. Emendat. 112.
Oſcedo. 141.
Oſdorp. 24.
Oſnabrugenſes. 17.
Oſſedo. 159.
Oſtago quid? 141.
Ouderkerk. 24.

Ovidius. 84. 187. Quid de Topho? 84. 87. 97.
Oxalis. 40. 41. Annua Lusitanica. 49. Annua Africana. ibid. Annua Italica. ibid. Hispanica Maxima. ibid. Lanceolata Minor. Minima ibid. Romana Rotum difolia, ibid Vesicaria Mexiocana. ibid. Vulgaris. ibid.
Oxylapathum. 43. 44. 49. 209. Acutum. ibid. Fibrosum. 49. 217. Longi fol: erispum. 49. 210. Minus Dentatum. 49. 218. Minus Vulgare. 49. 215. Planum Paludosum. 49. 213. Sanguineum. 49. 211. Tuberosum Americanum. 49. Ejus Historia. 218. An Lapathum Sylvestre. 111.

P.

PAnacea Belgarum. Fol. 184.
Panicum. 86.
Paratella. 36.
Paratilla. ibid.
Parella. ibid.
Paricella. ibid.
Paritilla. ibid.
Pati. 16.
Patientia quid? 40. 49. 198. Ejus Histor. 199.
Patziens-crud. 39.
Paulus Ægineta. 51. Quid de Britann. ibid. Quid de Aloë. 30. p.
Paulus Merula. 157.
Paulus orosius. 95.
Persii Dictum. 70.
Petrus Bertius. 23. 154.
Petrus Pena. 59. Ejus de Britannica opinio. ibid.
Piatamano quid? 53.
Piers Hille. 22.
Pyrhus castriotta. 73.
Pythagoras. ibid.
Plaggen quid? 102.
Plato citatur. 36. 183.
Plantago Aquatica. 75. 77. Examinatur. 76. An vera Britannica? 78. 79. An Themisonis. 78.
Plekken quid? 141
Plinius. 8. 9. 18. 103. 139. 144. Notatur, & corrigitur. 19. 32. Defenditur. 21. 40. 101. 123. Restituitur. 22. Quid de Britannica. 30. 116. 117. Quid de Lapatho? 32. 33. A Matt. hiolo malè reprehenditur. 43. Quid de Topho. 83. 85. 87. Quid de Aloë. 24. 28. 32. p. A Garcia malè reprehenditur. 32.
Πρυκτας quid? 130.
Πρυκτόρια. ibid.
Πρυτεν. ibid.
Plutarchus. 183.
Pompejus Lenæus. 73.
Pompejus Paullinus. 157.
Pontanus. 84.
Porphyrius. 139.
Potentia Dei miranda. 135.
Πρυτανείον. 130.
Privilegium Medicorum. 68.
Prytanæum. 130. Quid? ibid.
Prytanis, & Britanes quid? 126.
Procopius citatur. 95.
Protheus. 10.

Proverbium Groninganorum. 185.
Providentia mira Divina. 16. 135. 184.
Pruſſani. 81. Non ſunt Bructeri. ibid.
Purmerenta. 24.

Q.

QUakenbrugh. Fol. 19.
Quauci. ibid.
Quintilius Varus. 153. 154.

R.

REgino Prumienſis. Fol 22.
Regnerus Prædinius. 65.
Regum duorum Claſſis ſuperata. 135.
Rembartus Dodonæus. 57. 77. Quid de Britannica. ibid. & 59. Ejus prudentia. 58. 59. Error. 57. Quid de Aloë. 21. p.
Remedium optimum adverſus Scorbutum. 188.
Rha. 48.
Rhabarbarum. ibid. Verum Rotundifolium. 49. 192. Verum Matthioli. 49. 196. 197. Rotundifol. fimbriatum. 49. 194. Lanuginoſum. ibid. & 196. Monachorum. 49. 198.
Rhaponticum. 48.
Rharittella. 37.
Rharittel. ibid.
Rharitter. ibid.
Rharitteren. ibid.
Rhena. 25.
Rheum. 48. Antiquorum. 49. 192.
Rhoridder. 48.
Rhoritter. ibid. & 121.
Rit. 48. Quid Friſicè. 121.
Rittannica. ibid.
Ritteren quid Friſicè? ibid.
Rob quid? 143.
Rogge. 86.
Roterodamum. 22.
Ruit. 121. Quid Friſicè. ibid.
Rumex. 36. 37. 51. Sativus. 39. 40. Canpferinus. 49. Ejus Hiſtoria. 221. Cantherinus. 40. Niger Ætii. 51. 53. 187. Sylveſter exiguus. 41. 49.
Rut. 48.

S.

SAc. 89. Quid denotat? ibid. & 91.
Sacæ qui? 90.
Sacci, Sagi, Sagæ, Sagenæ &c. unde dicta. 89.
Sache, & Sage quid? ibid.
Sachonia. 89.
Saec quid? 91.
Saece, & Saeke quid? ibid.
Saes quid? 91.
Sag, & Sagde quid? 89.
Sagma, & Sagmen. ibid. Quid denotat? 91. 93. 101. 102. Torridum quid? 110.
Sagmina. 100. An Verbenam denotent. ibid. & 101.
Sagum quid? 92.
Saicht quid? 91.
Sanguis Draconis Herba. 44. 49. Hiſtor. 211.

Sas. 91.
Sassen. 98.
Sassones. 89.
Sassonia. 98.
Saxen qui & quid? 91. 92. 98.
Saxfrisii. ibid. Eorum Nomen unde? ibid.
Saxones prisci sunt Frisii. 17. 90. An à Saceis orti. 89. 91. Eorum mores. 93. Antiqua libertas. 94. Franci dicti. 96. Cimbri vocati. 97. Eorum vocabulum unde. 98. 119.
Saxoniæ Ducum insignia quæ? 98. Eorum jus venditum. 99.
Der Schelling. 25.
Scelotyrbe. 16. 17. 75. 139. 157. 187. &c.
Scheurmond quid? 140.
Schokken quid? 102.
Schylex. 9. Ejus facultas. ibid.
Schoonhovia. 23.
Schorbeen. 140. Quid? ibid.
Schorbey. 17.
Schorbek. ibid.
Schorbygras quid? 64.
Schorbuc, & Schorbut. 17. 140. 141.
Schorbuik. ibid. Quid in specie. ib. Ubi grassatur. ibid.
Schorbum. 17. 140.
Scorbutus morbus. ibid. in quibus locis grassatur. 25. Qualis deprehenditur. 131. Ejus qualitas. 140. Notæ. ibid.
Schorfloof. 48.
Schorflos. ibid.
Schormond quid? 140.
Sedum Amarum. 18. p.
Segon quid? 155.
Sement quid? 85.
Sempervivum. 18. p. Marinum. ibid.
Seneca. 126. 183.
Septem Sylvæ. 155.
Serapio quid de Aloë? 32. p.
Sicambri. 17.
Sidonius. 85.
Simers-wolt. 129.
Synanche. 160. Quid? 163. Unde dicta. ibid.
Slota. 24.
Sloterdijk. ibid.
Slooten. ibid.
Sneca. ibid.
So & Sode quid? 88. 102.
Sol siderum Dux. 2.
Solinus Polyhistor. 90.
Spinachia. 49. 203. Ejus species, & Histor. ibid.
Spit. 88.
Sprouw. 140. Quid? ibid. & 163.
Squinancia. ibid.
Statius. 84. Quid de Topho. ibid.
Stavora. 24. 155.
Steenwicum. 24.
Strabo. 81. 90. 139.
Stink-potten quid? 134.
Stomacace. 16. 17. 75. 139. 140. 157. 187. &c.
Stur quid? 21.
Sturii qui? 16. Eorum locus. 21. Antiquus Terminus. 24. Qui olim fuêre. ibid. Unde denominati? 21.
Sturius Fluvius. 17.

INDEX.

De am Stur. 21.
De Stuur. ibid.
Stuypen. 174.
Suetonius Tranquillus. 68. 128. 156.
Swolla. 24.

T.

TAangelida. *Fol.* 9. Ejus vis. ibid.
Tacitus. 5. 20. 21. 22. 90. 96. 123. 154. 157. &c.
Tan, & Tand. quid? 131.
Tanica quid? ibid.
Termyn. 174.
Terra Lutosa 105. Cœnosa. ibid. Morina. ibid. 106. Venea. ib. 109. Tophacea dicta. ibid.
Texel. 25.
Thalassegla. 9. Ejus facultas. ibid.
Themison de Plantagine. 73.
Theombrotium. 9. Ejus vis. ibid. A Persarum Regibus in deliciis habita. ibid.
Theometl. 12. *p.*
Theophrastus Eresius. 9. &c. Nec hic, nec crateva, neque Hippocrates Britannicam noverunt. 29.
Theriionarca. 9. Ejus vis. ibid.
Thyni. 90.
Tilia. 22.
Tobias Aldinus. 46. *p.*
Toffteen. 85.
Tofland quid? 87.
Tophocea Terra. 85. Quid denotat. 102.
Tophus. 83. 84. 85. 87. An Pumex Lapis. ibid.
Tor. 109. Quid? ibid.
Torf. ibid. quid? ibid.
Torf-land. 110.
Torf-torse quid? 109.
Torridum Tophum quid? 110.
Torven. 199. Quid? ibid.
Toverschen quid? 105.
Toxandrorum Insulæ quæ? 23.
Tragotrophon quid? 86.
Trebellius Pollio. 96.
Turf Quid? 109. Harde Turf. 105. Grawe Turf. ibid. Lichte Torf. ibid. Witte Torf. ibid. Baggelaar Turf, & Bagger Turf. 107. Modder Turf. ibid. Sponde Turf. ibid. Vaale Turf. 109.

V.

VAccarum venni. *Fol.* 110.
Vahalis Fluvius. 22.
Valeria Messalina. 5.
Valerius Maximus. 97.
Veen. 81. 86.
Veenen quid? 48.
Vegetius. 184.
Venæ. 81. Unde dictæ. ibid.
Vendelen. ibid.
Vend. ibid.
Ven. ibid. & 86.
Venenum. 81. Unde vocatum. ibid.
Venerea. ibid. Unde denominata. ibid.
Veneti. ibid. Unde dicti. ibid. Eorum pagus. ibid. Natura. 82. Fœminæ. ibid.
Venetia. 81. Unde dicta. ibid.
Venetica, sive Venea Terra. 83. 84. 86. Quid possit. ibid. An Topha-

phacea Terra veterum. 85. 86. 100. Optimos Cespites submi-niſtrat. 102. An lutum Plinii. 103. 107. Ejus variæ ſpecies. 105. Color & præparatio. ibid.
Venoſus. 81. Unde dictus. ibid.
Venus. ibid. Unde denominata. ibid.
Verbena. 101. Quid denotat? ibid.
Verdani. 17.
Vergobretum quid? 126.
Verritus. 155.
Veſpaſianus Cæſar. 157. Quoties cum hoſte dimicavit. ibid.
Veteraquinum. 23.
Veteres quibus Herbis uſi fuêre. 189.
Viana. 22.
Vibo quid? 119.
Vibones quid? 117. 118.
Vibong, & Vibon quid? ibid. & 120.
Vienmora. 81.
Villa Cruptoricis. 154. 155.
Vind. 81.
Vindelici. ibid.
Virgilius. 85. 86. 87. 189. Quid de Tophacea Terra, & Topho. 85. 86. 108.
Vlaerdinga. 22.
De Vlegt. 75. Quid? ibid.
Het Vlie. 23.
Vlieland. 25.
Vollenhovia. 24.
Voorna. 22.
Vordum. 23.
Urck inſula. 25.
Vriftandica & Vrijftandica. 121.
Quid? ibid.
Vuiren quid? 107.

W.

WAgeninga. Fol. 25.
Wandalica Gens quæ? 98.
Waterlandi quinam. 17.
Water-Ridder. 116.
Het Wat. 155.
De Wee. 169. Quid? ibid.
Wener. 81.
Weſopum. 24.
Weſterbroek. 80. unde dictum. 81.
Weſtfali. 91.
Wieringen. 25.
Wimora. ibid.
Withikindius. 92.
Wijk-te-Duirſtede. 23.

Y.

YLſta. Fol. 24.

Z.

ZElandia. Fol. 25.
Zelandi. 23.
Zuyder-Zee. 23.
Zutphanienſes. 17.

ERRATA MINIMI MOMENTI

Hoc modo emendanda.

FOlio 2. linea 13. ingremio, lege, in gremio. lin. eâdem crescîti, lege, crescite. lin. 31. rarum, lege, rerum. fol. 5. lin. 29. triumphevit, lege, triumphavit. lin. 31. testa, lege, teste. lin. 38. usurpaevrunt, lege, usurpaverunt. fol. 6. lin. 5. 6. in in finem, lege, in finem. fol. 7. lin. 4. Triumpsum, lege, Triumphum. lin. 8. nomina, lege, nomine. lin. 22. commoda, lege, commodè. fol, 8. lin. 22. Armal, lege, Armel. lin. 31. congeleantes, lege, congelantes. fol. 9. ERASIUS: Ad eundam, l. ERESIUS: Ad eundem. fol. 10. lin. 3. ceremsniis, l. ceremoniis. lin. 15. spécias, l. spécies. lin. 34. prodidernnt, l. prodiderunt. fol. 11. in margine, dianè, l. planè. fol. 12. lin. 5. osttentare, l. ostentare. fol. 14. lin. 34. janctantiæ, l. jactantiæ. fol. 17. lin. 2. Batavis, l. Batavi. fol. 18. lin. 21. hodie Germanicum, l. hodie Mare Germanicum. fol. 19. lin. 30. Frisiaco expressa, l. Frisiaco adversus expressa. fol. 23. lin. 1. Borhornius, l. Boxhornius. fol. 24. lin. 27. ex capturâ, l. ex piscium capturâ. fol. 32. lin. 7. Lapathis, l. Lapathi. lin. 18. candidisque, l. candidiusque. fol. 34. lin. 38. laborioſos, l. laboriosis. fol. 38. lin 6. ERASIUS, l. ERESIUS. lin. 7. ALTHEA, l. ALTHÆA. fol. 48. lin. 12. radics, l. radices. lin. 14. VENEDICO, l. VENETICO. lin. 26. Rhenum, l. Rheum. fol. 51. lin. 14. astringit, l. astringit. lin. 18. tomi primo, l. tomi primi primo. fol. 52. lin. 15. Berlanibi, l. Berlaniki. fol. 55. lin. 11. evicendam, l. evincendam. fol. 56. lin. 23. Medici, l. Medicæ. fol. 57. lin. 24. DIODONÆI, l. DODONÆI. fol. 58. lin. 7. suppositium, l. suppositititium. lin. 22. & in marg. Osedo, l. Oscedo. Fol. 59. in marg. senteniia, l. sententia. fol. 61. lin. 2. Zuiccanienſi, l. Zuiccauienſis. lin. 6. Chorographica, l. Chorographicâ. l. 7. differentiam, l. differentem. lin. 27. STRABONE, l. STRABONI. fol. 62. lin. 14. qsioquè, l. quoquè. fol. 64. lin. 7. eundem, l. eadem. fol. 66. lin. 1. Cepæam, l. Cœpæam. lin. 8. AROMATORIOS, l. AROMATARIOS. lin. 9. simplium, l. simplicium. lin ult, Jatraliptæ, l. Jatraleptæ. fol. 67. præclare, l. præclaræ. fol. 69. lin. 29. inutelerint, l. intulerint. Fol. 70. lin. 10. cominis, l. cominus. fol. 72. lin. 32. quùm, l. quàm. lin. 37. magnibus, l. magnis. fol. 73. lin. 33. Vitos, l. Viros. fol. 74. lin. 4. Bacharim, l. Baccharim. lin. 10. Pharmacopærum, l. Pharmacopæorum. lin. 16. patribus, l. partibus. fol. 75. lin. 8. capite, l. capitis. fol. 77. lin. 1. morborum addidisse, l. morborum remedium addidisse. lin. 17. non alia, l. an alia. lin. ead. inquerire, l. inquirere. lin. 38. ANAGALIDDI, l. ANAGALLIDI. fol. 78. lin. 32. abſit prorſus, l, abſit; prorſus. fol. 80. lin. 3. ingenui, l. ingemui. lin. 19. flosculus, l. flosculis. lin. 20. naviculum, l. naviculam. lin. ead. appellare, l. appellere. lin. 23. egregieè, l. egregiè. fol. 82. lin. 11, 12. Efuunt, l. Effluunt. lin. 22. Baræ, l. Beræ, in marg. Groningani kilifit, l. Groninganis kilifyt. fol. 83. lin. 24. Britannaſque, l. Britannicaſque. fol. 84. lin. 6. minorem, l. minorum. lin. 27. ſimilitudinem, l. ſimilitudinis. fol. 85. lin. 11. rarâ, l. rara. lin. 16. frigidores, l. frigidiores. fol. 86. lin. 26. alies, l. alios. fol. 87. lin. 10. qaalitate, l. qualitate. fol. 88. lin. 11. ceſpetis, l. ceſpitis. lin. 25. ædificorum, l. ædificiorum. lin. 27. tempora, l. tempore. fol. 89. lin. 12. Ac, l. Ad. fol. 90. lin. 27. progreſſi, l. progreſſu. lin. 30.

orbis

ERRATA.

orbis Europâ, l. orbis in Europâ. lin. 36. indigenas docet, l. indigenas esse docet, fol. 91. lin. 4. ostfalos, l. oostfalos. lin. 16. Frisiâ, l. Frisicâ. lin. 17. salsem, l. falcem. lin. 23. linguarii, l. lignarii. fol. 92. lin. 10. AMNE, l. ANNONE. l. 34. hoc, l. hos. fol. 94. lin. 26. incolæ Burgers, l. incolæ Burgenses, Burgers. fol. 95. lin. 14. adhæc, l. ad hæc. lin. 15. Pranecer, l. Francer. fol. 96. lin. 25. ἀξανυς, l. ἀξονυς. fol. 97. lin. 20. Talaque, l. Telaque. lin. 29. instrumentam, l. instrumentum. fol. 98. lin. 2. Francia, l. Francica. fol. 99. lin. 1. prœter, l. præter. lin. 28. temporibus, l. temporis. fol. 100. lin. 35. ruptas, l. raptas. fol. 101. lin. 31. farebat, l. ferebat. lin. 37. 38. FOECIALUM, l. FOECIALIUM. fol. 102. lin. 8. cum Gramen, sive citra Gramine, l. cum Gramine, sive citra Gramen. lin. 24. Venaæ, l. Veneæ. fol. 104. lin. 14. a colore, l. ac colore. lin. 29. Pœnibus, l. Pœonibus. fol. 105. lin. 22. CBSPITES, l. CESPITES. fol. 106. lin. 22. at multi, l. ut multi. liu. 35. siccio, l. siccior. fol. 107. Veneâ, l. Veneæ. fol. 108. lin. 6. magnaminâ, l. magnanimâ. lin. 12. Frisii, l. Frisiæ. lin. 16. OMLANDIA etiamnum, l. OMLANDIA) etiamnum. fol. 109. lin. 2. 3. & Brabantiâ, l. & in Brabantiâ. liu. 24. significationes, l. significationis. lin. 29. Runc, l. Nunc. lin. 35. nomini, l. nominis. fol. 111. lin. 11. mox &, l. mox ex. lin. 13. & om-, l. ex om-. lin. 32. sylvsteribus, l. sylvestribus. fol. 119. lin. 24. oppidum, Monte, l. oppidum Montis. fol. 120. lin. 13. atqui, l. atque. fol. 122. lin. 25. plurimus, l. plurimis. fol. 124. lin. 25. ae, l. ac. fol. 125. lin. 21. cossando, l. coassando. fol. 128. lin. 17. Christvallus, l. Christovallus. fol. 130. lin. 1. dic, l. dici. fol. 131. lin. 2. Prytanei, l. Prytanæi. fol. 132. lin. 8. ginguivis, l. gingivis. lin. 14. moribus, l. morbus. lin. 21. Herba, l. Herbæ. fol. 133. lin. 23. MAGISTRATUM, l. MAGISTRATUUM. fol. 135. lin. 4. exitit, l. extitit. lin. 11. licet, l. scilicet. lin. 15. planam, l. plenam. lin. 18. unam, l. ununi. fol. 136. lin. 24. sequitur, l. sequetur. fol. 137. lin. 6. IMPERIORIORUM, l. IMPERIORUM. lin. 17. ad, l. ac. lin. 35. Frivilingo, l. Fivilingo. fol. 38. lin. 26. Pritannicæ, l. Britannicæ. lin. 28. perstringedus, l. perstringendus. fol. 139. in marg. Strabo l. 5. l. Strabo l. xvi. fol. 140. lin. 12. libri, l. libro. lin. 29. xocant, l. vocant. fol. 142. lin. 20. uleribus, l. ulceribus. fol. 143. lin. 19. BRITANNCÆ, l. BRITANNICÆ. fol. 144. lin. 24. lavoraverat, l. laboraverat. in marg. experitum, l. experimentum. fol. 145. lin. 7. refrigratus, l. refrigeratus. lin. 13. usus, l. usu. lin. 31. pharmacoporum, l. pharmacorum. fol. 146. lin. 2. marâ, l. morâ. fol. 147. lin. 12. curatâ, l. curata. fol. 149. lin. 8. usurpatâ, l. usurpata. lin. 10. experimentur, l. experientur. lin. 25. Rhabarb. ʒss. l. Rhabarb. ℥ss. fol. 150. lin. 26. morbos præ, l. morbos, ac præ. fol. 151. lin. 15, 16. Chalcicitis, l. Chalcitis. fol. 158. lin. 23. dulcissimi, l. dulcissimis. fol. 165. lin. 26. salis prunellæ ʒij. l. salis prunellæ. lin. 27. Croci ʒj. l. Croci ana ʒj. fol. 168. lin. 19. sisisset, l. sistisset. fol. 171. lin. 17. haustis, l. haustus. fol. 172. lin. 22. hoo, l. hoc. in marg. 2. l. secund. fol. 173. lin. 16. ana ʒiij. l. ana ʒij. fol. 174. lin. 13. vici, l. visci. fol. 177. lin. 7. inflammationem, l. inflammationibus. lin. 27. ana ʒj. l. ana ℥j. fol. 178. lin. 6. ana manip. l. ana manip. & ss. fol. 179. lin. 9, 10. ALIUD, ℞. &c. l. ALIUD. Ad Capitis vulnera efficacissimum. ℞. &c. fol. 180. lin. 13. Britannicæ, ℥viij. l. Britannicæ ʒvij. lin. 27. Mucis, l. Nucis. lin. 28. Spica, ℥ss. l. Spicæ ℥ss. fol. 187. lin. 18. Stomacci, l. Stomacacci. fol. 188. lin. 17. tepi-

ERRATA.

tepidum, l. tepidam. fol. 190. lin. 6. negotiationes, l. negotiationes. fol. 192. lin. 33. CENTAURI, l. CENTAURII. fol. 194. lin. 1. insistens, l. insistentes. lin. 3. FLORES, l. FLORUM. fol. 196. lin. marescentes, l. marcescentes. lin. 21. naturæ, l. Naturâ. lin. 24. LANGINOSUM, l. LANUGINOSUM. fol. 197. lin. 11. transversorum, l. transversorum. lin. 25. annutim, l. annuatim. lin. 28. 29. purpurescente, l. purpurascente. fol. 199. lin. 1. prosiliunt. Caul: &c. le. prosiliunt, donata. Caul: &c. lin. 12. 13. atque auctiora, modò ex illa, l. atque auctiora, modò ex hâc, modò ex illâ. pauco, l. pauca. lin. 27. marescunt, l. marcescunt. lin. 29, 30. gammulâ, l. gemmulâ. pulchra, l. pulchrè. fol. 200. lin. 33. fimbriatis exornata, unica &c. l. fimbriatis, atque unicâ &c. fol. 201. lin. 2. conspicitur; ore, l. conspicitur; exornata: ore. lin. 19. inferioribus, l. inferioris. fol. 203. lin. 8. Annus, l. Annuæ. lin. 17. sesquipedes, l. sesquipedis. fol. 206. lin. 11. multa, l. multo. fol. 207. lin. 31. simirotundis, l. semirotundis. fol. 208. lin. 8. semicirculari, l. semicircularia. lin. 33. interni, l. internè. fol. 212. lin. 33. cirumdatus, l. circumdatus. fol. 213. lin. 16. 17. menbus, l. mensibus. fol. 214. lin. 3. statura, l. Naturâ. fol. 215. lin. 26. 27. sesquidem, l. sesquipedem. fol. 218. lin. 29. recondatur, l. recondantur. fol. 219. lin. 12. refuscentia, l. rufescentia. fol. 223. lin. 17. aullisque, l. nullisque. fol. 224. lin. 7. Teræque, l. Terræque. fol. 227. lin. 17. inna ptorosiliunt, l. innaræ prosiliunt. fol. 228. lin. 33. exoriuntur, l. exoriuntur, donata. fol. 229. lin. 17. planum, l. plenum.

IN ALOIDARIO.

Fol. 4. lin. 31. dictâ, lege, ditatâ. Fol. 5. lin. 36. pedum, fabri &c. l. pedum, quibus fabri. fol. 8. lin. 11. condecorato, l. condecoratos. fol. 9. li. 3. corrupti, l. corruptis. lin. extinguuntur, l. extinguitur. fol. 11. lin. 3. foliolosque, l. foliolisque. lin. 13. fuues, l. funes. fol. 12. lin. 9. protrduit, l. protrudit. lin. 16. idem, l. ibidem. fol. 15. lin. 35. abnatis, l. adnatis. fol. 18. lin. 25. ctassis, l. crassis. fol. 19. lin. 1. 2. pungentbus, l. pungentibus. lin. 4. cinerarceo, l. cineraceo. lin. 12. crassa, l. crasso. lin. 20. rotundis, l. rotundus. fol. 20. lin. 1. BELGII relicto, l. BELGII oris relicto. fol. 24. lin. 29. 30. nostra, l. nostræ. fol. 25. lin. 27. doeet, l. docet. fol. 26. lin. 14. 15. æquè olfactu, l. æquè ac olfactu. fol. 28. lin. 27. quadrupla, l. quadruplo. fol. 29. lin. 5. è quibusdam, l. à quibusdam. lin. 6. Basota, l. Basora. fol. 30. lin. 21. confirmentur modici cibus, l. confirmentur modici cibi.

FINIS.